




ANALECTA XENOPHONTEA

LUGD.-BAT., TYP. L. VAN NIFTERIK HZ.

ANALECTA XENOPHONTEA

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN

LIT. HUM. DR.

„Eorum ego sum, qui libenter se redargui patiantur, si quid dicant quod non sit verum, libenter etiam redarguant, si quis quod non videatur verum dicat, non minus autem libenter redarguantur quam redarguant."

SOCRATES apud PLATONEM.



LUGDUNI-BATAVORUM
S. C. VAN DOESBURGH.

LIPSIAE
OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCLXXXVII.

AVUNCULO

IANO PHILIPPO OTT

VIRO MAXIME VENERANDO

ANTIQUAE DOCTRINAE, PROBITATIS, INTEGRITATIS EXEMPLO

HUNC LIBRUM QUA PAR EST OBSERVANTIA

OFFERT DEDICATQUE

SCRIPTOR

CONSPECTUS CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

De Xenophontis anno natali.

Magnopere vereor mi Lector! ne me operam perdere putes, qui quaestionem redintegrem aliorum studiis et lucubrationibus profligatam iam et ad exitum perductam, et controversiam dudum diremptam me disceptaturum pollicear: postquam enim tamquam inane commentum reiecta sit Diogenis Laërtii de Socrate Xenophonti ad Delium salutem afferente narratio, iam nihil obstare, quominus in Xenophontis anno natali indagando certissimum nobis ducem, i. e. ipsum Xenophontem sumamus, quem commendante Cobeto secutos ad eum consensum viros doctos pervenisse, qui rarus sit inter philologos. Noli tamen credere, me novam quandam viam esse monstraturum: duci nostro parebo, indicia eius accurate explorabo, ita tamen ut simul demonstrem, eius verba paulo negligentius accipi solere.

Quid ergo nos docet Xenophon? Annum quidem vitae suae nusquam tradit, sed admodum adolescentem eum Cyrum comitatum esse, ex tota Anabasi tam liquido apparet, ut nemo dubitare possit: quidquid enim agit dicitve adoles-

centiae fervorem prodit. Primis philosophiae Socraticae elementis imbutus, milites tamquam condiscipulos alloquitur, consilia capit veluti e scholae praeceptis, magistri sui nusquam est immemor. Haud iniuria ergo Regis legatus ita eum alloquitur: „Philosophus esse videris adolescentule! quod dicis sane non est illepidum".

„Heus tu!" ita interpellantem mihi videor audire lectorem „Theopompum Atheniensem nobis pro Xenophonte venditas, et deteriorum codicum sublesta fide deceptus, vulgatam lectionem temere mutas!"

Minime vero! Non equidem dubito quin melioribus codicibus sit obsequendum, sed idem censeo recte iudicasse Chr. Cronium (Append. causae Socr. 24): Theopompi sane nomen retinendum, sed Xenophontem intelligendum esse. Et olim plerique ita illum locum accepisse videntur, ut sub Theopompi persona ipse Xenophon lateret: saltem alteram lectionem non tam prorsus contemnebant, ut ei nihil tribuerent; qui nostro tempore de Xenophontis vita scribunt, eos video Xenophontis nomen ad grammaticorum coniecturas relegare. Coniecturam esse libenter concedo, sed quaeso — dummodo a textu immutando abstineamus — num prorsus nullius pretii est? Fac periculum: locum nostrum alicui ex discipulis tuis propone, adolescenti non nimis hebeti et tardo, atque in Xenophonte legendo paulo exercitatiori, eumque sic interroga: quem virum putas Theopompi nomine designari? Quovis pretio contendam, eum Xenophontem nominaturum. Ne ergo nimis anxii simus, et quod iam ab antiquis temporibus cuivis statim in mentem veniat, id in nostrum usum convertere ne dedignemur, cum praesertim non abundemus certorum argumentorum copia. Etenim mirum est Theopompum istum, si a Xenophonte est diversus, qui tam belle Xenophonteum Socratem imitari didicerit, alibi nusquam in

Anabasi apparere. Relege quaeso ipsa verba quibus utitur, et tecum considera utrum sit magis probabile, inter Graecos duces, qui Cyrum sint secuti, revera unum fuisse, tam ad scriptoris mentem accomodatum, eum tamen semel tantummodo ad verba facienda prodire, postea silere de eoque sileri, an fictum esse hominem, ut scriptori personam suam nomenque commodaret?

„At enim" lector dicet non pertinax „fac non esse Theopompum a Xenophonte diversum, num eo probatur Xenophontem illo tempore adolescentem fuisse? Fieri enim potest ut Phalinus fuerit homo grandaevus, qui adversarii deridendi causa, eum, quamquam iam esset aetate provectior, tamen ut adolescentulum alloqueretur: conferas modo quae apud Sallustium de Catulo et Caesare leguntur". Dabo ergo alium locum, quem, si semel meam de ficto Theopompi nomine sententiam probaveris, non recusabis mecum ad ipsum Anabaseos scriptorem referre. Vix opus est ut eum locum indicem, nam quae ibi leguntur tam similia et cognata sunt iis, quibus a Theopompo Phalinus redarguitur, ut lector verbo tantum admonitus facile coniicere possit quid velim. Est enim ex ea narratione, ubi alius quidam adolescentulus — et ipse scriptor eum adolescentulum vocat — subtili et philosophica demonstratione Clearchum docet, minime esse metuendum, ne Tissaphernes pontem inter utrumque exercitum rescindat (II, 4, 19). Quem locum si tibi in mentem revocaveris, miraberis mecum, iuvenem tam Xenophontea indole praeditum, cuius in Clearchi consilio tantum valeat sententia, neque suo nomine produci, neque usquam alibi commemorari: dignus enim erat qui, ducibus interfectis, ad altiorem imperii gradum promoveretur.

Certa autem esse, et manifesta, quae hucusque disputavi minime contendam. Mihi sane certa videntur, sed ut iis

satisfaciam, qui fidem habere nolint, si ullus dubitandi locus restet, longe alio genere argumentorum opus esse probe scio. Aliquam tamen veri speciem meam disputationem prae se ferre pauci, opinor, negabunt. Videamus ergo possimusne rem ad probabilitatem paulo maiorem perducere.

Respondendum primum est ad quaestionem, quae se sponte offert etiam ei, qui ad sententiam meam de duobus locis supra citatis accedere paratus sit. Quid causae est cur Xenophon semel sub alieno nomine delitescat, semel suum nomen reticeat, quum tamen tribus aliis locis, qui et ipsi ad illud tempus pertineant, quo nondum divinitus immisso somnio ad summum imperium esset vocatus, se ipsum nominare minime vereatur? Hos locos accuratius inspiciamus. Primus legitur I, 8, 15 sq. alter II, 4, 15 (ergo consilium militare, quod in Clearchi tabernaculo ob periculi a Tissapherne instantis nuntium modo acceptum habetur, proxime praecedit), tertius II, 5, 37—42. Atque duobus quidem postremis locis Xenophontis nomen cum Proxeni nomine est coniunctum: non ergo magis se nominat scriptor, quam suae cum viro egregio amicitiae memoriam recolit. Primus autem locus eo paulo impeditior factus est, quod pars codicum Xenophontis nomen habet, ubi in ceteris Clearchi nomen legitur. Sed eam difficultatem optime sustuleris et simul erroris fontem indicaveris, si cum Bornemanno legeris *ὁ δ' εἶπεν ὅτι τὸ σύνθημα κτἑ.* nullo nomine addito. Rem ergo satis mirabilem Xenophon narrat: tesseram nullo auctore per ordines esse traditam, cui narrationi cur se suumque nomen Xenophon immiscuerit, non est quod diu quaeramus. Mirabilia et portentosa enim, somnia divinitus immissa, ceteraque ominosa omnia, Xenophontis animum prae ceteris movere solent: nil horum negligit, fideliter omnia observat, et sedulo cum lectoribus communicat. Inspicias modo: I, 5, 18; III in.; IV,

3, 8; VII, 8, 1. His observatis et recepta Bornemanni emendatione, totius loci sententiam facile perspexeris: miraculi se ipsum testem citat Xenophon: ipse tesseram per ordines percurrentem audivit, praesens adfuit cum Cyrus rogaret quid rei esset, et ubi de tessera audivit mirantem vidit, quis tradendi auctor fuisset, ergo fatentem se non dedisse, id est Deum aliquem auctorem exstitisse agnoscentem. Quis enim nisi aliquis coelestium eam rem fecisse censendus est, quae quum ad Ducem pertineat, ignaro Duce sit peracta? Non poterat in tam perspicuo praesentis Deorum auxilii argumento afferendo Xenophon suum nomen reticere, ubi id ex veritate addere posset. Neque ibi delitescere vel poterat vel volebat, ubi occasio data esset significandi suum erga carissimum amicum Proxenum amorem: ad cognoscendum quid Proxeno factum sit cum Ducibus proficiscitur, eiusque causam apud Barbaros agit; ubi nuntius de structis a Tissapherne insidiis affertur forte cum Proxeno deambulat: haud graves res sunt quas narrat, sed aliquid momenti addit pia memoria. Verum simulac sententiae prudenter a se prolatae, vel adversarii argumentis a se devicti documentum est dandum, veretur Xenophon — ita enim ego censeo — se suo nomine in scenam producere.

Adolescens ergo admodum Xenophon erat quum Cyrum comitaretur. Neque mihi Cobetus satisfacit, qui „Xenophontem, qualem eum in Anabasi conspicimus", statuit „nondum trigesimum aetatis annum egisse, sed potius uno alteroque anno hac aetate fuisse inferiorem". Cur eum nondum id aetatis fuisse credam paucis indicabo. Proxenus quum interficeretur triginta fere annos natus erat: putasne Xenophontem, si undetrigesimum annum ageret, dicturum fuisse: „Imperatoris muneri nondum sum maturus"? Atqui hoc dicit III, 1, 25. An probabilior ea videretur excusatio, si

nobis constaret legitimam Imperatoris aetatem triginta annorum fuisse? Neque hoc novimus, et absurdum est, aliquem in media barbarie, ubi hoc agendum est, ut ex certa pernicie salvus evadat exercitus, legis minutias anxie curare: silent enim leges inter arma, quanto magis inter Barbarorum minas et undique instantes insidias? Ergo ea tum fuisse aetate Xenophontem contendo, qua *ex usu et consuetudine* inauditum esset, summum ad aliquem deferre imperium. Ne autem nimis breve fiat tempus, per quod Socratis familiaritate potuerit uti, cum Vatero (Ann. Lips. 1846, 147 sqq.) eius natales ad Ol. 88 referemus, sed ad eius Olympiadis annum ultimum, ita ut expeditionis tempore vigesimum quintum annum ageret.

Iam satis apparet me, si ne in Cobeti quidem sententia acquiescere possum, minus etiam probare Croiseti rationem, qui in praeclaro libro de Xenophontis indole et ingenio eum a 435 natum existimat. Quid virum egregium ad eam opinionem duxerit mox dicam, simulque demonstrare conabor mihi haud satis grave illud argumentum videri. Sed antea Nicolaium impugnabo, quem Croisetus socium nactus est, virum doctissimum, et cui magna in his rebus auctoritas merito tribuitur: is enim in programmate Gymnasii Anhaltiani Croiseti sententiam probat, argumenta improbat: vitiose enim ab eo locum, quo omnes, qui hanc quaestionem tractamus, quasi fundamento nitimur, explicari; non enim ibi agi de summo imperio et de iusta imperii aetate, sed ita verba Xenophontis ad Proxeni lochagos esse accipienda et vertenda: „et ipse quamquam nullo fungor munere, tamen si vos (nobili honoris amore stimulati) collegas vestros adhortari vultis (ne animum despondeant, sed quae opus sunt parent), vobis me adiungere volo: quin etiam si me elegeritis qui primas partes agam (sc. in exercitu ad fortia con-

silia capienda incitando), profecto non adolescentiae meae praetextu utar, sed me ipsum satis adultum esse ducam ut ea a me pericula defendam (quae mihi iuveni nulla auctoritate praedito ex ea re possint nasci)". Pericula autem illa Nicolaius intelligit, quae minantur ab iis Cyri sociis, qui, ut Apollonides et Nicarchus, Regis causae favebant. Lubenter concedo hanc esse orationis sententiam, sed idem nego quidquam interesse, utrum verba ἡγεῖσθαι et ἀκμάζειν de ipso imperio accipiamus, an de iis rebus, quas versione sua Nicolaius indicat. Nam et si recte Nicolaius interpretatus est, tamen hoc apparet metaphoram iis verbis inesse, et Xenophontem iis uti *alludentem* ad summum imperium et aetatem huic accommodatam: in contionem militum prodire, ut militibus animum addas, imperatoris est, ad eamque rem non minus quam ad imperium ipsum obtinendum maturior aetas requiritur; ita ut probata Nicolaii versione, sed accuratius verborum, de quibus agimus, vi observata, haec evadat sententia: „Si, vos Lochagi, volueritis me Ducibus et exercitui salutis viam monstrare, eosque bona spe implere, quamquam hoc imperatorium munus est et ego nullum imperium teneo, tamen non recusabo: neque aetatem excusabo imperio nondum maturam; nam satis maturum me esse sentio, qui hoc Imperatoris munus sustineam, et quae inde nasci possint pericula a me propulsem". Atque haec quidem iuvenem decent ea aetate, cui aut nunquam aut fere nunquam deferatur imperium.

Quid ergo Croisetum permovit ut Cobetianum numerum, de quo aliquid erat detrahendum, etiam augeret? Seuthis, Thraciae regis cura: nolebat enim hunc tam ridiculum esse, ut adolescentis viginti quinque annorum filiam uxorem sibi peteret. Nam non solus Croisetus in eo errat, quod de n u b i l i filia Seuthem loqui contendit, sed et alii eum erro-

rem propagant, aut neglecta aut reiecta Nicolaii de hac re sententia: facit hoc, ut recentiorum unum nominem, Roquettius, in doctissima disputatione de Xenophontis vita; nam ex veterum philologorum libris exempla afferre nihil attinet: tamen satis saepe apud eos idem vitium reperies. Si vero recte Seuthis dictum acceperis, nil inesse concedes, quod nostrae sententiae repugnet. Primum nil nobis innotuit de legibus et institutis quibus veteres Thraces in connubiis contrahendis usi sunt. Quid ergo obstat, quominus et illi, quod neque apud alias nationes inauditum est, iam filias sex septemve annorum desponderent, vel eas ad futuras nuptias a parentibus vel tutoribus emerent? Atque huiusmodi aliquid in animo Thracum regem habuisse, indicio quodam probari opinor, quod primo quidem aspectu leve, sed, ut mihi saltem persuadeo, non prorsus contemnendum est; in hac enim testimoniorum indiciorumque inopia nil, credo, tamquam nimis tenue et vile abiiciendum erit, priusquam viderimus si forte aliquem vel minimum fructum inde percipere possimus. Etenim *εἴ τις σοι ἔστι θυγάτηρ* rex ait: quis autem ita de *nubili* filia loquitur? Num pronomen indefinitum addidisset Seuthes, nisi aut cogitasset de parva filia, aut hoc dicere voluisset: Si forte virginem (nubilem) in potestate habes, cui sis pro patre? Auctor sum ut rem ita tecum consideres: si tibi vir quidam aetate provectior admonendus est, ut alium quendam quam primum artissimo vinculo sibi obstringat, utrum admonendi initium facturus es rogando *ἔστι σοι θυγάτηρ* an *ἔστι σοι θυγάτηρ τις*? Illud opinor.

Sed fac me nimis exiliter ad calculos vocare omnia: quis negabit multa esse in Anabasi eo tantum consilio posita, ut scriptoris commilitones facti cuiusdam per se levissimi admonerentur, vel dicti lepidi et faceti memoria exhilararentur? Quid enim ceteri lectores virum illum curant, qui lepores

venatum exierat (IV, 5, 24)? Quanto maiore quam nos gaudio eos, qui ipsi convivio in Corylae honorem apparato affuerant, legisse probabile est, Paphlagonibus rogantibus, an et feminae in Cyri exercitu pugnassent, responsum esse: „immo vero illae Regem e castris nostris fugarunt (VI, 1, 13)"? Quidni eo quoque referamus Seuthis conditionem? Nam si revera de filia adulta locutus est Rex (scilicet quod aut Xenophontis vultum non bene poterat cognoscere, vesper enim erat, aut quacunque de causa) quam miros risus Graecos duces et lochagos putas edidisse, quum audirent de adolescentulo Imperatore suo ut Thracum regis socero mentionem iniici?

Quum ergo nullam causam videam quominus hanc, quam dixi, aetatem Xenophonti tribuamus, unum locum addam, quem mea sententia reiecta vix poteris probare.

Libellus *de Vectigalibus* ante annum 355 scriptus non est: ipsi anno 355 Roquettius illum haud spernendis argumentis assignat: in eo autem libello (VI, 1) scriptor cives suos admonet, ut quantocius consilia a se data exsequantur, hoc usus argumento „ut nobis superstitibus Respublica secura fruatur prosperitate". Ita loqui etiam potest vegetus senex septuaginta annorum, octogenarius dicendo talia risum movet. Et quoniam video esse, qui de eius libelli auctore dubitent, in quorum numero etiam A. Jacob est, qui nuper *Oeconomicum* et *Excerpta e Memorabilibus* cum utilissimis annotationibus (utrumque librum Parisiis apud Hachettium et socios) edidit, hunc quoque scrupulum eximam, afferendo locum e Memorabilibus (III, 6, 12), ubi Socrates ad Glauconem „atqui" inquit „novi te in argenti fodinas nunquam venisse, neque ergo dicere posse, qui fiat ut nunc tanto minus quam antea inde redeat", et eo respondente „nunquam eo veni" ita pergit: „est profecto is locus

difficillimus" i. e. ea pars Reipublicae administrandae, de qua iudicare difficillimum est; quae verba satis, ut opinor, demonstrant, Xenophontem iam tum in animo habuisse de ea re aliquid conscribere, id autem ad id aetatis distulisse, quum *αὐτὸς αὑτοῦ δεινότατος τὰ πολιτικά* sibi esse videretur.

CAPUT SECUNDUM.

De Anabasis consilio, tempore, scriptore.

Nihil est quod omnes Antiquitatis amatores maiore ardore vel ipsi indagare studeant, vel ab aliis cupiant indagari, quam Platonis philosophia ex quo principio nata, quomodo creverit, adoleverit, ad eam praestantiam pervenerit, ut splendore suo admirantis humani generis oculos et olim in se converterit et nunc etiam convertat. Hoc praesertim saeculo summi et philologi et philosophi omnes ingenii industriaeque vires huic rei impendunt ut statuant, quo ordine Platonis dialogi scripti sint: id enim nisi constet, eius sententiam non tam perspicuam nobis esse sentiunt, quam optandum sit: opus enim esse ut sciamus, quam meditandi viam sit secutus, quibus cogitationibus ductus iudicia sua conceperit, stabiliverit, auxerit, correxerit: quae inter eius libros ratio intercedat, quo vinculo inter se cohaereant, qui factum sit ut modo discrepare, modo etiam inter se certare videantur. Atque eo ut rem deducerent viri docti varias, pro suo quisque ingenio temptarunt vias: alii enim dialogorum argumenta spectarunt demonstrandique rationem; ex historia alii

indicia attulerunt; alii denique dicendi genus accurate observarunt, et grammatica duce se ad propositum finem perventuros sperarunt. Sed quamvis admirabili in ea re industria et perseverantia elaborarint, tamen ipsam veritatem firmiter se tenere nemo eorum contendit; magna enim restat dubitandi materia et opinionum controversia. Quod autem dixi, id quoque quaeri etiamnunc, ex quo principio Platonica philosophia nata sit, fortasse illis mirum videbitur, qui nomen quidem Platonis in ore habeant, sed in eius scriptis hospites sint: illi enim putare possunt, Platonem a Socrate philosophiam didicisse, eamque paululum mutatam et ornatam posteris tradidisse. Si quis ita censet, ne ille ignorat quae deliberatio vel maxime eos occupatos habeat, qui Platonicis studiis se dedunt, quamque ea sit difficilis et quot quantisque erroribus obnoxia. Qui enim de Platone inquirit, ei antea de Socrate est inquirendum. Quodsi sine ulla dubitatione affirmare possemus, quae Socratis fuerit disciplina, facile cognosceremus, quibus in rebus post magistri mortem discipulus eius praecepta observaverit, quomodo ab iis deflexerit, quid addiderit, mutarit, omiserit. „Socratica" ergo ea, quae dixi, studia haud minore iure appellari possunt quam „Platonica". Nullam autem rem credo magis dignam esse, in quam Graecarum literarum studiosi doctrinam et sagacitatem suam convertant, quam hanc de *Socrate philosopho* quaestionem. Quis enim non hoc quam accuratissime cognoscere ex animi sententia cupiat, quae illius fuerit viri doctrina et institutio, qui aequales suos summos infimosque tanta vi ad se attraheret, sibi devinciret, deditos sibi eosdemque sui amantissimos redderet, qui non minus bene cum opificibus, sutoribus, fabris lignariis et ferrariis confabulari posset, quam doctos astutosque sophistas convincere, et summos sui temporis artifices, poëtas comicos tragicosque, pictores, statuarios,

prudenter et lepide de ipsorum arte interrogare, cuius consuetudinem potentissimi in republica viri peterent, de quo vel luculentissimum praeconium dixerit, qui eum fugiebat Alcibiades: fugiebat enim vultu averso et auribus obturatis, ne quasi Sirenum cantu delenitus per totam vitam otiosus apud eum desideret. Sed simul credo fere nullam quaestionem difficiliorem esse et maioribus molestiis impeditam. Iusto enim faciliorem sibi eam reddunt, qui, quid „historicus", quem dicunt, Socrates docuerit apud Xenophontem exstare contendunt, quidquid a Xenophonte diversum Plato tradat, ex Platonis ipsius mente fluxisse. Nam quis hoc non intelligit Xenophontis doctrinam et philosophiam, quamvis sit utilis et ad vitae usum accommodata, tamen humi incedere, Socratemque nihil praeter supraque eam docentem nunquam tanto ardore divinum suum discipulum inflammaturum, sed multo magis taedio quodam a se abalienaturum fuisse?

Equidem hercle non eum me sentio esse, qui id, de quo praestantissimi viri sibi nondum liquere pronuntiarint, magnopere meis observationibus illustrem; sed quo modo Xenophontem legere per multos annos solitus sim cum lectoribus communicabo, si forte iuniorum aliquem ad meam rationem imitandam adducere possim: habet enim ea permultum suavitatis, et, ut mihi quidem persuadeo, etiam nonnihil utilitatis. Nunquam Xenophontem lego, quin simul Platonis memor sim, et si qua res, quae mihi Platonem legenti, quacunque de causa prae ceteris notabilis visa est, etiam apud Xenophontem mihi sub oculos venit, suspicio mihi nascitur, non fortuitum hunc consensum esse, sed ipsi magistro deberi, cuius doctrinam vel sententiam discipuli, suo uterque modo, posteritati servarint. Iuvat huius rationis duo exempla afferre, et ita sensim ad Anabasin, quam hoc caput inscriptam habet, transibo. Res est notissima, Platonem in sua Republica

feminis idem onerum genus quod viris imponere: solum addit, si feminae quam viri sint infirmiores, leviora iis tribuenda esse onera, non diversa. Quum autem in Xenophontis convivio Socratem audio, saltatricis spectatis artificiis, ita convivas alloquentem: „et in multis aliis rebus, et hic quoque, viri! apparet, femineam naturam nihilo virili esse inferiorem: proinde, si cui vestrum uxor est, bono animo eam doceat quamvis rem, cuius eam peritam esse cupiat", haec quum lego statim mihi Platonis in mentem venit, et facile mihi persuadeo, non prorsus novas, et a se primum inventas de feminis leges eum in suam Rempublicam introduxisse. Ubi vero in suavissimum locum Oeconomici incido, quo Ischomachus primae suae ad uxorem allocutioni ita finem facit „iucundissimus vero hic tibi (earum curarum quas tibi mandatas volo) fructus erit, si te me praestantiorem esse apparebit, effecerisque ut ego tibi paream; neque erit quod verearis, ne labentibus annis in minore quam antea sis futura honore, sed confidere poteris te maiorem natu, quo mihi fidelior fueris socia, liberisque nostris melior rei familiaris custos, eo te futuram esse domi nostrae honoratiorem: quod enim in hominibus pulchrum et honestum est, non corporis forma, sed mentis virtutibus alitur et augetur", in eum locum quum incido, Socratem mihi videor audire cum leni reprehensione demonstrantem, non eam esse sortem feminarum, quam esse oporteat: formosas quidem, quamdiu sint in flore aetatis, blanditiarum omni genere coli et observari, sed natu maiores, easque, quibus natura noverca fuerit, saepe indignum in modum despici et derideri, idque non a rusticis solum, sed etiam ab iis, qui sibi urbani esse videantur: id est ea fere disputantem, quae pulcherrimis versibus nobilem feminam conquerentem facit Goethius in dramate Torquato Tassone, quos latine utcumque versos

adscriberem, nisi elegantissimum poetam maculis aspergere vererer. Nunc lector Germana verba conferat (Act. II, sc. 1).

Novimus omnes quantum operae dederit Plato, ut iustitia quem mentis humanae obtineret locum statueret, et quo modo eo quo tenderet pervenerit: inde enim profectus est, ut mentem hominis cum civitate compararet et quid in ea iustitiae opus esset spectaret: id autem ei non difficile cognitu visum est, nam omnes in ea re consentire contendit, ut Iustitiam in civitate in eo spectari et constare dicant, quod suum quisque opus faciat. Ea autem comparatione eaque hypothesi usus, quid tandem de animo affirmarit, hic nihil attinet describere, sed in memoriam lectori revocare volo lepidissimum locum ex Cyropaedia (VIII, 2, 5), ubi Xenophon haec docet: „Iucundissima Regis Persarum dona ea sunt, quae de mensa sua ad amicos mittit: neque hoc mirum est. Quemadmodum enim in maxima quaque urbe omnes artes perfectissimae sunt, ita et Regis cibaria optime sunt apparata: in parvis enim urbibus idem homo lectos facit, ianuas, aratra, mensas, saepe idem et domos aedificat, et si vel sic emptorum satis invenit contentus esse debet. Fieri autem non potest ut, qui omnia facit, pulchra omnia faciat. In magnis vero urbibus, quia singulis rebus permultis hominibus opus est, una ars ad alendum hominem sufficit: neque tota aliqua ars ad eam rem requiritur: alius enim calceamenta muliebria facit, alius virilia tantum: nonnumquam unus homo victum quaerit calceamentis consuendis, unus secando corio; alius vestium partes format, alius eas inter se iungit; necesse autem est, qui in brevissima quaque arte exercenda vitam degit, eum praestantissime suum opus efficere. Idem de cibariis apparandis affirmare licet. Si quis enim unum famulum habet, qui lectum sternat, mensam instruat, subigat farinam, opsonium modo hoc modo illud

paret, eum utut res fert aequi bonique consulere oportet. Sed ubi alii homini satis operis est carnes coquere, alii assare, alii pisces coquere, alii assare, alii panes facere, neque eorum omnia genera, sed sufficit, si modo unum egregie paratum praebere sciat, ibi necesse est quemque cibum ita fieri quam optimum". Hunc enim locum legens et relegens ex Platonis cum Xenophonte comparatione hoc me didicisse credo, haud semel Socratem amicis suis demonstrasse, quam utile esset, si in una re unusquisque se exerceret, eamque *Socratis* doctrinam de laboris divisione, ut nunc loquimur, Platoni pro fundamento fuisse, in quo Rempublicam suam aedificaret.

Nunc ad Anabasin transeo, primumque lectorem admonere volo iucundissimae lectu disputationis inter Graecorum duces et Regis legatum Phalinum. Profecto abiectus ille homo est, qui in aula servitutem serviat, et apud Regem in summo sit honore, moribusque eius oratio respondet: magistri iussu a popularibus suis poscit ut arma tradant; magistri sui ostentat vires potestatemque: et Xenophontem, ut liberum hominem et philosophum decet, respondentem superbia vernili deridet; neque eum Clearchi movet lenis ironia; non pudet hominem sibi ab eo obiici: „tu enim Graecus es, et nos quoque quotquot vides", sed usque ad finem Domini mandata peragit. Verum ex tota de Phalino narratione ea verba vel maximi mihi momenti esse videntur, quibus significatur, qua de causa in eum honoris gradum adscenderit. „Profitebatur enim se peritum esse earum rerum, quae ad τάξεις et ὁπλομαχίαν pertinerent". Nam, quamquam ea verba nonnullis videri possunt eo loco admodum inutilia esse, non imprudenti Xenophonti exciderunt. Testificari enim eum credo voluisse, sibi quoque despectui esse illud genus hominum, quos Socrates tantopere contemneret. Non enim solum huc

refero alios ipsius Xenophontis locos, (Mem. III, 1; Cyrop. I, 6, 14 sq. ubi observandum verbum γελάσας), ubi tanquam parum utilis τοῦ τακτικοῦ disciplina ridetur, sed multo magis lepidissimum Platonis dialogum Lachetem, et ex discipulorum consensu hoc me efficere posse opinor, doctores istos de re militari non Platoni et Xenophonti magis quam ipsi Socrati risum movisse.

Verum haec leviora videri possint. Alia eaque graviora sunt, quare totam Anabasin non solum commentarium rerum a Xenophonte gestarum, neque narrationem commilitonum gratia conscriptam esse censeam, sed eundem librum quodammodo etiam ad scripta philosophica ex Socratis schola profecta referam. Testimonio sunt orationes, quae habentur. Quarum quidem ea, quae est L. V. c. 7 dignissima est, de qua plura dicamus: non enim in Anabasi sola inter ceteros locos eminet, sed omnino nil Xenophon elegantius scripsit. Videamus quae praecedant: orti sunt rumores, Xenophontem clam per fallacias exercitum Colchidem reducturum esse: neque hi rumores prorsus sine ulla Xenophontis culpa emanarunt, nam revera de urbe in Asia condenda cogitaverat. Milites autem re audita moleste ferunt, iam coetus fiunt, periculumque nascitur, ne tumultus militaris oriatur. Contionem Xenophon convocat, ibique se defendit: demonstrat quam parum sit probabile, se id in animo habuisse, quod sibi nunc obiiciatur: ex ipsa rerum natura fieri non posse, ut copias vel invitas vel nescias in extremum Orientem retro ducat: sin vero tam sint stupidi milites, ut plagas coeli ignorantes se, quo dux velit, velis ferri patiantur, tamen simulatque Colchidem advenerint, fore ut fraus pateat et dux meritas poenas luat. Iure ergo queritur de iis, qui invidia ducti talia de se mendacia dissipent: semper enim se militum salutem suo honori et commodo anteposuisse. Tum

subito orationem alio vertit: e reo fit accusator. Militibus obiicit pravos mores in dies gliscentes: opus esse significat severo moderatore, qui prohibeat, ne ad omnes sceleris et impietatis labes perveniat. Quid a Cleareto eiusque militibus, ceteris insciis, sit commissum narrat, quae in ipsis castris postea ortae sint turbae, qui factum sit ut homines minime digni iniusta nece perirent exponit. Sed quid opus est exili mea epitome? Totum Xenophonteum caput relegisse nunquam poenitebit. Profecto nulla unquam melior fuit defensio, quam in ipsos accusatores culpam convertere, nullusque reus huius rei facultatem sibi oblatam negliget: quare credi potest et Xenophontem, hominem ad imperandum, id est ad persuadendum natum et factum ea revera adversus inimicorum crimina usum esse. Sed tamen hoc pro certo ausim affirmare, etiamsi in militum contione Cleareti facinus legatorumque interitum commemorare neglexisset, tamen eum in Anabasi conscribenda lubenter hoc loco illam narrationem inserturum fuisse, ut ita rebus, quas ipse vidisset et expertus esset, demonstraret, quam vere magister suus docuerit id, quod est in versu Sophocleo: *ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν.* Plato si militaris homo fuisset, haud dubie tales narrationes seu veras seu fictas Socrati tribuisset.

Neque minus in oratione, quae sequenti capite legitur, discipulum deprehendis Socratis nunquam immemorem, eiusque placita defendentem, si non revera quum causam diceret, saltem quum in otio rerum a se gestarum et contionum a se habitarum historiam componeret: Socratis enim praecepto se obtemperasse demonstrat, qui iustum regem ducemque docet non alio consilio mortis, exsilii, bonorum publicationis, virgarum poena plectere cives militesque quam *τοῦ ἀγαθοῦ ἕνεκα*, eumque in ea re comparari posse cum medico, qui et ipse aegrum dolore aliquo afficere non vereatur. Xenophontis

exemplum in Gorgia egregie suum locum obtineret, si Plato afferre potuisset, vel voluisset.

Quantopere et haec discipulum Socratis decent, quae L. VII, c. 6, § 20 dicit: „at enim, dixerit quispiam, nonne pudet te a Seuthe deceptum esse? puderet hercle, si hoc ab hoste mihi accidisset: sed cui sis amicus, eum decipere turpius mihi videtur quam te ab eo decipi." Estne hoc ex eiusdem disciplina, qui docebat, eum qui iniuriam facit, praesertim si impune facit, multo miseriorem esse quam qui accipit?

Adde his Xenophontis ad Seuthem de mercede nondum soluta legationem (VII, 7. 20): ibi quoque agnosces Xenophontem non magis narrare, quo modo Seuthi persuaserit, ut debitum persolveret, quam sibi lectoribusque in mentem revocare praeclarum quoddam egregii praeceptoris monitum.

Ita ex orationibus imprimis apparere censeo Anabasin non solum esse rerum gestarum narrationem, sed etiam philosophicum *ἐγχειρίδιον* rebus gestis ornatum et illustratum. Sed et alibi haud difficile est huius consilii vestigia demonstrare. Nonne enim ille, qui libro primo primas partes agit, Cyrum dico, quodammodo Socratis discipulus dici potest? Nonne interrogatio qua Orontem convincit Socratico elencho simillima est [1]? Nonne ita eius mores describuntur, ut putes eum in Socratis sinu educatum esse? Non enim solum, ut Xenophonteus Ischomachus, iustum *οἰκονόμον* laudibus praemiisque ornat, sed etiam quaecunque ipsi dono dantur omnia inter amicos dividit, et ita dividit ut simul Socraticae virtutis et ipse meminerit et alios admoneat. Etenim ea, quam in vestimentis et corporis ornamentis distribuendis affert, ratio *ὅτι τὸ μὲν ἑαυτοῦ σῶμα οὐκ ἂν δύναιτο τούτοις πᾶσι κοσμηθῆναι κτέ.*

---

1) Simillima interrogatione in Cyropaedia III, 1, 10 sqq. Armeniorum rex convincitur.

cui non in mentem revocat pulcherrimum ex Gorgia locum: *ἢ οὖν τούτων τῶν σιτίων πλέον ἡμῶν ἑκτέον αὐτῷ ὅτι βελτίων ἐστίν, ἢ τῷ μὲν ἄρχειν πάντα ἐκεῖνον δεῖ νέμειν, ἐν δὲ τῷ ἀναλίσκειν τε αὐτὰ καὶ καταχρῆσθαι εἰς τὸ ἑαυτοῦ σῶμα οὐ πλεονεκτητέον, εἰ μὴ μέλλει ζημιοῦσθαι, ἀλλὰ τῶν μὲν πλέον, τῶν δὲ ἔλαττον ἑκτέον;*

Ipse quoque Xenophon, qualem in Anabasi conspicimus, non magis peritus est dux, quam philosophus sapiens. L. III, 2, 18 eum fere dixeris a Sophistis artem persuadendi didicisse: docet enim pedites suos, hostium equites metuentes, nil esse in equitatu praesidii; sed in tempore recordamur, ipsum Socratem eum monuisse, utiliter interdum ducem milites suos decipere. Id quoque se Socratem testificatur audisse docentem, sapientem virum urgente necessitate non recusare imperii onera sustinere, sed post pericula statim ad vitam privatam redire, eoque se invitum regnasse demonstrare (Plato Pol.): nam semel iterumque se cupere imperium deponere significat (VI, 2, 15; 6, 32; VII in.).

Atque haec quidem quae hucusque disputavi non nimis absurda esse satis confido, et quamquam non magni sint pretii, quippe quae neminem lateant eorum, qui Xenophontem manibus terere soleant, tamen vel tironibus, vel iis, qui Xenophonti minus quam aliis scriptoribus poetisve operam dent, utilia aut saltem lectu non iniucunda fore, non sine causa me sperare opinor. Transeo nunc ad aliam de Anabasi quaestionem, a multis viris doctis tractatam, et argumenta quaedam afferam, quare mihi ea plerumque parum recte solvi videatur, quidque ipse censeam quam potero accuratissime demonstrabo. Dicturus enim sum de tempore, quo Anabasis scripta videatur.

Creduntur in Anabasi ipsa quatuor temporis indicia exstare: tot enim ego in virorum doctorum libris, qui de hac

re disputarunt, enumerata invenio. Quorum mihi — libere enim dicam quid sentiam — tantummodo unum certum videtur, tria reliqua, quae primus Krügerus attulit (in libro de authentia et integritate Anabaseos Xenophonteae Halis Saxonum 1824), aut prorsus abiicienda aut infirma esse contendo. Primum iniuria Boeckhium statuisse, paulo post Cyri expeditionem Anabasin scriptam esse, eo apparere Krügerus affirmat, quod et citetur Ctesiae liber (illius enim Persarum historia, ad annum 399 perducta et 23 libros conplexa multis demum post Cyri obitum annis perfici potuit), et Lacedaemonii dicantur (VI, 6, 9) iam non toti Graeciae imperare (illos autem hegemoniam pugna Leuctrica demum amisisse constat). Ea autem verba quae VI, 6, 9 de Lacedaemoniis leguntur a Cobeto uncinis includuntur: neque iniuria, ut mihi quidem videtur, nam inutiliter adiiciuntur et annotationis speciem prae se ferunt. Sed sint sane ab ipso Xenophonte profecta; non repugno, nam cur meae rationi non adversentur mox declarabo. Multo vero maiores molestias mihi bini loci pariunt ubi Ctesiae nomen legitur. Conabor tamen me ex iis aliquo modo expedire.

Absurdissime dictum esse, quod vulgo legitur *ὁπόσοι μὲν τῶν ἀμφὶ βασιλέα ἀπέθνησκον Κτησίας λέγει· παρ' ἐκείνῳ γὰρ ἦν* Cobeto prorsus assentior. Quis enim unquam ita locutus est: „Ctesias hoc narrat; cum Rege enim erat"? Quasi vero aut, quia cum Rege fuit, quid Regis copiis acciderit natura ipsa eum scribere coëgerit, aut scribere non potuisset, si eo tempore alibi fuisset. Deinde quis unquam lectorem alius scriptoris librum inspicere iubet, unde nihil cognoscat praeter numerum aliquem? Aliena enim scripta is laudat, qui chartae vel labori vult parcere, et ergo longiorem historiam vel demonstrationem, iam alibi exstantem, iterum narrare supersedet, quemadmodum ipse Xenophon

(L. II, 6, 4) alibi scriptum esse significat, quibus rationibus Cyrus Clearcho persuaserit ut se comitaretur. Verum si quis in uno nomine vel numero, vel quaecunque eiusdem generis sunt, afferendis alium quendam testem adhibet, nulla causa est, quominus ipsum testimonium adscribat. Certissimam ergo Cobeti emendationem esse iudico: Κτησίας λεγέτω· παρ' ἐκείνῳ γὰρ ἦν. Haec enim verba sunt eius qui, quid scribat, ipse intelligat. Tam autem necessaria mihi ea emendatio videtur, ut ea me non minus recte uti posse credam ad aliam rem demonstrandam, quam si ita in optimis codicibus scriptum invenissem. Quid autem e verbis Κτησίας λεγέτω sequitur? Et Xenophontem ipsum eum numerum ignorare, et *Ctesiae librum in eius manus, quum scribebat, nondum pervenisse* [1]. Contrarium vero ex altero de Ctesia loco demonstrari potest. Ibi enim tamquam ex libro iam scripto et edito testimonium affertur. Tamen et ea verba ita a Xenophonte scribi non potuisse, vix quisquam negabit. Quod vero Cobetus hic quoque emendatione opus esse censet, in eo liceat mihi ab eo dissentire. Nam etiamsi quod Cobetus vult legamus ὃς καὶ ἰάσασθαι αὐτὸς τὸ τραῦμά φησι pro καὶ ἰᾶσθαι αὐτός τ. τ. φ., tamen alia multo maior molestia restat, quod duo de Ctesia loci inter se certant. Etenim verba a Cobeto restituta Κτησίας λεγέτω significare videntur, Xenophontem Ctesiae librum non inspexisse, verba ἰᾶσθαι (vel ἰάσασθαι) αὐτὸς τ. τ. φ. contrarium demonstrant. Deinde num tam negligens scriptor Xenophon est, ut, postquam iam dixerit, Ctesiam ipsum narrare se Regis vulnus curasse, statim subiiciat: „Ctesias enim apud Regem erat"? Postremo neque hoc negligendum videtur, verbum ἰᾶσθαι hic male adhiberi: ut enim ex addito

---

1) Observandum est Plutarchum, qui Artax. 13 contrarium affirmat, iam vitiosis Xenophontis libris usum esse.

pronomine *αὐτός* apparet, nulla alia causa Ctesiae testimonium affertur, nisi quod is oculatus est testis: quod quum de medico sermo sit, ita enuntiandum est: *ὃς καὶ θεραπεῦσαι αὐτός τ. τ. φ.* Absurdum vero est *ἰάσασθαι αὐτὸς τ. τ. φ.* Nam si unum in Memorabilibus (III, 1, 4) locum excipias, ubi *ἰᾶσθαι* propter substantivum *ἰατρός* de medici munere positum est, apud Xenophontem hoc interest inter *ἰᾶσθαι* et *θεραπεύειν*, quod *θεραπεύειν* est *curare aegrum*, nulla successus addita notione, *ἰᾶσθαι* aegrum vel aegri vulnus persanare. Cf. modo Cyrop. VIII, 2, 25; Cyneg. I, 6. Contendo ergo verba *καὶ ἰᾶσθαι αὐτός τ. τ. φ.* indigna esse quae emendemus, in textum enim irrepsisse e margine, ubi cum praecedentibus *ὡς Κτησίας φησί* a male sedulo lectore essent adscripta, cui locum ex Ctesia afferendi occasionem praebuerint verba quae mox sequuntur. Quum autem in sciolorum annotationibus agnoscendis nihil utilius sit quam aures consulere, quam elumbis est oratio horum verborum, quamvis emendatorum *ὡς Κτησίας φησί, κ. τ. τ. ἀ. ἰ. φησι*! Et quid tandem illud est, quod teste medico Regio narratur? Non quam altum Regis vulnus fuerit (id enim non Xenophon sed Plutarchus Artax. 11 Ctesia auctore nos docet), quaeve corporis partes laesae sint, sed per loricam Regem vulneratum esse: profecto ad testimonium in ea re dicendum celeberrimo medico opus erat. Quodsi quem mea argumenta non movent, tamen hoc reputet, vel ideo Ctesiae nomen ad tempus indicandum minimi esse pretii, quod minime constet Ctesiam in *historia Persarum* de Artaxerxis vulnere locutum esse. Novimus enim ex Galeno (V, p. 562 Bas.) Ctesiam etiam de arte medica scripsisse: quae autem apud Galenum citantur chirurgici generis sunt, et probabile est Ctesiam in chirurgicis scriptis vulnus Regis Persarum a se feliciter curatum non neglexisse.

Tertium argumentum, quo Krügerus usus est ad Anabasis tempus definiendum, ex eo genere est quod in summa argumentorum inopia adhiberi solet: est enim ex scriptoris silentio petitum. „Etenim" haec sunt Krügeri verba „quod tam obscure de auxilio, quod Lacedaemonii Cyro miserant, loquitur (quo etiam narratio de Clearcho pertinet, recte, ut opinor, iudicata ab Hakeno Xen. u. d. Zehnt. Gr. I, p. 267 sq.) id prodere videtur, haec eo tempore scripta esse, quo Lacedaemoniorum interesset regem Persarum amicum habere, quod Ol. 102, 1 subiicit". Anno autem 371 Xenophon in Hellenicis (VI, 3, 3) omnes Graecas civitates narrat pacem inter se fecisse, solos Thebanos ex foedere esse exclusos; Diodorus (XV, 50) addit Persarum regem eius pacis fuisse auctorem. Permultum ergo, ut Krügero, iisque, qui eum sequuntur, videtur, Spartanorum intererat, ut regem Persarum sibi amicum haberent: Xenophon quoque in ea re cavere volebat ne iis, quae scriberet, patronis suis noceret: quidquid ergo Regis adversus Spartanos iram movere posset in libris suis, eo tempore editis, reticebat. Hic primum illud admonendum videtur, iam ante pacem Antalcideam regis Persarum gratiam summi fuisse Spartanis pretii: ea enim pax, Rege ad Spartanorum partes perducto, totam Graeciam in illorum redigebat potestatem; pacem anno 371 factam Spartanis quam Atheniensibus utiliorem fuisse non apparet [1]), et quae in ea componenda Persarum regis partes fuerint prorsus ignoramus.

Sed videamus quid tandem Xenophon de industria reticuisse et dissimulasse credatur? Narrat Diodorus (XIV, 19) haec: „Cyrus legatos ad Spartanos misit, qui eos admonerent beneficiorum, quae in bello cum Atheniensibus a se

1) Contrarium affirmare videtur Demosthenes, qui (κατ' Ἀνδροτίωνος p. 595) de ea pace, ad Athenienses verba faciens, haec dicit εἰρήνης ἐτύχετε ὁποίας τινὸς ἐβούλεσθε.

accepissent, eosque ad belli societatem invitarent; Spartani autem, rati sibi Cyri cum fratre bellum utile fore, Cyro opem ferre decreverunt, et statim ad classis suae praefectum Samum legatos miserunt, qui eum iuberent facere, quidquid Cyrus imperasset.... Miserunt etiam pedites octingentos duce Chirisopho". Horum nihil habet Xenophon. Metuebat scilicet, ne sua Anabasis in Persarum regis manus perveniret, isque cognito Spartanos *publice* Cyro auxilium misisse, consilium Spartanis in pace facienda favendi mutaret. Quasi vero non plus viginti annis antea Spartanos hostes expertus esset Rex. An credibile est, Tithraustem quidem satrapam Regno metuisse, et ideo Graecas civitates auro permovisse ad bellum Spartanis inferendum, ut Agesilaus copias ex Asia deducere cogeretur, ipsum Regem Agesilaum et Spartanos non suos sed satraparum cuiusdam hostes putasse? (v. Hell. III, 5, 1). Sed omnino illud argumentum ex silentio in Xenophonte, qui tot res gravissimas negligit, infirmum est, hic vero infirmissimum. Mihi quidem ea, quae Diodorus l. c. narrat, a Xenophonte multo magis incuria praeteriri, quam consulto dissimulari videntur. Ad finem enim expeditionis contra regem susceptae properat, quo citius ad eam rem perveniat, cuius causa librum scribere coepit, i. e. ad copiarum ex media Asia reditum, eiusque pericula et casus ancipites.

Unum ergo restat indicium, quod non Krügerus aliusve vir doctus primus observarit vel excogitarit, sed quod nullum unquam Xenophontis lectorem fugerit. Ipse enim Xenophon dicit, sibi quum ad Seuthem proficisceretur nullosdum fuisse liberos (L. VII, 6, 34), in describendo vero praedio suo Scilluntiano filios suos ibi venari solitos narrat. Haec ergo scribere non potuit ante vigesimum annum postquam imperium copiarum suarum Thibroni tradidit: et aliquanto accuratius Nitschius (Abfassung der Hell.) firmis-

simis argumentis tempus definit. Rectissime enim negat Megabyzum belli tempore Olympia spectaturum in Graeciam venisse; quumque prima post pacem Antalcideam Olympia a. 384 celebrata sint, ad hunc ipsum annum Megabyzi iter refert. Ergo templum Dianae cum agro adiacenti non potuit ante annum 383 consecrari: quum autem de festis anniversariis *iam aliquoties celebratis* Xenophon loquatur, locus de quo agimus ante annum 380 scriptus non est. Minime tamen probabile est, Scilluntianum praedium ludosque in Dianae honorem ibi celebrari solitos a Xenophonte accurate esse descriptos, quum iam Eleorum irruptione eiectus esset: ex tota enim illa narratione scriptorem satis apparet fortunatum esse agri Deorumque cultorem, cuius vita quieta et secura nullisdum turbata sit bellis hostiumque minis. Fidenter igitur statuemus, Xenophontem de vita sua rustica, honoribusque a se Dianae habitis in Anabasi retulisse post annum 380, sed ante annum 371.

Ergone Anabasin viginti minimum annis post Cyri expeditionem periculaque in reditu a Xenophonte eiusque militibus tolerata scriptam esse censeamus? Hoc quoque ut credam non facile adducor. „Quid ergo" lector ait „unicumne temporis indicium, quod certum et perspicuum esse concesseris, negligamus, an hunc quoque locum, qui est de praedio Scilluntiano spurium et insiticium esse putemus?" Minime vero! Sed hoc indicium ad alteram tantum Anabasis partem pertinet, in priore parte nil invenitur, quod tam sero eam scriptam esse significet. Contendo enim Anabasin non uno eodemque tempore a Xenophonte scriptam editamque esse, sed tres posteriores libros multis annis post priores esse evulgatos. Cuius opinionis tria mihi videor habere argumenta:

1. Librorum priorum quatuor consilium.
2. Discrepantiam quae est inter priorem partem alteramque.

3. Id quod in Xenophontis Historia Graeca de Themistogene Syracusano narratur.

1. Anabasis quatuor libri priores, ut summa sermonis elegantia, ita et maxima simplicitate conscripti sunt. Quid Cyri socii Graeci gesserint, quid iis acciderit, quo modo salvi ad Pontum Euxinum pervenerint, omnibus remotis ambagibus exponitur. Si quaeris quid sit eorum argumentum, duas res indicare satis est: Persarum insidias et pericula a Barbaris intentata. Nam primus liber nihil fere est quam ad earum rerum descriptionem praefatio. Raptim quae fuerit Cyri cum fratre belli causa designatur; quomodo exercitum Graecum duces, quibus ea res mandata erat, contraxerint, paucis verbis exponitur: qua via profecti sint ita narratur, ut praeter nomina urbium, quodque esset inter eas spatium vix quidquam lector cognoscat; ipsius proelii narratio eiusmodi est ut, quamquam nihil desit, tamen nihil abundet. Tres tantum res sunt, quibus scriptor paulo diutius immoretur: militum tumultus a ducibus sedati, Orontae proditoris condemnatio, Cyri demortui laudatio. Ubi vero librum secundum legere coepisti, agnoscis scriptorem eo pervenisse, quo properabat. Atque liber quidem secundus totus repletus est artium et fallaciarum narratione, quibus Rex et Tissaphernes conati sunt exercitum. Graecorum in suam potestatem redigere: accurate describitur, quo modo Clearchus eiusque collegae eorum consilia perspexerint et evitarint, qua tandem perfidia duces lochagique Graeci inermes in Tissaphernis manus venerint necatique sint. Libro tertio quartoque exponitur, quo modo per barbarorum regiones exercitus, imprimis Xenophonte duce iter fecerit. Qui factum sit ut ad imperium perveniret Xenophon, quibus Deorum signis sit vocatus, quomodo primum duces, deinde milites adhortatus sit eorumque animos auxerit, quomodo exercitum armaverit, ad immi-

nens quodque periculum instruxerit, quidquid deesset suppleverit lector docetur. Primaria vero pars narrationis de proeliis cum barbaris agit, in quibus sustinendis ducum militumque sed praesertim Xenophontis et Chirisophi labor cernitur. Laetiora quoque his periculis intermiscentur: ioci, quibus se invicem dux Atheniensis et dux Spartanus petunt, ridiculi nonnullarum gentium, quae sine proelio transitum dederunt, mores, Graecorum cum illis gentibus convictus et amicitia, copiarum conspecto mari ingens laetitia; et aptissime harum omnium rerum narratio clauditur ludis cum summo gaudio risuque celebratis.

Non nego equidem hos libros nostro etiam tempore lectu iucundissimos esse: sed nemo scriptor, ut opinor, ne is quidem, cuius liber *κτῆμα εἰς ἀεί* futurum sit, alios lectores cogitare potest, quam suos aequales. Illos ut doceat exhilaretque scribendi capit consilium. Quos autem lectores Xenophontem ante oculos habuisse censeamus prae iis, qui secum in periculis fuerint socii, qui suo ductu rem gesserint, easdem viderint regiones, montes, flumina, eosdem populos cognoverint, eosdem iocos audierint, in iisdem ludis certarint? Num ergo probabile est, Xenophontem per viginti annos illarum rerum narrationem domi suae reconditam habuisse (nam ante illud spatium *scripsisse* iis quoque videtur, qui Krügeri rationes probant. Roquettius saltem p. 63 non simul Anabasin compositam et evulgatam censet), tum demum in lucem edidisse quum iam magna commilitonum pars diem supremum obiisset?

2. Multo autem facilius mihi persuadeo veram esse hanc de Anabasi opinionem, si posteriores libros cum prioribus comparo. In prioribus libris Xenophon ipse is est, cui se confidant omnes, cui ex collegis nemo adversetur, qui gravissimum suum officium bona spe et maximo ardore exsequatur, optima de se ducum militumque opinione fretus:

quoque in agendo fuit ardore, eodem est in scribendo. Quavis pagina sentis eum scribere coepisse, simulatque post bellum requies data esset, eo tempore quum etiamtum in eius mente vigerent et ante oculos starent pericula superata, proeliaque commissa. In altera vero parte is loquitur cuius famam iam attriverint rumores, nati ex inimicorum criminationibus, quibus ab adventu Trapezuntem usque ad exercitum Thibroni traditum fuerit expositus. Illa autem crimina eorumque defensionem minime necessarium erat statim post expeditionem memoriae mandare: non hoc cupiebant qui itineris reditusque fuerant comites. Sed tum ea scriptoris defensione opus erat, quum iam aliquamdiu exsul e patria fuisset et in peregrina terra vixisset, popularium suorum vicinorumque obnoxius calumniis; facillime vero intelligimus, tum eum omnem a se invidiam removere voluisse, quum iam sperare coepisset, se aliquando cum patria sua in gratiam rediturum. Ergo quae iam in Thracia Pontoque sibi fuerint inimicitiae subeundae, quoque modo eas repulsaverit, tam accurate describit ut interdum praesens adesse tibi videaris in iudicio de scriptoris capite. Res a se gloriose, plaudentibus omnibus qui aderant, gestas non possum credere Xenophontem eodem tempore literis mandasse, quo sua cum invidis adversariis certamina. Libros autem V—VII scriptos esse, quum Xenophon iam multos annos Scillunte vixisset, ex una re demonstrari potest, quam hic exposuisse non inutile erit, etiamsi mea de Anabasi in duas partes dividenda opinio improbetur. Nullum tota Peloponneso populum Spartani magis despiciebant, contemnebant, deridebant quam Arcades, iam eo tempore, quo mercede conducti Spartanos in bellum sequebantur, vel spe praedae cum illis in aliarum gentium regiones incursiones faciebant (cf. Hell. III, 2, 26), sed multo magis etiam postquam tollere caput coeperunt, disiectas urbes suas in

unam Rempublicam contrahere, et in bello contra Spartanos Thebanis auxilium ferre. Atque illud odium Xenophonti cum Spartanis et fautore suo Agesilao commune est: inspicias modo Historiae Graecae librum VII passim. Verisimile autem non est, eum illud odium suscepisse, priusquam satis diu in Peloponneso habitasset, ut et discere posset, quae esset Spartanorum adversus alias gentes sententia, et ipse vicinorum Arcadum mores incultos asperosque cognitos haberet. Accedit, quod nulla erat causa, cur Spartani vel Laconistae Arcades magnopere curarent, quum etiam propter divisionem infirmi essent: poterant tum eorum paupertatem despicere et ingenii tarditatem ridere. Acerbissimum vero in eos odium exstitisse credibile est, postquam cognitum est eos, quo melius hostibus resisterent, consilium cepisse vires suas colligendi, id est non multo ante annum 371. Nullum enim odium acrius est quam quod cum metu sit coniunctum. Inspice nunc locos, quibus in Anabasi sermo est de Arcadibus: Spartanorum gratia scriptos dices.

L. VI, 1, 30. Agasias Stymphalius Spartanorum hegemoniae invidet, deque eorum nimia arrogantia queritur.

L. VII, 2, 9 sqq. [Achaei et] Arcades a ceteris copiis secedunt. Totius autem ab iis habitae orationis sententiam melius etiam perspicies, si cum Hugio leges: .... *'Αθηναῖον Πελοποννησίων καὶ Λακεδαιμόνιον.* Tum enim ea oratio simillima erit ei, qua (Hell. VII, 1, 23) utitur Lycomedes Arcas: nam hic quoque primas partes victoriarum, quas vel Spartani vel Thebani reportarunt, popularibus suis vindicat.

L. VII, 3, 23 lepidissima legitur narratio de voracitate Arystae Arcadis, nec negligendum, eam sic incipere: *Ἄρκας δέ τις 'Αρύστας ὄνομα.*

Arcades virtutem et gloriam post nummos habere testificantur verba, quae VII, 6, 39 sq. leguntur, ubi alius quidam

Arcas Eurylochus a novis ducibus postulat τοῦτο πρῶτον ἡμῶν στρατηγῆσαι, παρὰ Σεύθου ἡμῖν τὸν μισθὸν ἀναπρᾶξαι ἢ ἑκόντος ἢ ἄκοντος, καὶ μὴ πρότερον ἡμᾶς ἀπαγαγεῖν.

Manifestissimum vero deprehenditur Arcades exagitandi consilium VII, 6, 8, ubi in militum contione, postquam Thibronis legatorum conditio militibus nuntiata est οἱ στρατιῶται ἄσμενοί τε ἤκουσαν, καὶ εὐθὺς ἀνίσταταί τις τῶν Ἀρκάδων τοῦ Ξενοφῶντος κατηγορήσων.

3. Nemini ignotus est locus ex Historia Graeca III, 1, 2, ubi Themistogenes dicitur scripsisse, quo modo Cyrus exercitum collegerit, cum eo exercitu ad bellum cum fratre gerendum sit profectus, quo modo proelium sit commissum, postremo quo modo Graeci salvi ad mare pervenerint. Quam brevissimus de eo loco esse conabor, ne plus quam opus est augeam ingentem numerum paginarum, quae iam de Themistogene sunt conscriptae, et primum dicam mihi fictum nomen videri. Affertur quidem locus ex Suida, ubi Themistogenes dicitur scripsisse Κύρου ἀνάβασιν ἥτις ἐν τοῖς Ξενοφῶντος φέρεται καὶ ἄλλα τινὰ περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος, sed nimium mihi videntur Suidae tribuere viri docti, qui iis verbis freti Themistogenem revera exstitisse affirmant. Equidem multo lubentius credam Suidam, quo nemo est grammaticorum ineptior, de Themistogene aliquid annotare voluisse, praeter id quod omnibus notum esset, sed quum ex nullo scriptore quidquam cognitum haberet, de suo id commentum esse, quod cuivis in mentem venire posset. Quid enim facilius est quam, quum de historico aliquo, cuius nil nisi nomen noris, aliquid dicendum est, eum „nonnulla de patriae suae historia conscripsisse" coniicere. Sed fuerit sane olim inter historicos quidam Themistogenes nomine, num eo fit probabile, illum Cyri expeditionem scripsisse, eamque nostro loco a Xenophonte citari? Ita quidem iudicat Morus (in editione

Historiae Graecae 1778) postque eum multi etiam nostro tempore viri docti; nam quamquam Mori opinio de Xenophonteae Anabasis tempore reiecta est, ex quo constat non uno eodemque tempore Historiam Graecam esse evulgatam (censet enim Morus Anabasin scriptam esse, *absoluta iam et edita* Historia Graeca), tamen multi etiam nunc eius de duplici Anabasi sententiam defendunt, inter eosque Schenklius (Xenophonteische Studien I, p. 636 sqq.), qui Xenophontis Anabasin post a. 371, tertium Historiae Graecae librum ante eum annum scriptum esse contendit. Mihi autem ea opinio prorsus improbabilis videtur: aut enim Themistogenis Anabasis Xenophonti non placebat: quid ergo eam citavit? aut placebat: quid ergo ipse postea denuo eandem materiem sibi tractandam sumpsit? Nam si Themistogenis Anabas is a Xenophontea fuit diversa, eam nominando haud leviter laudabat. Etenim et Sophaenetum Stymphalium Anabasin scripsisse constat: eam iam multo ante librum tertium Historiae Graecae fuisse absolutam liquet, nam expeditionis tempore Sophaenetus erat ducum natu maximus (An. V, 3, 1; VI, 5, 13). Hanc autem, quamquam ab oculato teste scripta erat, Xenophon silentio praeterit; aliam laudat, scriptoris nomen addit, quid ea contineatur breviter indicat. Profecto egregius ei scriptor Themistogenes visus est, praesertim quum sine narrationis detrimento tota eius libri mentio abesse potuisset! Quid ergo ipse Iliadem cecinit post Homerum?

Itaque eo redit res, ut sub Themistogenis nomine suam Anabasin Xenophon ediderit: quod autem ψευδώνυμος ille Themistogenes scripsit quatuor prioribus Anabasis libris continetur; eaque res, ut mihi quidem videtur, meam sententiam de hac Anabasis parte separatim edita haud leviter confirmat. Quod autem Schenklius dicit, non eo modo Anabasin scriptam esse, ut quis scripserit latere possit, de ea re

ego ita iudico. Tres libri posteriores, ut iam saepius observavi, fere toti repleti sunt orationibus et defensionibus, quas Xenophon adversus inimicorum calumnias habuit; suam ipse causam agit apud aequales posterosque. Atque eam quidem partem eiusmodi esse, ut ineptus fuisset scriptor, si se quocunque modo latere posse putasset, lubenter Schenklio assentior. Aliter se res habet in libris quatuor prioribus, dummodo hoc observemus, duplicem causam esse, cur scriptor aliquis suum nomen reticeat, alienum inscribat. Aut enim id vult efficere, ut nemo cognoscere possit se scriptorem esse, sive metu, sive pudore ductus; hoc autem raro fit. Aut, quod multo frequentius accidit, ea fictione tamquam artificio quodam utitur, eiusque rei mihi ipsa Anabasis egregium esse videtur exemplum; qui enim legit: ἦν δέ τις ἐν τῇ στρατιᾷ Ξενοφῶν Ἀθηναῖος, quamquam scit Xenophontem ipsum libri auctorem esse, hoc sibi dissimulare cogitur; quae quum dissimulatio a nullo trium posteriorum librorum lectore iure postulari possit, vel hanc unam ob causam eos cum quatuor prioribus male cohaerere et post illos compositos credo.

Sed nondum Themistogenem nostrum missum facio. Ridemus nunc, reputantes unquam de Anabasis, quam nos habemus, auctore dubitatum esse: tamen tantas turbas miser iste Themistogenes dedit, ut olim multi viri docti eam a Xenophonte abiudicarent. Quin etiam hoc affirmare licet, recenti demum aetate inter omnes constare, cui elegantissimum et suavissimum librum debeamus. Etiam Petrus Wesselingius, ut unum nominem, ad Diodorum Siculum 14, 19 Not. 40 de Anabasi annotat: „Si tamen Xenophon libri auctor est". Nemo autem pertinacius obstitit, quominus Anabasin Xenophonti tribueremus, quam Usserius (Annal. p. 125 ; ed. Lond. p. 233). Is enim affirmat multas res in Anabasi ita narrari, ut certent cum locis quibusdam ex genuinis Xenophontis

libris. Eas tamen res enumerare supersedet: tam certa ei stat sententia. Morus ergo in Historiae Graecae editione coniectando duas Usserii ἀπορίας repperisse sibi videtur, unam addit Schneiderus (uterque ad H. Gr. III, 1, 1). Equidem istas nugas non morarer, nisi mihi viderer unam discrepantiam melius tollere posse quam antehac factum sit.

Classis a Spartanis auxilio Cyro missa in Historia Graeca Samium (apud Diodorum Samus vocatur), in Anabasi (1, 4, 2) Pythagoram ducem habet. Rem ita explicat Morus ut dicat, Pythagoram postea missum esse, quum iam Samius cum paucioribus navibus in Asia esset. Falso, ut opinor: inspice modo locum in Anabasi, facile apparebit ex articulo αἱ, nullam antea a Spartanis classem missam esse. Itaque aliud quid ego suspicor, et difficultatem ita removeo, ut de uno tantum duce, Pythagora nomine, cogitandum esse censeam: ad eius autem nomen stupidum librarium, qui sibi tamen doctus videretur, Σάμιον adscripsisse, idque nomen in Historia Graeca et apud Diodorum alterius locum obtinuisse. Ridiculus fortasse quibusdam lectoribus videbor: tamen, si qua difficultas in eo versatur, quod idem munus apud eundem scriptorem modo Pythagorae, modo Samio tribuitur, non possum non de tali librarii oscitantia cogitare. Neque ea tam incredibilis est quam videtur: non enim multo minus stupidus fuit, qui in Anabasi (III, 4, 15) ad Σκύθαι adscripsit τοξόται, vel qui apud Livium (23, 39) Heraclitum Philippi legatum cum philosopho eiusdem nominis confudit, annotavitque: „cui cognomen Scoteino datum est".

Verum coniectura mea de Anabasi in duas partes, diverso tempore editas, dividenda rationem me habere cogit quaestionis cuiusdam, quae cum illa artissime cohaeret. Eam ergo sequenti capite tractabo.

CAPUT TERTIUM.

De particulae μήν apud Xenophontem usu.

Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, commune quoddam vinculum habere, nunquam magis perspicuum fuit quam nostra aetate. Quicunque enim disciplinis operam dant, quum omnino in demonstrandi ratione non multum inter se differant, tum duabus praesertim rebus mirum in modum consentiunt. Quarum altera est, quod omnes nunc physicos medicosque imitantur, qui iam olim instrumenta sibi facienda curarunt, quibus id discernerent, quod humanum visum effugeret: nulla iam disciplina est, in qua non *τὸ τὰ μικρὰ σκοπεῖν* plurimum valere existimetur; ergo quod a maioribus negligebatur et contemnebatur nunc summa cura protrahitur, colligitur, asservatur: nullum tam tenue indicium est, quo non aliquando se uti posse viri docti confidant. Altera res est quod diversissimarum artium studiosi saepius eadem arte socia utuntur, cuius nunc nomen in summo honore est; „statistica" enim appellatur: quamquam parum recte ei hoc nomen datur, nam in numerando magis quam in ponderando versatur. Ea ars quid sibi velit minime opus est hic docere:

novimus omnes quotquot vel librorum, qui ad eam pertinent, folia aspeximus, loculorum in modum divisa et numeris repleta, vel decantatum audivimus proverbium „numeri loquuntur". Atque microscopica quidem ratio cum statistica saepissime in unum coalescit: minutissimas enim quasque res summa diligentia conquirere, ordinare, in genera speciesque distribuere, ea demum vera sapientia putatur. Philologiam autem „efficaci" illi „scientiae" lubenter manus dare, non est quod miremur: quae enim nunquam indoctorum et semidoctorum curarit cachinnos, τὸ μιν ἠδὲ τό νιν contemnentium, dummodo grammaticae leges certas et firmas statueret, et in veris lectionibus indagandis literarum apices accuratissime observarit, eam ab usitata via non multum opus erat deflectere, ut cum ceteris disciplinis una ambularet; et quamquam negari non potest, multos saepe nova ratione absurdum in modum esse abusos, neque prorsus concedimus revera numeros loqui — muti enim saepe numeri et sunt et esse debent, neque unquam eos patiemur nobis quidquam persuadere, quod non suapte natura sit probabile — tamen, quoniam τὸ ζητούμενον ἁλωτὸν esse experti novimus, non infitiabimur, nonnunquam et illos philologos, qui usum grammaticum numerando, ordinando, digerendo explicare conati sint, aliquid repperisse quod studiis nostris haud inutile fuerit; cuius inventi, licet credamus non semper opus fuisse infinito labore, quem illi impenderint, sed tribus quatuorve locis classicis prudenter electis, saepe haud minus bene idem demonstrari potuisse, tamen meritam laudem iis minime denegabimus.

In eiusmodi autem inventis haud dubie primarium locum obtinet id quod Tychoni Mommseno debemus: is enim felicissime observavit, deinde incredibili labore et industria statuit, postremo in programmatis nonnullis Gymnasii Fran-

cofurtani demonstravit, id de quo ante eum nemo cogitaverat, praepositionem σύν a nonnullis scriptoribus, oratoribus praesertim, sedulo et de industria vitari. Ne quis autem censeat, prorsus vanam et nullius pretii eam observationem fuisse, testem citabo virum mihi amicissimum Lehmannum de Lehnsfeld: is enim in commentatione de oratione ad Demonicum (L. B. apud S. C. van Doesburgh 1879), — quam ut legant omnibus auctor sum, qui aliquem librum scriptori, cui vulgo tribuitur, vel abiudicare vel vindicare volunt: nemo enim, me iudice, ad eiusmodi quaestionem tractandam absolvendamque accuratius omnia argumenta collegit, aestimavit, adhibuit, nemini rectius singularis et rara laus tribui potest controversiae philologicae diremtae sublataeque — Lehmannus ergo quum nihil omitteret, quod in disputatione de orationis ad Demonicum auctore alicuius esse momenti videretur, Mommseniani quoque inventi rationem habuit, neque solum rationem habuit, sed ex omnibus argumentis suis nullum gravius iudicavit quam id, quod ex praepositionis σύν usu sumeret afferretque.

Post Mommsenum exortus est v. cl. Dittenbergerus, qui rem, non minus inauditam antea, philologos doceret, eiusque observatio maxima laetitia accepta est ab omnibus, qui Graecas literas amant: habet enim magnam cum Mommseniana similitudinem, sed multo maiorem utilitatem afferre videbatur. Nam non peculiare quoddam nonnullorum scriptorum studium indicavit Dittenbergerus, sed tamquam instrumentum repperisse sibi visus est, quo nullius non libri, pedestri sermone Attico scripti, tempus statui posset. Quis autem eo reperto non impense gauderet, quum praesertim illud ad Platonicorum dialogorum ordinem chronologicum definiendum primum inventor adhibuerit? Quid autem Dittenbergerus repperisse sibi visus sit, et demonstrare sit

conatus, si quis etiam ignorat, tribus verbis dici potest: „particula μήν in antiquissima prosa Attica nusquam legitur: satis sero ea scribi coepta est, sive sola, sive cum alia particula iuncta; recentissimus vero eius usus hic est, ut particulae μήν particula γε anteponatur. Magnopere et res et auctor philologos movit: post Dittenbergeri enim in Herme (vol. XIV) disputationem nemo de ullius libri tempore vel scriptore iudicare ausus est, quin particulae μήν censum ageret. Mihi quoque quum tetralogias ab Antiphonte scriptas esse defenderem (studia Antiphontea p. 38), non minus dubitationem movit unus locus qui οὐδὲ μήν habet, quam praepositio σύν, qua in ceteris orationibus Antiphon abstinet, bis in tetralogiis lecta.

Quo autem argumento Dittenbergerus usus est ad statuendum, quo ordine Platonis dialogi scripti essent, idem in tempore librorum Xenophonteorum definiendo adhibuit Roquettius in egregia dissertatione de Xenophontis vita. Sed, quod Dittenbergerus tantummodo attigerat, id Roquettius perfecisse dicendus est. Non enim solum omnes locos, quibus apud Xenophontem particula μήν legitur numeravit, numerosque suos ita legentium oculis subiecit, ut simul appareret, quoties γε μήν, quoties ἀλλὰ μήν, καὶ μήν, οὐ μήν, ἦ μήν in singulis scriptis inveniretur, sed ea viri, de literis nostris optime meriti, fuit industria, ut et omnes alias particulas, quibus Xenophon usus est, conquireret, in γε et δέ tantum intra scriptorum minorum limites subsisteret. Tabulae autem, quas ita Roquettius composuit, praesertim ea, quae ad particulam μήν pertinet, non possunt non maximi videri momenti: permulta enim in ea licet observare, quae haud dubie scribendi rationem a Xenophonte sensim immutatam indicare videantur. Ab uno enim alteroque libro particula μήν, in ceteris frequentissima, prorsus abest; sunt in quibus nunquam γε

μήν legatur; eadem particula libri paucarum paginarum abundant, quae in multo longioribus scriptis est rarissima. Quis non talia videns audiensve, se certissimum quoddam indicium tenere putet, quo suum cuique libro Xenophonteo locum assignet? Me tamen, si non coniectura mea de Anabasi bipertito edita accuratius novum hoc argumentum aspicere iussisset, Teichmülleri coegisset auctoritas. Is enim (in altero volumine praestantissimi libri de litibus literariis) non solum eo pretium Dittenbergeriani inventi magnopere minuit, quod dicit (p. 25), subtiles eiusmodi observationes per se non habere τεκμηρίων vim, sed tum demum aliquid valere, si aliis argumentis, ex ipsius libri, de quo agitur, consilio accedant; verum etiam de tota statistica ratione prudentissimum fert iudicium. Negat enim verum esse, quod omnes in ore habeant, de loquentibus numeris proverbium: mutos enim numeros esse: singulos locos unde componantur interrogandos esse, ita demum vocem aliquam elici posse. Feci ergo quod Teichmüllerus suasit: Anabasis primum, deinde Memorabilium omnes locos collegi, ubi μήν positum est, de illorum locorum sententia mecum cogitavi, in quibus librorum partibus legerentur observavi, nihil neglexi, quod me reputantem, deliberantem, comparantem aliquid docere posset, donec tandem id tenerem, quod mihi satisfaceret certumque videretur. Atque vereor quidem proloqui sententiam meam: videbor enim aliquid honoris detrahere ei doctrinae, quae nunc maxima et fere sacrosancta putetur, sed pluris facienda veritas quam aliorum, etiam summorum virorum reverentia. Persuasi mihi, neque mihi poteram non persuadere, *particularum istam collectionem nullius pretii esse, et Roquettium tabulis suis componendis* — nam de Dittenbergero eiusque de Platone disquisitionibus nihil definire audeo — *operam perdidisse.*

Iure ergo a me petitur ut exponam, quo modo quibusque

rationibus ductus eo pervenerim, neque id quam potero accuratissime narrare recusabo. Atque in ceteris quidem particulis brevissimus esse possum. Quis enim a me postulabit, ut demonstrem, nihil nostra interesse, utrum sciamus an ignoremus, in prima parte Hellenicorum, quae est 35 paginarum, non plus quam 15es οὖν legi, quum eadem particula in 114 paginis, quibus Memorabilia constant 277es, in Convivio, libello 29 paginarum etiam 75es inveniatur? Quis contendet ullum temporis indicium in eo inesse, quod Convivium (29 paginae) 50 locis particulam δή habet, Cyropaedia (254 paginae) 420 locis, Hiero (19 paginae) 25 locis, sed Hellenicorum pars prima (35 paginae) non plus quam 7 locis? Quid nos docere potest particulae τοι in Convivio et Oeconomico maxima frequentia: in his enim libellis, quorum hic 29 paginas habet, ille 56, ea particula in altero 43es, in altero 64es legitur? Quid eiusdem particulae in prima Hellenicorum parte et Cynegetico summa raritas: in utroque enim libro ter scripta est, quum alter sit 35, alter 29 paginarum? Estne aliquis qui, quaerens quo ordine libri Xenophontei scripti sint, curet quoties in singulis reperiatur γε, περ, τε, δέ, quasi ea res ad hanc quaestionem dirimendam quidquam conferre possit? Neque quisquam credet aetatem scriptoris, tempusque, quo scripsit, in causa esse, quod in nonnullis brevioribus libris nusquam legatur δήπου, ἆρα, αὖ, quorum primum in Memorabilibus 15es, alterum in Anabasi 11es, tertium in Cyropaedia 95es sit positum.

Sed de particula μήν brevis esse nec possum nec volo. Eiusmodi enim Roquettii tabula est ut nemo, qui eam nonnisi oculis cognoverit, dubitare possit, quin utilissima sit ad eam rem statuendam, cuius causa Roquettius composuit. Itaque mihi, qui nihil ei tribuam, ratio reddenda est, quomodo meum iudicium informaverim.

Initium ergo inde sumpsi, quod mecum ita ratiocinabar: particulae μήν frequentia, si alicuius est momenti in singulis scriptis inter se comparandis, statuendoque quid primum, quid deinde, quid postremum sit compositum, non minus valere debet, quum eiusdem libri partes inter se conferantur. Satis enim temporis consumptum est in libro paulo longiore conficiendo, ut interea scriptor eandem particulam vel vitare, vel saepius adhibere coeperit. Et quoniam inter priorem posterioremque Anabasis partem scriptam multos annos intercessisse coniiciebam, de Anabasi primum inquirendum erat: recte enim me iudicasse, ita quoque credebam demonstrari posse, si in posteriore parte quam in priore particula μήν multo esset frequentior. Ecce autem, quae se mihi, ea quaestione instituta, obtulerit tabula. Paginas, quibus particula μήν legitur ex Hugii indicavi editione (Teubner 1878).

	Lib. I. pag.	II. pag.	III. pag.	IV. pag.	V. pag.	VI. pag.	VII. pag.
γε μήν	35. 36				164		228. 232. 238
καὶ μὴν — γε	26		73				240
ἀλλὰ μὴν — γε	35	60. 60	81. 95		161. 166. 199		237. 240
οὐ(δὲ) μὴν — γε	38. 39	56					229. 231
ἦ μήν		53. 53				175. 195	238. 242

Cognosce nunc, quam absurdam rem statistica duce possimus demonstrare. Primi omnium scripti sunt Libri IV et VI: ii enim nunquam μήν habent, nam ἦ μήν, ex iurisiu-

randi formula, dici potest ad nostram quaestionem non pertinere. Secuti sunt II et III, qui satis raro, id est ter, et V, qui paulo frequentius, i. e. quater, ea particula utuntur. In libro primo iam non rarus esse dici potest particulae usus, sexies enim ibi legitur: hic ergo liber paulo ante septimum scriptus erit, qui septies *μήν* habet. Possis et ita rem considerare: Xenophon, quum Anabasin scribere coepisset, non abhorrebat a particula *μήν*: sensim eam vitare didicit; quum secundum et tertium librum scribebat iam satis sibi constabat; felicissime ei successit in libris quarto et sexto, sed in quinto semel iterumque sui consilii oblitus est, in septimo tandem vitiosa consuetudo renata est, et ad pristinam vim rediit. Quod non multo minus ridiculum est.

Ecce altera ex Memorabilibus tabula. (Paginas editionis Teubnerianae a. 1856 citavi).

	Lib. I. pag.	II. pag.
γε μήν	23. 29	
καὶ μὴν — γε	25. 29. 30	44. 47. 48. 49. 50. 58. 58. 61. 65. 65. 66. 68
ἀλλὰ μὴν — γε	2. 3. 6. 7. 18. 28. 32	56. 58. 61
οὐ(δὲ) μήν	6. 6. 10. 18	

Si quem Roquettii tabulae movent, ei non potest fieri, quin et mea persuadeat, id est: obstare non potest, quominus ad ineptissimas res credendas adducatur. Magni enim ei momenti videri debet, quod particula *μήν* in libro *quarto*

ita tantum adhibetur ut ἀλλά addatur (quae semper est usitatissima iunctio), in secundo nunquam legitur, quin aut καί aut ἀλλά praeponatur, in libro tertio accedit μήν praecedente γε, in primo iam nullis est circumscriptus finibus particulae μήν usus. Ergo inde conficiet Memorabilia hoc ordine scripta esse, ut omnium sit antiquissimus liber quartus, huic postea sint additi secundus tertiusque, postremo primus accesserit. Tamen ea Memorabilium natura est, ut facile credi possit, non paulo sed aliquot annis post primum scriptum esse librum quartum: sensim enim puto Xenophontem dicta et colloquia dilectissimi magistri, prout quodque ei in mentem veniret, literis mandasse. Quodsi quis defendet, tamen una esse edita, ne hoc quidem opinionem meam magnopere infirmabit. Nam etiamsi Xenophon, quae diversis temporibus conscripsit, omnia simul publici iuris

III. pag.	IV. pag.
85. 90. 92. 99	
71. 75. 76. 78. 81. 87. 94. 99. 101. 101. 102	
70. 72. 74. 78. 78. 89. 94. 95. 97	118. 119. 120. 123. 123. 127. 132. 141. 142

fecerit, et ergo iis paucorum dierum spatio ultimam limam adhibuerit, tamen absurdum est credere, eum tam diligentem fuisse, ut particularum numerum pro tempore libri editi vel augeret vel minueret. Quod ergo ipsa rei natura docet,

non patiemur nobis quibuscunque tandem tabulis eripi. Neque hoc me magnopere movebit, si quis obiiciet, iniuria me Anabasin et Memorabilia in libros divisa spectasse: eam enim divisionem non Xenophonti sed sero natis grammaticis deberi. Nam multo absurdiora etiam ex tabula mea animi causa demonstrare possim, si Anabasin ita considerem, ut de libris non cogitem et sic rem agam:

Quinque sunt paginae (35—39), quibus *μήν* satis frequens est, quinquies enim ibi legitur, nec rarissimum est octo paginis (53—60) ubi ter, et novem paginis (161—169) ubi quater invenitur. Si vero multo maiorem partem Anabasis spectes, quae inter initium finemque medium locum occupat, tam rara *μήν* particula est, ut facile credas sedulo et de industria Xenophontem ab ea abstinuisse, quae pars quum sit 168 paginarum (60—227) sexies *μήν* habeat. Eodem argumento suspiceris, multo post praecedentia additas esse 18 paginas ultimas, ubi *μήν* frequentissimum esse vere dici possit. En quo te ducat statistica!

Quodsi quis me roget, num casu factum esse credam id, quod, si tabulas statisticas obiter adspiciamus, tam certum videatur mutatae scribendi rationis indicium, non magis hoc respondeam mihi fortuitum videri, quam quod substantiva *ἀνήρ, γυνή, πατήρ, μήτηρ* interdum per longam seriem paginarum nusquam inveniantur. Cum illis enim substantivis hac in re particulae multo melius comparantur quam cum praepositione *σύν*, et vera Mommseni observatio cum Dittenbergeri computatione nihil commune habet. Nam si quis Graece dicere vult, quod Latine est „cum patre", non minus rectum est *σὺν τῷ πατρί* quam *μετὰ τοῦ πατρός*: utrumque enim prorsus idem significat, ne umbra quidem differentiae est. Plerique ergo scriptores saepissime hac, saepissime illa praepositione utuntur: sin vero ducenties trecentiesve

apud eundem scriptorem *μετὰ* legatur, numquam *σύν*, non solum credibile est, sed certissimum eum hanc vocem de industria vitasse: nihil enim obstabat, quominus utramque promiscue poneret. Longe alia est substantivorum, adiectivorum, verborum ratio, longe alia particularum: nemo sermoni inserere potest *πατήρ, μήτηρ, τύπτω, βάλλω, πονηρός, χρηστός,* nisi ubi iis vocibus opus est, nemo eas vitare, ubi sunt necessariae, et quis tam ineptus est, ut rem tam perspicuam statistica tabula docere velit? Eodem modo unaquaeque particula suam sibi vim habet, non illam quidem semper uni vocabulo Latino Belgicove respondentem, sed tamen certam stabilemque, neque unquam duae particulae prorsus idem significant.

Particularum usus non permissus est scriptoris licentiae, sed cum orationis genere cohaeret, id autem semper et ubique argumento respondet. Quo modo hoc accipi velim, ita me optime demonstrare posse credo, ut et alius cuiusdam particulae rationem habeam, qua nulla est ad meum propositum utilior, nullius enim vis melius paucis locis illustrari potest: particulam dico, quamquam revera duae sunt inter se iunctae: *δ' οὖν*. Ubi eae particulae iure suo ponantur, nullus est tiro qui nesciat: statim enim ei interrogato in mentem venire debet Apologiae Platonicae exordium, ubi legitur:

῞Ο τι μὲν ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πεπόνθατε ὑπὸ τῶν ἐμῶν κατηγόρων, οὐκ οἶδα· ἐγὼ δ' οὖν καὶ αὐτὸς ὑπ' αὐτῶν ὀλίγου ἐμαυτοῦ ἐπελαθόμην.

Cui loco non dissimilis est hic e Lachete (184 A.):

ἴσως μὲν οὖν ἂν εἴη τὶ ταῦτα, ὥςπερ Νικίας λέγει· οἷς δ' οὖν ἐγὼ ἐντετύχηκα, τοιαῦτ' ἄττα ἐστίν.

Egregie comparari potest, quod in Anabasi legitur I, 2, 25:

οἱ μὲν ἔφασαν ἁρπάζοντάς τι κατακοπῆναι ὑπὸ τῶν Κιλίκων, οἱ

δὲ .... πλανωμένους ἀπολέσθαι· ἦσαν δ' οὖν οὗτοι ἑκατὸν ὁπλῖται.
et II, 4, 6:

ποταμὸς δ' εἰ μέν τις καὶ ἄλλος ἄρα ἡμῖν ἐστι διαβατέος οὐκ οἶδα· τὸν δ' οὖν Εὐφράτην ἴσμεν ὅτι ἀδύνατον διαβῆναι κωλυόντων πολεμίων.

His inspectis locis non difficile est intelligere, quid eae particulae iunctae significent, quamquam magis hoc intelligitur et sentitur, quam paucis verbis satis accurate demonstratur: tamen sic fere earum vim indicare possis, ut dicas, tum scriptorem eas adhibere, ubi aliqua re leviter indicata, atque in medio relicta, ad propositum suum transeat. Nemo, qui Graece scripsit, saepius iis usus est (praesertim quum ingentem addas locorum numerum, ubi δ' οὖν in γοῦν corruptum est), quam Lucianus, quod unusquisque, qui eum novit, mihi statim concedet, si vel unum locum citavero: videbitur enim sibi quasi rhythmum Lucianeae orationis audire:

Alex. § 17: (Mirum non est homines indoctos Alexandro fidem fecisse: nam adversus eius sollertiam astutiamque aliquo Democrito vel Epicuro vel Metrodoro opus erat, vel alio viro forti, cuius mens nullis flecteretur artibus) ὥςτε ἀπιστῆσαι καὶ ὅπερ ἦν εἰκάσαι, καὶ εἰ μὴ εὑρεῖν τὸν τρόπον ἐδύνατο ἐκεῖνο γοῦν προπεπεισμένου, ὅτι λέληθεν αὐτὸν ὁ τρόπος τῆς μαγγανείας, τὸ δ' οὖν πᾶν ψεῦδός ἐστι καὶ γενέσθαι ἀδύνατον.

Ridiculum tamen esset credere, Lucianum istud δ' οὖν prae ceteris particulis in deliciis habuisse. Multo enim melius rem explicabimus, si ita statuemus, Lucianum quum, quid et quo modo scribere vellet, deliberatum haberet, non magis iis particulis carere potuisse, quam poëtas tragicos verbis gravibus magnificisque, vel comicos maledictis ac conviciis.

Quodsi recte demonstravi quam angustis finibus et possit et debeat particularum δ' οὖν significatio circumscribi, quis

mirabitur fieri posse, ut modo paucis paginis persaepe, modo multis rarissime legantur? Fac nunc scriptorem aliquem — neque hoc fingere absurdum est — primum parvum libellum de tali argumento eaque oratione composuisse, ut vicies triciesve δ' οὖν esset ponendum, mox eiusmodi narrationis scribendae initium fecisse, in qua aliquot annos versaretur, sed fere nunquam iis particulis uti posset, nonne inepti essent posteri, si eo argumento demonstrare conarentur, aut utrumque librum non posse eundem auctorem habere, aut breviorem multo post longiorem natum esse?

Ergo causam meam me vicisse credam si et particulae μήν eam esse vim probavero, ut et brevi intervallo saepius necessaria, et longo spatio inutilis esse possit. Quod mihi nulla alia ratione melius facere posse videor, quam si omnes locos, ubi in Anabasi μήν legitur, sub unum conspectum dedero, ita distributos ut, etsi paucis verbis eius significationem describere non possimus, tamen ipse usus nobis rem satis perspicuam reddat.

Tricies in Anabasi μήν legitur, vel potius quum excipere liceat sex locos, ubi in iureiurando est ἦ μήν, non plus quam vicies quater.

I. Semel tantum particulae μήν significatio paululum recedit ab ea, quam reliquis locis habet: ibi enim ad duas res inter se *opponendas* adhibetur. Est L. VII, 6, 38. „Nunc" Xenophon ait „milites, quum mala effugistis, duces nacti estis, stipendium accipitis, eo, quo cupitis, proficiscimini, nunc tempus esse creditis, me quantocius de medio tollere. *οὐ μὴν ὅτε γε ἐν τοῖς ἀπόροις ἦμεν, ὦ πάντων μνημονικώτατοι, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἐμὲ ἐκαλεῖτε κτέ.*"

Qui vero loci restant, omnes classici haberi possunt; recte enim dispositi attentum lectorem egregie docere possunt quod mihi demonstrare proposui. Videbit enim plerumque

μήν ita adhiberi, ut praecedentibus aliquid adiungat, sive in addendo novum membrum, sive in demonstrando novum argumentum.

Initium faciam a tribus locis, qui prorsus eiusdem generis sunt, et in eodem capite leguntur, id est in eo capite quo Cyrus laudatur. Brevissimo intervallo, ubi nova aliqua Cyri virtus affertur, Xenophon tamquam catenae annulo eadem utitur particula. Sunt:

II. L. I, 9, 16 *εἴς γε μὴν δικαιοσύνην εἴ τις φανερὸς γένοιτο ἐπιδείκνυσθαι βουλόμενος, περὶ παντὸς ἐποιεῖτο τούτους πλουσιωτέρως ζῆν ποιεῖν τῶν ἐκ τοῦ ἀδίκου φιλοκερδούντων.*

III. L. I, 9, 18 *ἀλλὰ μὴν εἴ τίς γέ τι αὐτῷ προςτάξαντι καλῶς ὑπηρετήσειεν, οὐδενὶ πώποτε ἀχάριστον εἴασε τὴν προθυμίαν.*

IV. L. I, 9, 20 *φίλους γε μὴν ὅσους ποιήσαιτο καὶ εὔνους γνοίη ὄντας .... ὁμολογεῖται πρὸς πάντων κράτιστος δὴ γενέσθαι θεραπεύειν.*

Maior pars locorum, quos mihi enumerare proposui, egregie uno exemplo illustratur, quod novimus omnes: altera enim syllogismi pars semper particula *μήν* primae adnectitur. Nullus autem locus huic exemplo tam plane gemellus est quam:

V. Lib. III, 1, 17 *ἡμῶν δ' οὐδεὶς οὐδὲν ἀντεπιμελεῖται ὅπως ὡς κάλλιστα ἀγωνιούμεθα· καὶ μὴν εἰ ὑφησόμεθα καὶ ἐπὶ βασιλεῖ γενησόμεθα, τί οἰόμεθα πείσεσθαι;* .... (§ 19) *ἐγὼ μὲν οὖν* ....

Sed et qui sequuntur eiusdem generis sunt: omnes enim hoc habent, quod ex orationibus desumpti sunt, et quod is qui verba facit argumenta, quibus ad causam suam defendendam utitur, particula *μήν* inter se iungit. Primos ponam tres locos, ubi res demonstratur, *bipartito* divisa, altera autem pars *μήν* tamquam vinculum habet, qua cum altera copuletur:

VI. Dixerat Clearchus „nostra interest Tissaphernes! ut te amico utamur" idque multis argumentis demonstraverat: deinde pergit (II, 5, 11): *ἀλλὰ μὴν ἐρῶ καὶ ταῦτα ἐξ ὧν ἔχω ἐλπίδας καὶ σὲ βουλήσεσθαι φίλον ἡμῖν εἶναι.*

VII. Milites admonuerat Xenophon virtutis, qua apud Cynaxam pugnavissent, et in praesenti periculo maiore etiam virtute opus esse contenderat: huic admonitioni ita alteram partem orationis addit (III, 2, 16): *ἀλλὰ μὴν* licet vobis nunc plus bonae spei habere, magisque quam tunc bono esse animo.

VIII. Conatus erat Seuthes Xenophonti persuadere, ut secum maneret, eamque rem ei lucro fore significaverat. Responderat Xenophon „fieri hoc nullo modo potest, ergo mitte me"; tum Seuthes (VII, 7, 51): „*καὶ μήν* multo tutius manebis quam abibis."

Sed multo maior est copia exemplorum eiusmodi, ut longior fiat enumeratio, in qua novum aliquod membrum particula *μήν* tamquam in scenam producatur: comparandi enim sunt versus e comoedia tragoediaque, quibus novam personam accedere nuntiatur, e. gr. *καὶ μὴν ὁρῶ καὶ* Βλεψίδημον *τουτονί.*

IX. In memoriam redit Xenophon beneficiorum, quae exercitus a se acceperit: enumeratisque iam aliquot exemplis, ita novum addit (L. VII, 6, 15): *ἐπεὶ γε μὴν ψεύδεσθαι Σεύθης ἤρξατο περὶ τοῦ μισθοῦ .... πῶς ἂν ἔτι δικαίως ὑμᾶς αἱρούμενος ἀντὶ Σεύθου ὑφ' ὑμῶν αἰτίαν ἔχοιμι περὶ ὧν πρὸς τοῦτον διαφέρομαι;*

X. In eadem oratione (§ 22) Xenophon „non est" inquit „quod me pudeat a Seuthe esse deceptum, quoniam id non nostra culpa factum est: nihil enim feceramus, quo ei iustam praeberemus causam fallacia adversus nos utendi: *οὔτε γὰρ ἠδικήσαμεν τοῦτον οὐδὲν, οὔτε κατεβλακεύσαμεν τὰ τούτου, οὐδὲ μὴν κατεδειλιάσαμεν οὐδὲν ἐφ' ὅ, τι οὗτος ἡμᾶς παρεκάλεσεν.*

XI. Xenophon Seuthen docet, aequum iustumque esse, milites Graecos ab eo promissam accipere mercedem: sin promissis non stet Seuthes, summa ex ea perfidia ipsi peri-

cula nasci posse: idque postquam iam aliquot argumentis probavit, novum ita adiicit (L. VII, 7, 31): *ἀλλὰ μὴν οὐδὲν πλήθει γε ἡμῶν λειφθέντες ὑπεῖξαν σοι (οἱ ἐχθροί σου), ἀλλὰ προστατῶν ἀπορίᾳ· οὐκοῦν νῦν καὶ τοῦτο κίνδυνος μὴ λάβωσι προστάτας αὐτῶν τινας κτέ.* Tum paucis intermissis ita pergit (§ 32):

XII. *ὅτι γε μὴν οἱ νῦν ὑπὸ σοὶ Θρᾷκες γενόμενοι πολὺ ἂν προθυμότερον ἴοιεν ἐπὶ σὲ ἢ σὺν σοὶ οὐκ ἄδηλον.*

XIII. Postremo ultimum argumentum ita affert (§ 47): *ἀλλὰ μὴν ἀποδοῦναι πιστεύω καὶ τὸν χρόνον διδάξειν σε.*

XIV. In eadem, de qua iam supra vidimus, Xenophontis ad Tissaphernem oratione, ubi eo perventum est, ut Xenophon Tissapherni demonstret, Graecorum amicitiam Tissapherni maximi esse pretii, Mysos primum, dein Pisidas, postremo Aegyptios eorum auxilio subiici posse docet, additque (L. II, 5, 14): „*ἀλλὰ μὴν* et vicini tibi populi dicto audientes erunt, si Graecos habebis socios."

XV. Fieri non posse, ut milites nescios ad Phasidem reducat, eo probaverat Xenophon, quod non essent ignari, qua coeli parte sol oriatur, qua occidat. Alia quoque res obstat: (V, 7, 7) *ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦτό γ' ἐπίστασθε ὅτι βορέας μὲν ἔξω τοῦ Πόντου φέρει, νότος δὲ εἴσω.*

Exempla, quibus numeros XIII et XIV apposui, hac in re paululum a ceteris differunt, quod ibi particula *μήν* tamquam ultimus annulus argumentorum catenae adiungitur, statim post sententiam absolutam sequitur conclusio. Sunt et duo alii loci his prorsus similes, quamquam diversi videntur. Videtur enim ipsa conclusio per particulam *μήν* argumentis annecti, revera ita se res habet, ut ea particula ultimum argumentum cum praecedentibus copuletur, ipsa conclusio omittatur, vel potius legentium audientiumque permittatur prudentiae.

XVI. Alter est (V, 8, 26): *ἀλλὰ μὴν καλόν γε καὶ δίκαιον*

καὶ ὅσιον τῶν ἀγαθῶν μᾶλλον ἢ τῶν κακῶν μεμνῆσθαι. Conclusio est: nolite ergo milites! in recordandis malis firmiore esse memoria quam in bonis.

XVII. Alter legitur L. II, 4, 20. Prudens adolescentuli (Xenophontis) in Clearchi tabernaculo consilium hunc finem habet: *οὐδὲ μὴν βοηθῆσαι πολλῶν ὄντων οὐδεὶς αὐτοῖς δυνήσεται λελυμένης τῆς γεφύρας.* Conclusio est: hisce argumentis fretus nunquam credo eam fore Tissaphernis stultitiam, ut pontem rescindat.

Interdum demonstrandi *initium* videtur *μήν* habere: revera tamen is, qui verba facit, ita respondet ei, qui ante eum dixit, ut eius sententiam vel infirmet vel corrigat. Ergo et ibi quoque cerni potest vis iungendi, copulandi, annectendi, quam in demonstrando ea particula habet.

XVIII. „*ὁρῶ γε μήν, ὦ ἄνδρες*" ita exordium facere videtur (L. VII, 6, 41) Polycrates: rectius tamen dixeris eum novum argumentum addere.

XIX. „*καὶ μὴν ὦ Κῦρε*" ait Gaulita Samius (I, 7, 5) „*λέγουσί τινες ὅτι πολλὰ ὑπισχνεῖ νῦν διὰ τὸ ἐν τοιούτῳ εἶναι κτέ.*" His autem verbis Cyrum interpellat, i. e. novam orationis partem ei subministrat.

XX. Eadem est ratio III, 4, 40 ubi Xenophontem interpellando Chirisophus communi deliberationi novi aliquid adiicit: „*ἀλλὰ μὴν ὥρα βουλεύεσθαι πῶς τις τοὺς ἄνδρας ἀπελᾷ ἀπὸ τοῦ λόφου* (ceterum cff. N. XVI et XVII).

XXI. L. V, 8, 3. Hoc quoque loco non tam respondere dicendus est Xenophon militi conquerenti de iniuria, qua sit affectus, quam eius querela uti tamquam suae defensionis exordio, quam ergo sic adiungit: *ἀλλὰ μὴν χειμῶνός γ' ὄντος .... εἰ ἐν τοιούτῳ χρόνῳ ὕβριζον ὁμολογῶ καὶ τῶν ὄνων ὑβριστότερος εἶναι.*

Raro in *narratione* *μήν* reperies: tria sunt in Anabasi

exempla: ibi tamen narratio eiusmodi est, ut aut in demonstratione locum habeat, aut ipsa sit demonstrationi simillima.

XXII. Pravos mores in dies gliscere Xenophon docet narratione de caede legatorum a Cerasuntiis in castra missorum. Iam narravit, quo tempore legati cum ducibus deliberarent, subito clamorem esse auditum, eoque omnibus permagnum incussum esse timorem; tum pergit (V, 7, 23): „ἐγώ γε μὴν ἦλθον πρὸς αὐτοὺς καὶ ἠρώτων ὅ, τι ἐστὶ τὸ πρᾶγμα."

XXIII. L. I, 10, 3: „Graeci qui apud impedimenta armati stabant, fortiter Persarum sustinuerunt impetum: πολλοὺς μὲν τῶν ἁρπαζόντων ἀπέκτειναν, οἱ δὲ καὶ αὐτῶν ἀπέθανον· οὐ μὴν ἔφυγόν γε κτέ.": non est ea nuda narratio, sed exempla afferuntur Graecorum virtutis.

XXIV. Eiusdem generis est, quod paulo post (§ 13) legitur: „ἐπεὶ δὲ καὶ ἐνταῦθ' ἐχώρουν (sc. πρὸς τὸν λόφον) οἱ Ἕλληνες, λείπουσι δὴ καὶ τὸν λόφον οἱ ἱππεῖς· οὐ μὴν ἔτι ἀθρόοι ἀλλ' ἄλλοι ἄλλοθεν". Ne hic quidem nil nisi factum quoddam traditur, sed et demonstratur, quantopere Graecos barbari timerent.

Iam satis me fecisse credo ad demonstrandum, eam esse particulae μήν naturam, ut modo frequentior eius usus esse debeat, modo rarior: neque hoc credo ei posse mirandum videri, qui locos a me dispositos ordinatosque accurate aspexerit, interdum per longum paginarum spatium eam nusquam apparere. Ubi scriptori aliqua res multorum exemplorum enumeratione est probanda, fieri non potest quin saepe ea utatur; neque minus frequentem eam esse videbis in contionibus allocutionibusque, ubi placida et leni oratione auditores sunt convincendi: ea causa est cur in Memorabilibus satis saepe inveniatur. Hoc enim eius libri est consilium, ut et quae fuerit Socratis praestantia multis exemplis

illustretur, et ipse Socrates auditores suos διὰ τῶν ὁμολογουμένων, ut ipse ait, ad veritatem perspiciendam adducat: in utroque enim scribendi genere facile est, enumerationem aliquam cognoscere: enumerare autem nemo potest, quin singulas partes filo quodam inter se vinciat: particula μήν nullum aptius in tali re vinculum esse, nemo non videt. In oratione vero concitatiore — ut hoc utar exemplo — quum is qui verba facit ira commotus est, non facile μήν invenies. Sed ab hoc quidem genere Xenophon plane abhorret: aliud ergo genus indicandum, ubi μήν vel raro vel nunquam ponatur, idque exemplo demonstrandum. Neque est quod diu quaeramus. Ipsius Anabasis liber quartus satis declarat, quid velim; ex eo enim apparet, simplicem rerum gestarum narrationem, quae non ad aliquam rem propositam probandam fiat, a particula μήν alienam esse debere. Nunquam ergo patiemur, aliquem librum propter particulae μήν frequentiam aut a Xenophonte abiudicari, aut senectuti eius adscribi, nunquam propter eiusdem particulae raritatem aliquem librum a iuvene Xenophonte scriptum credemus. Et iure me ita censere — ut tandem aliquando huic disputationi finem faciam — uno argumento me credo etiam illi probare posse, qui omnia, quae hucusque dixi, contemnat et nihili faciat. Laudem Agesilai falso Xenophonti tribui, nemo fere est, qui neget: multis enim argumentis ab eo abiudicari potest: illis autem, ut mihi persuadeo, nunquam id addere licebit, quod Roquettii tabula praebere videtur.

Brevis iste libellus (24 paginarum est) quinquagies μήν habet: ingentem eum numerum dices; 36es particula μήν particulae γε adiuncta est: etiam magis hoc numero commoveberis. Minime tamen eo uteris argumento ad Agesilaum Xenophonti abiudicandum, si mecum hoc reputabis: in Anabasi omnino μήν rarum est; rarissimum γε μήν, sexies enim

legitur, quum totus liber 184 paginas habeat: sed ex sex locis ubi γε μήν scriptum est, duo leguntur eadem fere pagina (35 et 36 Hug.): *in Cyri demortui laudatione.* Docet ergo arithmetica, facile fieri potuisse, ut Xenophon, si Agesilaum, qui eius nomen gerit, revera scripsisset, in ea virtutum enumeratione, quae 24 paginas implet, tricies sexies γε μήν poneret. Ergo ne ad eam quidem rem demonstrandam, de qua nemo dubitet, quidquam conferre potest particularum statistica.

CAPUT QUARTUM.

De arte critica in Anabasi exercenda.

AD NONNULLOS LOCOS ANNOTATIONES.

Plurimis inquinatam vitiis Anabasin esse fere inter editores constat: sensim enim recipiuntur certae veraeque emendationes, quarum maximam copiam nostra aetate et alii critici attulerunt, et prae ceteris Cobetus, qui, quum omnes scriptores poetasque Graecos mendorum interpolationumque omni genere purgarit, tamen nescio an in nullo libro felicius sit versatus, quam in suavissima Xenophontis de suis rebus gestis narratione. In eo enim libello emendando iis virtutibus opus est, quae in Cobeto sunt summae: mira sagacitas, ingens literarum Graecarum notitia, sobrium sanumque iudicium, et, quod maximum est, pulchri verique sensus certus stabilisque, ab omni ἀπειροκαλίᾳ alienissimus. Nam quid corruptum, quid legendum sit, quum in omnibus Xenophontis libris, tum in Anabasi vel maxime, criticus, ab omni fere externa ope destitutus, ipse suo iudicio statuere debet, eaque res Cobeti ingenio tute permitti committique potest. Nemo

enim Cobeto melius observat, ubi eae sermonis virtutes, quas ipse verissime Xenophonti tribuit, librariorum incuria vel sciolorum interpolationibus sint obscuratae, nemo ipsa scriptoris verba elegantius rectiusque restituit; neque ad eam rem longe petitis arcessitisque remediis utitur, sed quae unice vera medicina est, eam semper et ubique egregie adhibet, ut e Xenophonte ipso Xenophontem emendet. Atque haec non ita dixi, quasi summo viro meo opus esset praeconio: quis enim Cobetus sit, quae eius de literis Graecis sint merita, de ea re neque apud nos, neque usquam ubi liberaliores artes in honore sint, ulla est dubitatio; sed quod vereor ne quando Xenophontis editores a recta via, quam vix tandem rectam esse agnoverunt, deflectant. Interdum enim aliorum librorum nobis in manus veniunt editiones, nescio qua recondita et arcana sapientia ita emendatae scilicet, ut certissimae correctiones, dudum repertae, spernantur, absurdae codicum lectiones non restituantur solum, sed etiam si, id quod in magno codicum numero fieri solet, alius aliud habet vitium, ex multis vitiis ea efficiatur lectio, unde omnia nata videantur, atque in textum recipiatur, quamquam *οὔτε γῆς οὔτε οὐρανοῦ ἅπτεται.* Ergo ne quem unquam editorem poeniteat, Cobetum esse secutum, uno argumento demonstrabo, Anabasi in ingenti librorum manuscriptorum copia nihil esse praesidii, Sardos enim venales eos dici posse, alium alio nequiorem. Neque iniucundum est id quod mihi videtur huius rei esse argumentum, sed satis iocosum lepidumque.

Innumerabilia vitia sunt, quibus iam purgata est Anabasis, sed quae sunt omnium stolidissima absurdissimaque, ea fere semper in iis codicibus reperiuntur, qui a peritis harum rerum iudicibus „meliores" dicuntur, dum „deteriores" ab iisdem absunt. Maior autem eorum pars ex pluribus paucioribusve

vocabulis, pravo vel potius nullo iudicio additis constat, nec tamen desunt alia corruptionis genera. Sed praestat insigniora quaedam afferre exempla.

L. II, 1, 6 *τὸ δὲ στράτευμα ἐπορίζετο σῖτον ὅπως ἐδύνατο*: ita est in deterioribus codicibus, in melioribus additum est *καὶ ποτόν*: grammaticus oscitans, cui haec verba debemus, non animadvertit, quam ridicula, hoc additamento recepto, ea fiant quae statim sequuntur: *ἐκ τῶν ὑποζυγίων κόπτοντες τοὺς βοῦς καὶ ὄνους.*

L. II, 4, 5 *καὶ ἅμα ταῦτα ποιούντων ἡμῶν εὐθὺς Ἀριαῖος ἀ φ ε σ τ ή ξ ε ι.* Recte ita legitur in deterioribus: sequitur enim: *ὥστε φίλος ἡμῖν οὐδεὶς λ ε λ ε ί ψ ε τ α ι.* Meliores soloecismum *ἀποσταίη* praebent.

Paulo post in melioribus barbare scriptum est *οἴδαμεν.* In deterioribus vera et Attica forma *ἴσμεν* servata est.

II, 5, 7 *τὸν γὰρ θεῶν πόλεμον οὐκ οἶδα οὔτ' ἀπὸ ποίου ἂν τάχους φεύγων τις ἀποφύγοι, οὔτ' εἰς ποῖον ἂν σκότος ἀποδραίη.* Non dico, mihi admodum hanc lectionem placere, nam quid sit *ἀπὸ ποίου τάχους* non plane intelligo: aliquo modo tamen in ea acquiescere possum. Ridiculam vero eam reddunt meliores, qui post *τάχους* inserunt *οὔτε ὅποι ἄν.*

II, 6, 19 *ἄρχειν δὲ καλῶν μὲν κἀγαθῶν δυνατὸς ἦν, οὐ μέντοι οὔτ' αἰδῶ τοῖς στρατιώταις ἑαυτοῦ οὔτε φόβον ἱκανὸς ἐμποιῆσαι.* Bene ingrata adiectivi *δυνατός* repetitio vitatur, et altero loco pro eo *ἱκανός* ponitur. Non intellixit hoc is, cuius culpa in melioribus legitur *ἱκανῶς*. Nam quid quaeso est *ἱκανῶς φόβον ἐμποιῆσαι*? An forte: tanta vi alicui metum incutere ut firmiter haereat?

III, 1, 16 „Non ante" Xenophon ait „hostes belli contra nos initium fecerunt, quam putarent *καλῶς τὰ ἑαυτῶν παρεσκευάσθαι.*" Nemo non videt, *perfecti* infinitivo hic opus esse, eamque formam, quae in libris manuscriptis tam saepe cor-

rumpitur, deteriores integram servarunt; meliores de more dant παρασκευάσασθαι.

III, 1, 26 ὁ μὲν ταῦτ' ἔλεξεν, οἱ δὲ ἀκούσαντες ἡγεῖσθαι ἐκέλευον πάντες. Ita cum Cobeto legendum; inutiliter post οἱ δὲ deteriores inserunt λοχαγοί, absurde meliores ἀρχηγοί.

III, 1, 28 Rectissime in deterioribus inter se opponuntur παραδόντες τὰ ὅπλα et ἐξωπλισμένοι; meliores non sensum sed formam secuti ἐξοπλισάμενοι dant.

III. 4, 48 Xenophon de equo desilit, militi, qui de itineris molestia conquestus erat, clypeum adimit, et pedes incedit: ἐτύγχανε δὲ καὶ θώρακα ἔχων τὸν ἱππικόν, ὥστε ἐπιέζετο. In melioribus foedus soloecismus πιέζοιτο legitur.

V, 2, 26 οἱ δὲ κατὰ στόμα δὴ ἔτι μόνοι ἐλύπουν καὶ δῆλοι ἦσαν ὅτι ἐπικείσονται. Verbum ἦσαν, quo nullo modo carere possumus, in melioribus abest.

V, 6, 4. In Xenophontis oratione ad milites ipsa natura flagitat id quod deteriores praebent: ἂν μὲν εὖ συμβουλεύσας φανῶ πολλοὶ ἔσεσθε οἱ ἐπαινοῦντές με. Meliores pro ἔσεσθε habent ἔσονται.

VI, 1, 4 Milites ἐδείπνουν κατακείμενοι ἐν στιβάσι, militibus castrisque convenienter. Non ita visum melioribus vel potius eorum auctori: σκιμπόδας enim iis tribuit.

VI, 5, 17 καὶ τούτους οἶδ' ὅτι ἐπιόντων μὲν ἡμῶν οὐδ' ὑμεῖς ἐλπίζετε δέξεσθαι ἡμᾶς. Nihil intelligebat, qui primus post ἐλπίζετε inseruit αὐτούς, quod nunc in melioribus legitur.

VII, 7, 46. Pulchre et eleganter dictum est: ἐγὼ μὲν οἶμαι πάντας ἀνθρώπους νομίζειν εὔνοιαν δεῖν ἀποκεῖσθαι τούτῳ, παρ' οὗ ἂν δῶρά τις λαμβάνῃ. Pessumdedit elegantiam et sententiam languidam ieiunamque reddidit is, qui effecit ut pro ἀποκεῖσθαι legatur in melioribus ἀποδείκνυσθαι.

VII, 8, 2 Interrogatus ab Euclide Phliasio Xenophon, quantam pecuniam secum ex Asia ferret ἐπομόσας εἶπεν, ἦ

μὴν ἔσεσθαι μηδὲ ἐφόδιον ἱκανὸν οἴκαδε ἀπιόντι, εἰ μὴ ἀπόδοιτο τὸν ἵππον κτἑ. Rectissime ita deteriores; oratio enim recta est: *οὐκ ἔσται ἐφόδιον ἱκανὸν εἰ μὴ ἀποδώσομαι.* Sed sensu cassum est *οἴεσθαι*, quod pro *ἔσεσθαι* praebent meliores.

Egregie ut opinor haec exempla docent, parum fidelibus custodibus Anabasin olim fuisse commissam, quibus satis non esset, rem depositam graviter negligere, nisi etiam consulto damnum ei inferrent, ab eaque culpa ne illos quidem fuisse vacuos, qui nunc ceteris praestantiores vulgo putentur. Videmus enim in Anabasin non solum eiusmodi vitia irrepsisse, quae omnibus libris manuscriptis, optimis pessimisque sint communia, quaeque in scribendo nemo prorsus evitare possit: illa vitia dico quae invito scriptore nascuntur, mente oculisve paulisper aberrantibus, sed eam fuisse librariorum grammaticorumque licentiam, ut de industria sincera corrumperent, vitioso sui temporis sermone Atticum scriptorem loqui cogerent, elegantem brevitatem futilibus suis interpretamentis pessumdarent. Nostrum ergo est, non, quid in melioribus, quid in deterioribus libris legatur, magis curare (deterrimi enim meliores isti sunt), quam quid Xenophonte dignum, quid indignum, quid eleganter, quid inepte dictum sit, quae sibi constet narratio, quae secum ipsa certare videatur. Nostro hac in re standum est iudicio, et audendum est aliquid: neque magnopere est verendum, quod nonnulli putant, ne ita scriptorem, male intellectum, corrumpamus magis quam emendemus. Nam nihil citius deprehenditur convinciturque quam prava coniectura, nihil facilius tollitur et removetur quam iniusta dubitatio, et quod maximum est, ea nostrae aetatis est felicitas, ut egregios duces habeamus, quorum praeceptis si pareamus, nullus metus est, ne in graves incidamus errores. Fidenter ergo indicabo, qui loci mihi etiam post Cobeti quartam editionem (quae his ipsis diebus in

lucem prodiit) aliquam molestiam pariant; meas qualescunque emendatiunculas proferam; additamentis, quae mihi restare videntur non parcam; gaudeboque si doctiores me meliora edocebunt, dummodo industriam meam diligentiamque agnoscant.

LIBER I.

C. I, § 5 *πάντας οὕτω διατιθεὶς ἀπεπέμπετο ὥστε αὐτῷ μᾶλλον φίλους εἶναι ἢ βασιλεῖ.* Molestum mihi est participium *praesentis* temporis *διατιθείς*, quod quamvis facile sit in *διαθείς* mutare, non audeo tangere propter id quod c. 7 § 8 legitur: *ὁ δ' ἐμπιμπλὰς ἁπάντων τὴν γνώμην ἀπέπεμπε.* Sed hoc ex eius loci comparatione me efficere posse credo, utrobique legendum esse *ἀπέπεμπε.* Alioqui enim putandum esset — id quod mihi non facile persuadeo —, *ἀποπέμπειν* et *ἀποπέμπεσθαι* prorsus idem significare.

Inde a verbis *Σοφαίνετον δὲ τὸν Στυμφάλιον* (c. I § 11) usque ad c. II § 3 fin. copiarum ducumque enumeratio viris doctis plures difficultates peperit, quas suo quisque modo tollere sunt conati: qua de re quid censeam quam accuratissime dicam.

Iam c. I, 11 Schenklio verba *ὡς πολεμήσων Τισσαφέρνει* propter codicum discrepantiam e corrupto scholio nata et delenda videntur: idem credit ea verba cum reliqua narratione certare (vide ipsum Xenophont. Stud. I, 600). Equidem prorsus assentior absurdum esse *ὡς πολεμήσων Τισσαφέρνει.*

C. II § 3 Sophaeneti Stymphalii mentio nullo modo conciliari potest cum § 9 eiusdem capitis, ubi idem dicitur Celaenas demum ad Cyrum venisse: quod autem Dindorfius priore loco *Σοφαίνετος δὲ ὁ Στυμφάλιος ὁπλίτας ἔχων χιλίους*

expungit, nullo modo probo: nam neque semel neque bis Sophaeneto memorato impletur numerus Graecorum militum, qui § 9 fin. fuisse dicitur. Multo ergo lubentius altero loco cum Köchlyo pro Σοφαίνετος ὁ Ἀρκὰς legam Ἀγίας ὁ Ἀρκάς. Deinde § 3 enumeratis Sophaeneto, Socrate, Pasione, adduntur haec: ἦν δὲ καὶ οὗτος (Pasion) καὶ ὁ Σωκράτης τῶν ἀμφὶ Μίλητον στρατευομένων. Hac autem ratione et quis fuerit Sophaenetus, et quid ante Cyri expeditionem in Asia egerit, in tenebris latet, nam Socrati et Pasioni opponitur, i. e. in numero ducum, qui copias suas ad Miletum habebant, fuisse negatur. Non tamen, ut modo dicebam, Dindorfium sequar, qui c. II § 3 Σοφαίνετος — χιλίους delet, et propter copiarum numerum (§ 9), et quia ita altera tantum difficultas removetur, altera manet: nihil enim de Sophaeneto cognoscimus, neque quis fuerit, neque quare in Asiam venerit. Retinenda ergo censeo quae Dindorfius expungit, sed delenda (c. II, 3) verba καὶ ὁ Σωκράτης; sic una opera duas res, quas quaerimus, obtinebimus. Simul enim apparebit § 9 Sophaeneti nomen manere non posse, sed Köchlyi coniecturam recipiendam esse.

Praeterea § 2 delenda videntur verba quaedam, quae et inutilia sunt, et narrationem perturbant: καὶ λαβόντες τὰ ὅπλα παρῆσαν εἰς Σάρδεις. Nam particulae μὲν δὴ semper et ubique in *initio* enumerationis ponuntur. Quo facto in verbis (§ 3) τῶν ἀμφὶ Μίλητον στρατευομένων exules quoque Milesios indicari putandum est.

C. II, 24 ταύτην τὴν πόλιν ἐξέλιπον οἱ ἐνοικοῦντες .... πλὴν οἱ τὰ καπηλεῖα ἔχοντες· ἔμειναν δὲ καὶ οἱ παρὰ τὴν θάλατταν οἰκοῦντες ἐν Σόλοις καὶ ἐν Ἰσσοῖς. Verbum ἔμειναν ita demum recte coniunctionibus δὲ καὶ praecedentibus adiiceretur, si narraretur, quod genus hominum praeter institores *in urbe Tarsis* remansisset. Nunc urbes maritimae urbi mediter-

raneae opponuntur: ex hac omnes paucis quibusdam exceptis dicuntur effugisse, in illis non tantus fuisse civium metus narratur. Lege ergo: *ἔμειναν δὲ οἱ παρὰ τὴν θάλατταν οἰκοῦντες*, deleto *καί*.

C. II, 27 *τὰ δὲ ἡρπασμένα ἀνδράποδα, ἤν που ἐντυγχάνωσιν, ἀπολαμβάνειν.* Haec verba neque unquam intellexi, neque nunc intelligo. Vulgo sic fere explicantur: „Cyrus Syennesi rapta mancipia, sicubi Cilices in ea incidissent, recuperanda permisit." (Kühner). Sed absurda mihi haec explicatio videtur. Ubi enim, quaeso, Syennesis in ista mancipia poterat incidere, nisi in Cyri castris? An forte rapta mancipia in agris libere circumvagari solent? Non tamen emendationem reperio, quae mihi satis placeat. Dubitanter coniicio *ἤν που τυγχάνωσι*: si forte in urbe diripienda et homines captivi essent abducti (in castra nimirum). Liceatne propter praecedens *ἡρπασμένα* apud verbum *τυγχάνειν* participium omittere, videant doctiores.

C. III, 15 *ὡς μὲν στρατηγήσοντα ἐμὲ ταύτην τὴν στρατηγίαν μηδεὶς ὑμῶν λεγέτω, (πολλὰ γὰρ ἐνορῶ δι' ἃ ἐμοὶ τοῦτο οὐ ποιητέον) ὡς δὲ τῷ ἀνδρὶ, ὃν ἂν ἕλησθε, πείσομαι ᾗ δυνατὸν μάλιστα, ἵνα εἰδῆτε ὅτι καὶ ἄρχεσθαι ἐπίσταμαι ὥς τις καὶ ἄλλος.* Quid sibi velit *ὡς* in *ὡς δὲ τῷ ἀνδρί*, non facile dicas. Removebis hanc molestiam, et simul sententiam multo concinniorem reddes legendo *πεισόμενον*.

C. IV, 4. Si quid unquam vidi, quod absurdum esset, hoc est: *ἐπὶ δὲ τοῖς τείχεσιν ἀμφοτέροις ἐφέστασαν πύλαι.* Non enim alio modo haec verba verti possunt, quam: *in moenibus stabant portae.* Neque ad ea defendenda afferre licet, quod est apud Herodotum (I, 180, 13) *πυλίδες ἐπῆσαν* (vide eiusdemmodi locos, quos Steinius affert): ibi enim sermo est de viis, *ad quarum exitum* stant portae, idque recte verbo *ἐπεῖναι* significatur, sed ne ibi quidem *ἐφεστάναι* ferri posset.

Non tamen *ἐφέστασαν* corruptum videtur, sed *πύλαι*, cuius vocis tantummodo literae *πυ* manere possunt, reliquae ad lacunam utcunque explendam parum feliciter a librario sunt excogitatae. Quid ergo legendum est? *πύργοι* ut opinor. Hoc enim faciunt qui locum munire velint, ut in moenibus per intervalla turres aedificent, quae in proelio iaculatores et sagittarios ab hostibus, cessante proelio omnes milites ab imbribus et frigore defendant.

C. IV, 15 *καὶ ἄλλου οὔτινος ἂν δέησθε οἶδα ὅτι ὡς φίλου* (codices, quos Hugius secutus est, *φίλοι* habent) *τεύξεσθε Κύρου.* Satis pueriliter hoc dictum esse apparebit, si, neglecta paulisper sententia relativa, quem locum *ἄλλου* occupet, observaveris. Equidem sic Xenophontem scribere potuisse non credo, quum praesertim vestigia mihi superesse videantur structurae cuiusdam, quae et elegantissima est, et saepius corrumpitur, quam integra e manibus librariorum evadit, et hic saltem facillime restitui potest. Legendum enim esse puto: *καὶ οὔτινος ἂν ἄλλου δέησθε, οἶδα ὅτι φίλου τεύξεσθε Κύρου*: et quamcunque aliam rem exoptabitis, sat scio vos Cyro amico usuros esse; id est: sat scio Cyrum eam vobis pro sua erga vos amicitia praebiturum esse.

C. IV, 18. Cyrus copias vado Euphratem traducit. Ante eum neminem id facere potuisse narrant incolae. *ἐδόκει δὴ θεῖον εἶναι καὶ σαφῶς ὑποχωρῆσαι τὸν ποταμὸν Κύρῳ ὡς βασιλεύσοντι.* Minus recte adverbium *σαφῶς* verbo *ὑποχωρῆσαι* additur, quod cum sequentibus tamquam interpretationem ominis continet. Credo igitur *καὶ* et *σαφῶς* transponenda esse, ut haec evadat sententia: „non dubitabant homines quin in ea re omen inesset: cessisse enim flumen Cyro, ut qui Rex futurus esset."

C. V, 6 *ἡ δὲ καπίθη δύο χοίνικας Ἀττικὰς ἐχώρει.* Pondera et mensurae semper eadem sunt, neque credo, tantummodo

quo tempore Cyrus cum exercitu prope Pylas esset, τὴν καπίθην δύο χοίνικας Ἀττικὰς χωρῆσαι, sed ita se rem habuisse per totam Xenophontis vitam et aliquanto postea. Ne dubites, quin legendum sit χωρεῖ, conferas δύναται, quod proxime praecedit.

C. V, 10 διφθέρας — ἐνεπίμπλασαν χόρτου κούφου, εἶτα συνῆγον καὶ συνέσπων .... ἐπὶ τούτων διέβαινον. Haec omnia, ut opinor, multo melius cohaerebunt, si ante διέβαινον inseremus particulam δή, quae facile excidere potuit.

C. VII, 2 συνεβουλεύετο πῶς ἂν τὴν μάχην ποιοῖτο. Iam alibi (Studia Antiphontea p. 33) vitium indicavi, quo et hic locus laborat. Πῶς ἂν τὴν μάχην ποιοῖτο *cupientis* est proelium committere, et quaerentis quid sit agendum, ut id sibi contingat. Exemplo esse potest, quod legitur VI, 1, 17: ἤδη μᾶλλον εἰςῄει αὐτοὺς πῶς (Cob., alii ὅπως) ἂν καὶ ἔχοντές τι οἴκαδ' ἀφίκοιντο. Si quis vero deliberat, quo modo proelium committendum sit, in oratione recta ita secum loquitur: πῶς ποιῶμαι τὴν μάχην, eaque verba in optativo particulam ἄν non admittunt, sed dicendum est e. gr.: συνεβουλεύετο πῶς (vel ὅπως) τὴν μάχην ποιοῖτο.

C. VII, 4 αἰσχυνεῖσθαί μοι δοκῶ, οἵους ἡμῖν γνώσεσθε τοὺς ἐν τῇ χώρᾳ ὄντας ἀνθρώπους. Recte hoc dictum esset, si in praecedentibus sermo fuisset de Persis, qui in urbibus habitarent, iisque nunc illi opponerentur, qui ruri vitam degerent. Quamquam vel sic sententia satis contorta esset, nam ὄντας omnino cum ἡμῖν iungendum est. Quum vero Cyrus hoc dicat: „eam popularium meorum cognoscetis ignaviam, ut ipse pudore afficiar," articulus τούς nullo modo ferri potest.

C. VII, 8. Inde a § 2 de nulla alia re agitur, quam de *Graecorum ducum* consilio, quod in tabernaculo Cyri habetur, de admonitionibus, quibus ad eos Cyrus utitur, de praemiis, quae pollicetur. Satis absurde ergo nunc sequitur:

εἰςῆσαν δὲ παρ' αὐτὸν οἵ τε στρατηγοὶ καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων τινὲς, ἀξιοῦντες εἰδέναι τί σφίσιν ἔσται, ἐὰν κρατήσωσιν. An ad Cyrum *redibant*, ut iterum eandem rem audirent? Sed ne hoc quidem verbo εἰςῆσαν, non addito adverbio, quale est αὖθις, significari potest. Verum fac eiusmodi vocabulum excidisse, tantone infirmiorem censeamus fuisse ducum quam lochagorum memoriam? De his enim, qui et ipsi (v. § 2) in Cyri consilio aderant, hoc loco siletur. Quantocius expelle οἵ τε στρατηγοί, quae verba imperite addita sunt coniunctioni καί ab eo, qui non intelligeret illam hic Latinae „etiam" vim habere: praeter duces lochagosque, etiam illorum Graecorum, qui nullum imperium tenebant (e. gr. ipse Xenophon), nonnulli ad Cyrum veniebant, scire cupientes, quid sibi promitteret. Cf. II, 6, 17 et Cobetus Novae Lectiones p. 536.

§§ 16 et 17. Quam languida haec sit narratio, optime videbis, si singularum sententiarum prima verba observaveris: παρετέτατο δὲ ἡ τάφρος . . . ., ἦν δὲ παρὰ τὸν Εὐφράτην πάροδος . . . ., ταύτην δὲ τὴν τάφρον . . . ., ταύτην δὴ τὴν πάροδον. Neque hoc, ut opinor, negabis, admodum confuse hic scriptorem loqui: nam quis quo consilio fossam fodi iusserit, statim post ipsius fossae mentionem exponendum est: memorato transitu continuo sequi oportet sententiam, qua Cyrum illo usum esse significetur. Iam prorsus inutilia sunt verba ταύτην δὲ τὴν τάφρον — προςελαύνοντα, quibus insulsum in modum lector id doceatur, quod iam ex § 14 satis superque cognitum habet. Lubenter ergo iis verbis carebimus, eaque iam antea proscripta esse credo. Sed alia quaedam restat molestia. Novi quidem, quod nemo ignorat, Graece dici ὁδὸν ἰέναι, ἔξοδον ἐξιέναι et simm.; num tamen hoc loco recte dicatur: ταύτην δὴ τὴν πάροδον παρῆλθε vehementer dubito; non enim hic de *itinere* sed de *via* sermo est [1]). Suspicor

1) Vix conferri potest III, 4, 20: διάβασιν διαβαίνειν.

igitur olim scriptum fuisse ταύτῃ δὴ Κῦρος καὶ ἡ στρατιὰ παρῆλθε, primum autem vocabulum in ταύτην abiisse, quae frequens est corruptela, et sic additamentum τὴν πάροδον natum esse.

VII, 18 ἔδωκεν αὐτῷ (Silano) δαρεικοὺς τρισχιλίους, ὅτι τῇ ἐνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης ἡμέρᾳ πρότερον θυόμενος εἶπεν κτέ. Cobetus πρότερον expungi iussit: rectissime, ut opinor; quid enim magis manifesti emblematis speciem prae se fert, quam istud adverbium eo loco positum. Non ita Hugio visum: is enim eam rationem sequi maluit, quae nostra aetate nonnullis criticis in deliciis esse videtur, ut e duabus pluribusve corruptelis unam conflent lectionem, quam vix ipsi credere possint, non esse absurdam. Nam quum hoc loco in nonnullis codicibus sit πυθόμενος, et Bornemannus locum obscuriorem, qui VI, 4, 22 legitur, sibi emendare visus sit pro προθυμεῖσθαι legendo προθύεσθαι, hoc verbum utrobique „restituendum", et I, 7, 18 προθυόμενος, VI, 4, 22 προθύεσθαι scribendum esse opinatur. Tamque sibi firmiter persuasit, veram eam opinionem esse, ut duo argumenta, quae cuivis videri possint, certo certius demonstrare neque προθυόμενος neque προθύεσθαι a Xenophonte scriptum esse, nihili faciat: quorum alterum est, quod Xenophon, qui saepissime verbo θύειν et θύεσθαι usus sit, nusquam compositum προθύεσθαι dedit; alterum, quod Bornemanni coniectura tantum abest, ut loci difficultatem tollat, ut eum paulo reddat obscuriorem, quod unicuique apparebit, qui eum accuratius inspexerit. Parendum ergo Cobeto et delendum πρότερον: neque tamen vel sic locum omni vitio vacuum esse credam. Non enim θυόμενος sed θυομένῳ scribendum esse censeo: nam θύεται dux, θύει haruspex. Neque ad meam sententiam infirmandam afferri patiar V, 6, 18: quod enim ibi legitur: ὅτε τὰς δέκα ἡμέρας ἠλήθευσε θυόμενος Κύρῳ, tam inutiliter additum, tamque pueriliter enuntiatum est, ut non dubitem, quin ea verba

male sedulo lectori sint tribuenda. Sin vero θυομένῳ receperis, egregie poteris compararare narrationem, quae est VII, 8, 3, dummodo pro ἔθυε τῷ Ἀπόλλωνι legas ἐθύετο τῷ Ἀπόλλωνι, quod et per se probabile est, et in codice quodam invenitur. Nam et ibi Xenophonti duci, rem divinam facienti, Euclides haruspex adstat, suaeque prudentiae praeclarum dat documentum.

VIII. 6. In enumeratione copiarum .... Κῦρος δὲ καὶ οἱ ἱππῆς τούτου ὅσον ἑξακόσιοι. Num pronomen τούτου genuinum sit, subdubito.

VIII. 9. πάντες δὲ οὗτοι κατ' ἔθνη ἐν πλαισίῳ πλήρει ἀνθρώπων ἕκαστον τὸ ἔθνος ἐπορεύετο. Quis credat elegantem scriptorem sic balbutire? Locus graviter interpolatus est, et ita fere emendandus: πάντες δὲ οὗτοι κατ' ἔθνη ἐν πλαισίῳ πλήρει ἀνθρώπων ἐπορεύοντο.

VIII. 10. Curruum falcatorum descriptio duarum literarum auxilio multo magis perspicua reddi potest: inserendum enim est τε inter ἐκ et τῶν ἀξόνων, ut haec sit sententia: εἶχον δὲ τὰ δρέπανα ἔκ τε τῶν ἀξόνων ἀποτεταμένα καὶ ὑπὸ τοῖς δίφροις εἰς γῆν βλέποντα. Duo enim falcium genera erant.

VIII, 13. Non uno vitio hic locus laborat, quorum vel maximum hoc est, quod inepte additur ἀλλ' ὅμως. Non enim quamquam sed quia periculum erat, ne Graecorum copiae a barbaris circumirentur, dexterum cornu nudari nolebat Clearchus. Nec tamen sufficit ἀλλ' ὅμως delere, nam non ideo Clearchus copias a flumine abducere noluit, quod mediam Regis catervam videret, sed quod cognoscebat, quam late barbarorum acies esset porrecta: idque et a Cyro audire et ipse videre poterat. Legendum ergo puto: ὁρῶν δὲ ὁ Κλέαρχος καὶ ἀκούων Κύρου, ἔξω ὄντα τοῦ εὐωνύμου βασιλέα (τοσοῦτον γὰρ — ἔξω ἦν: in his enim verbis nihil mutandum est) οὐκ ἤθελεν ἀποσπάσαι ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τὸ δεξιὸν κέρας. Verba τὸ μέσον

στῖφος et *ἀλλ' ὅμως ὁ Κλέαρχος* lubenter reddemus grammaticis, qui inseruerunt.

IX. 24. „Cyrum amicos suos in rebus magnis affecisse tantis beneficiis, ut omnes vinceret, minime mirum est, quoniam et divitiis plurimum valebat: *τὸ δὲ τῇ ἐπιμελείᾳ περιεῖναι τῶν φίλων καὶ τῷ προθυμεῖσθαι χαρίζεσθαι, ταῦτα ἔμοιγε μᾶλλον δοκεῖ ἀγαστὰ εἶναι.*" Subiectum huius sententiae est verbum *περιεῖναι*, cuius in locum non perspicio quomodo, nonnullis vocabulis interpositis, venire possit pronomen *ταῦτα* in plurali numero: neque tamen contendere ausim verba *ταῦτα-ἀγαστά* corrupta esse: nullam enim causam video, cur *τοῦτο-ἀγαστόν* (id enim quivis hic expectet) potuerit displicere librariis vel obscurum esse.

IX, 27. *ὅπου δὲ χιλὸς σπάνιος εἴη, αὐτὸς δὲ δύναιτο παρασκευάσασθαι διὰ τὸ πολλοὺς ἔχειν ὑπηρέτας καὶ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν, διαπέμπων ἐκέλευε τοὺς φίλους τοῖς τὰ ἑαυτῶν σώματα ἄγουσιν ἵπποις ἐμβάλλειν τοῦτον τὸν χιλὸν ὡς μὴ κτέ.* Neque bene Graece neque eleganter verba *τοῦτον τὸν χιλόν* hic interponuntur: in praecedenti enim *διαπέμπων* propter praepositionem *διά* censendum est latere obiectum, quod significet pabuli portiones, idque omitti et debebat et egregie poterat propter vocabulum *χιλός* in sententiae initio. Quis enim ferre possit *ὅπου χιλὸς σπάνιος εἴη διέπεμπε χιλόν*? Atqui absurdius etiam est: *ὅπου δὲ χιλὸς σπάνιος εἴη διαπέμπων ἐκέλευε τοὺς φίλους ἐμβάλλειν τοῦτον τὸν χιλόν.*

IX, 31. *ἔφυγεν ἔχων καὶ τὸ στράτευμα πᾶν οὗ ἡγεῖτο.* „*καί*, etiam", (aiunt docti grammatici) „e supresso orationis membro, ad quod refertur, explicandum est. *ἔχων καὶ τὸ στράτευμα* h. e. non solum ipse, sed etiam simul abducens exercitum suum". Hac ratione, ubicunque legitur *ἦλθε* vel *ᾤχετο ἄγων, ἔχων, φέρων*, inserere *καί* possis. Mihi vero hoc saltem loco ea particula inepte addita videtur, idque eo magis, quia ea

vis, quam *καί* habere contendunt grammatici, in adiectivo *πᾶν* inest.

C. X. 1. *εἰς τὸν σταθμὸν ἔνθεν ὥρμηντο.* Verbis *τῇ προτεραίᾳ* (quae leguntur II, 1, 3) hic quoque aegre careo, eorumque omissionem librariorum negligentiae tribuo. Nam *σταθμὸς ἔνθεν ὥρμηντο* ineptum est, nisi addatur, quo tempore inde sint profecti: excepta enim illa, ubi copiae nunc cum maxime versantur, omnes stationes sunt *σταθμοὶ ἔνθεν ὥρμηντο.*

LIBER II.

C. I, 21 *ἢ ὡς πολέμου ὄντος. παρ' ὑμῶν ἀπαγγελῶ* et 23 *σπονδὰς ἢ πόλεμον ἀπαγγελῶ*; Utroque loco Cobetus legendum esse censet *ἀπαγγείλω*: num recte dubito; scrupulum enim iniicit, quod Clearchus c. II, 10 dicit: *πότερον ἄπιμεν ᾗνπερ ἤλθομεν,* prorsus eadem sententia.

II, 18 *ἐξεπλάγη δὲ ὡς ἔοικε καὶ βασιλεὺς τῇ ἐφόδῳ τοῦ στρατεύματος.* Equidem vix concoquo verba *ὡς ἔοικε*, quum statim sequatur: *ἐδήλωσε δὲ τοῦτο κτέ.*

III, 10 Absurde mihi inter se opponi videntur verba *τὰς μὲν σπονδὰς ποιησάμενος* et *τὸ δὲ στράτευμα ἔχων ἐν τάξει,* neque credo hic Xenophontem ea orationis figura usum esse, quam „parataxin pro hypotaxi" appellare solemus: etenim sententia, quam, si locus ita explicandus esset, verba *τὰς μὲν σπονδὰς ποιησάμενος* acciperent, iam in coniunctione *μέντοι,* quae praecedit, inest. Verisimillimum ergo mihi videtur, ea verba cum particula *δέ* (inter *τὸ* et *στράτευμα*) a grammatico esse addita, quo perspicuum fieret, quae esset Clearchi prudentia et adversus barbarorum insidias vigilantia.

III, 17 εὕρημα ἐποιησάμην εἴ πως δυναίμην παρὰ βασιλέως αἰτήσασθαι δοῦναι ἐμοὶ ἀποσῶσαι ὑμᾶς εἰς τὴν Ἑλλάδα. Verba αἰτήσασθαι δοῦναι mihi vehementer displicent; nam quid, quaeso, istud est genus εὑρήματος, ut ab aliquo aliquid petere possis? Recte demum eo nomine designatur id, quod ab aliquo impetras. Ex uno ergo verbo, quod „impetrare" significet, corruptam lectionem, quam nunc habemus, natam esse arbitror, sed probabilem emendationem non potui excogitare.

IV, 7 ἐγὼ μὲν οὖν βασιλέα, ᾧ οὕτω πολλά ἐστι τὰ σύμμαχα, εἴπερ προθυμεῖται ἡμᾶς ἀπολέσαι, οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ αὐτὸν ὀμόσαι κτέ. Pueri est ita pronomen αὐτόν ponere πρὸς ἐπανάληψιν substantivi βασιλέα, quod paucissimis verbis interiectis antecedit: neque licet provocare ad V, 6, 15, ubi longissimum est spatium inter Ξενοφῶντι et αὐτῷ, vel ad V, 7, 30, ubi τούτους haud levem habet emphasin. Aures in eiusmodi rebus consulendae sunt.

V, 5 Hanc sententiam ne illis quidem non corruptam videri credo, qui eam defendere vel explicare sint conati. Iucundum est Kühnerum audire, cui „vulgarem structuram οἶδα ἀνθρώπους τοὺς μὲν ἐκ διαβολῆς, τοὺς δὲ καὶ ἐξ ὑποψίας φοβηθέντας ἀλλήλους, φθάσαι βουλομένους — ποιήσαντας Xenophon immutasse videtur, ut participiorum concursus evitaretur." Neque „participiorum concursum" tam anxie metuebat Xenophon: e nullo enim scriptore plura huiusmodi structurae exempla colligi possunt: vide, ut unum afferam, I, 1, 11: ὡς εἰς Πισίδας βουλόμενος στρατεύεσθαι, ὡς πράγματα παρεχόντων τῶν Πισιδῶν κτέ.; neque tam parum Graece sciebat, ut, ne ineleganter scriberet, absurde scriberet. Nam quod Bornemannus e § 21 affert: ἀπόρων ἐστὶ καὶ ἀμηχάνων .... οἵτινες, scire pervelim, quem „concursum" ibi vitarit Xenophon: non enim potest illa sententia vel venustius vel magis

perspicue enuntiari. Et quis, quaeso, participiorum concursus exsistet, si reponemus id, quod et scribendum erat, et, ut mihi quidem videtur, Xenophon scripsit? Non enim dubito quin ita sit legendum: *καὶ γὰρ οἶδα ἀνθρώπους ἤδη τοὺς μὲν ἐκ διαβολῆς, τοὺς δὲ καὶ ἐξ ὑποψίας φοβηθέντας ἀλλήλους, οἵ, φθάσαι βουλόμενοι πρὶν παθεῖν, ἐποίησαν ἀνήκεστα κακὰ τοὺς οὔτε μέλλοντας οὔτ' ἂν βουλομένους τοιοῦτον οὐδέν.* Lenissimam hanc esse emendationem nemo, ut opinor, negabit.

V, 7 Quid sit *ἀπὸ ποίου τάχους φεύγων* me nescire iam supra significavi.

V, 18 *τοσοῦτοι δ' εἰσὶ ποταμοὶ ἐφ' ὧν ἔξεστιν ἡμῖν ταμιεύεσθαι ὁπόσοις ἂν ὑμῶν βουλώμεθα μάχεσθαι.* Paulo fusius mihi de hoc loco disputandum est; novi tamen nihil afferam, sed iis quae alii attulerunt nova, ut opinor, ratione utar. Non enim operam dedi, ut quam plurimos conquirerem locos, ubi verbum *ταμιεύεσθαι* sensu metaphorico positum esset; nam neque credo facile plures colligi posse, quam qui in editione Schneideriana (a. 1825) ad hunc locum illustrandum citantur, et illi ipsi ad iudicium meum informandum mihi sufficiunt.

Iam paululum a ceteris differt locus, quem ex Cyropaedia (III, 3, 47) affert Hutchingtonus. *Παραδόντες ἑαυτοὺς ἡμῖν ταμιεύεσθαι, ὥστε ὁπόσοις ἂν βουλώμεθα αὐτῶν μάχεσθαι.* Ibi enim *ἑαυτούς*, quamquam proprie est verbi *παραδόντες* obiectum, tamen etiam ad *ταμιεύεσθαι* pertinet: ergo et coniunctione *ὥστε* et particula *ἂν* opus est. Nam qui accuratissime vertere vult, ei sic est faciendum initium: „hostes se ipsos nobis in partes dividendos tradiderunt". Haec per se absoluta sententia est, eique, quod sequitur, coniunctione aliqua annectendum est: nulla autem coniunctione *ὥστε* aptior est. Habemus ergo haec: „hostes se nobis in partes dividendos tradiderunt: itaque licet nobis pugnare....". Iam sententia ad finem pervenire non potest nisi prono-

mine *relativo* utamur: „cum ea parte hostium, quam nobis commodum est aggredi".

Ubi vero ταμιεύεσθαι nullum obiectum habet, unice rectum est, quod apud Thucydidem legitur (VI, 18): οὐκ ἔστιν ἡμῖν ταμιεύεσθαι, ἐς ὅσον βουλόμεθα ἄρχειν. Verbum enim ταμιεύεσθαι proprie usurpatur de promocondo, qui ex cella penaria, de quaestore, qui ex aerario depromit quantum ipsi videtur, vel potius de domino, de rege qui depromi iubent. Metaphorice autem de eo, qui cuiusvis rei liberum habet arbitrium, ut depromat i. e. ad suum usum sumat, quantum libet. Ergo ταμιεύεται τοὺς πολεμίους is qui hostium copias ita dividit, ut singulas partes facile vincere possit, et quid sit οἱ πολέμιοι παραδιδόασιν ἑαυτοὺς ταμιεύεσθαι, supra vidimus. Omisso autem obiecto, verbum ταμιεύεσθαι significat „suo arbitratu statuere": tum vero nulla nisi *interrogativa* sententia recte cum eo iungitur. Non enim, ut loco Thucydideo utar, verba οὐκ ἔστιν ἡμῖν ταμιεύεσθαι, sententiam absolutam efficiunt: pro obiecto addendum erat, quod Thucydides addidit.

Apparet ex iis, quae hucusque dixi, mihi omnibus locis, ubi verbum ταμιεύεσθαι careat obiecto, neque adiici potuisse, neque olim adiectam fuisse videri coniunctionem ὥστε. Aut ergo corruptum est quod legitur Cyrop. IV, 1, 18: παρέσχον ἡμῖν ταμιεύεσθαι, ὥστε ὁπόσοις ἐβουλόμεθα αὐτῶν μάχεσθαι, et ὥστε delendum erit, aut ἑαυτούς, quod praecedit, etiam ad ταμιεύεσθαι trahendum est, eaque mihi explicatio magis arridet, quia sic alter ex Cyropaedia locus cum altero fideliter conspirat. Eiecto autem ὥστε, vel non addito, pronomen ὁπόσοις non est relativum sed *interrogativum*. Non potest ergo Anabasis loco, de quo nunc agimus, coniunctivus cum particula ἄν ab ea pendere, sed legendum est ἐφ' ὧν ἔξεστιν ἡμῖν ταμιεύεσθαι, ὁπόσοις ὑμῶν βουλόμεθα μάχεσθαι. Nemo enim, ut opinor, contendet ταμιεύεσθαι eorum esse verborum, quae, ut *posse* et

velle recte cum infinitivo iungantur. Corruptum autem locum esse ex eo apparet, quod in plerisque codicibus est *βουλοίμεθα* pro *βουλώμεθα.*

Et *ὥστε* et *ἂν* eiiciendum, et pro coniunctivo indicativus legendus est Hipp. VII, 11: *καὶ ἐν διαβάσεσί γέ ἐστι .... ταμιεύσασθαι, ὥστε, ὁπόσοις ἂν βούληται τῶν πολεμίων, ἐπιτίθεσθαι.* Audacem me esse sentio, sed audacem me fecit idoneus auctor Thucydides: neque incredibile videtur, in locutione paulo exquisitiore, et ad recte intelligendum paulo difficiliore, a vero aberrasse grammaticos.

Locum Plutarcheum, quem apposuit Bornemannus non tangam. Plutarchus enim ibi activo *ταμιεύειν* eam vim tribuit, quae a locis, de quibus supra vidimus nimium recedat: eius verba sunt: *συνιδὼν ὁ Τιμολέων τὸν ποταμὸν αὐτοῖς ταμιεύοντα, τοῦ πλήθους τῶν πολεμίων ἀπολαβεῖν, ὅσοις ἐθέλοιεν αὐτοὶ μάχεσθαι,* i. e. verbum *ἀπολαβεῖν,* quod in *ταμιεύεσθαι* latere solet, *πλεοναστικῶς* addit.

V, 24 *οὐκοῦν, ἔφη, οἵτινες τοιούτων ἡμῖν ἐς φιλίαν ὑπαρχόντων, πειρῶνται διαβάλλοντες ποιῆσαι πολεμίους ἡμᾶς, ἄξιοί εἰσι τὰ ἔσχατα παθεῖν;* Parum attinet *cuius generis* causae illae ad amicitiam iungendam servandamque sint, sed ex eo quod *multae gravesque* sunt, sequitur, illos, qui inimicitias serant, poena dignos esse. Non ergo *τοιούτων* legendum est sed *τοσούτων.* Conferatur Memor. II, 3, 4: *πρὸς φιλίαν μέγα ὑπάρχει τὸ ἐκ τῶν αὐτῶν φῦναι.*

V, 41 *Πρόξενος δὲ καὶ Μένων, ἐπείπερ εἰσὶν ὑμέτεροι μὲν εὐεργέται, ἡμέτεροι δὲ στρατηγοί, πέμψατε αὐτοὺς δεῦρο.* Proxime praecedens nominativus *Κλέαρχος* librarios permovit ut id, quod eleganter a Xenophonte scriptum esset, inficete corrumperent. Restituendum ergo: *Πρόξενον δὲ καὶ Μένωνα, ἐπείπερ εἰσὶν ὑμέτεροι μὲν εὐεργέται, ἡμετέροι δὲ στρατηγοὶ, πέμψατε δεῦρο.*

VI, 13 *οἵτινες δ' ἢ ὑπὸ πόλεως τεταγμένοι, ἢ ὑπὸ τοῦ δεῖσθαι,*

ἢ ἄλλῃ τινὶ ἀνάγκῃ κατεχόμενοι παρεῖεν αὐτῷ, σφόδρα πειθομένοις ἐχρῆτο. Vix opus est ut demonstrem, haec sana esse non posse; locum indicare satis est. Quid enim est ὑπὸ τοῦ δεῖσθαι τεταγμένοι, quid ὑπὸ τοῦ δεῖσθαι κατεχόμενοι? Nam aut cum τεταγμένοι, aut cum κατεχόμενοι istud ὑπὸ τοῦ δεῖσθαι iungi debet. An forte ὑπὸ τοῦ δεῖσθαι παρῆσαν αὐτῷ significare potest, quod Kühnerus vult, „egestate adducti cum Clearcho erant"? Ubi enim, obsecro, δέομαι significat „in re angusta domi sum"? Quid tamen Xenophon scripserit in tenebris latet: hoc unum mihi certum videtur, e praecedenti ὑπὸ πόλεως vitium natum esse.

VI, 22 ἐπὶ δὲ τὸ κατεργάζεσθαι ὧν ἐπιθυμοίη συντομωτάτην ᾤετο ὁδὸν εἶναι διὰ τοῦ ἐπιορκεῖν κτέ. Verba συντομωτάτην ὁδόν praedicati locum obtinent: ne ergo subiectum desit, legendum est: τὴν διὰ τοῦ ἐπιορκεῖν.

VI, 24 Verba τὰ δὲ τῶν φίλων μόνος ᾤετο εἰδέναι ῥᾷστον ὂν ἀφύλακτα λαμβάνειν mihi merae videntur caligines, neque quidquam ad ea intelligenda nos adiuvat Kühneri annotatio: „vocabulum μόνος ea vi additum videtur, ut significet *praeter ceteros* aut *unus omnium maxime*". Quamquam dubitari non potest, quin μόνος id significare possit. E magna exemplorum copia unum afferam: Lysias XIV, 7: ἡγοῦμαι δ' ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅλῳ τῷ νόμῳ μόνον αὐτὸν τῶν πολιτῶν ἔνοχον εἶναι.

LIBER III.

C. I, 13. ὁποῖόν τι μέντοι ἐστὶ τὸ τοιοῦτον ὄναρ ἰδεῖν ἔξεστι σκοπεῖν ἐκ τῶν συμβάντων μετὰ τὸ ὄναρ. Vel aures admonent, haec sana esse non posse: durissima enim est ista vocabuli ὄναρ repetitio. Sed multo certius e sententia peti potest cor-

ruptelae indicium. Docere enim vult Xenophon et leniter reprehendere illos, qui minus quam ipse moveantur portentis, somniis, ominibus, eaque derideant, quae ipsi manifesta videantur deorum voluntatis signa. Somnium autem, quod hic Xenophon narrat, a ceteris non est sua natura diversum: quodsi narratione sua hoc demonstrare vellet, *eiusmodi* somnium maximi esse momenti, non multum conferret ad hominum fidem augendam et corroborandam. Quotus enim quisque est, cui in somno domus paterna, de coelo tacta, ardere videatur? Verum expunge verba *ὄναρ ἰδεῖν*, perspicua erit scriptoris sententia, simulque apparebit, quomodo istud additamentum in textum irrepserit. Verba *τὸ τοιοῦτον* saepissime ita ponuntur, ut referenda sint, non ad unam aliquam rem, quae praecedit, verum ad totum aliquod rerum genus, cuius paulo ante exemplum est positum. Rarissime autem ea verba librarii grammaticique intacta relinquunt: aut enim non intelligunt et temere mutant, aut ipsi quidem intelligunt, sed lectorum gratia annotationem ascribunt, quae postea in textum recipitur. Utrum loco, de quo nunc agimus, acciderit, vix opus est dicere: quis enim non videt, verba *ὄναρ ἰδεῖν* olim in margine fuisse adscripta ad explicandum, quid esset *τὸ τοιοῦτον*? Nam hoc Xenophon vult: ex iis, quae post somnium acciderunt, videre potes, quanta vis sit *eiusmodi rerum* i. e. non tantum somniorum, sed etiam aliorum miraculorum portentorumque. Lubet hic alium ex alio scriptore locum afferre, quem olim satis feliciter, ut mihi quidem videor, emendavi, quia sic et alterius corruptelae luculentum dabo exemplum. Apud Lucianum in Alexandro § 2 haec leguntur: „si quis vitio nobis dederit, quod hominis tam profligati, quam Alexander fuit, vitam scribere decrevimus, *ἕξομεν καὶ αὐτοὶ ἐς παράδειγμά τι τοιοῦτον ἀνενεγκεῖν*. Quoniam autem neque obiectum abesse potest, et Lucianus hoc dicit:

„non deërit nobis exemplum, quo illud *scribendi genus* defendamus" legendum est *τὸ τοιοῦτον*. Cf. Iov. Trag. 30: *Φὴς γὰρ καὶ μάντις εἶναι καὶ μισθοὺς οὐκ ὀλίγους ἐπὶ τῷ τοιούτῳ ἐξέλεξας*. Saturn. 4: *εἰ μή σοί γε μικρὸν δοκεῖ τὸ νικᾶν κυβεύοντα — πολλοὶ γὰρ ἐς κόρον ἀπὸ τοῦ τοιούτου ἐπεσιτίσαντο.*

I, 28. Haec leguntur: „quum Rex videret, nos de victoria non desperare, nihil intentatum reliquit *πρέσβεις πέμπων καὶ παρέχων τὰ ἐπιτήδεια, ἔστε σπονδῶν ἔτυχε*." Quam inepte his interponitur *καὶ σπονδὰς αἰτῶν*!

II, 13. Praecedit narratio de Atheniensium erga Deos immortales pietate, quum copias a Dario missas reppulissent. Sequitur: *ἔπειτα δὲ ὅτε Ξέρξης ὕστερον ἀγείρας τὴν ἀναρίθμητον στρατιὰν ἦλθεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα κτέ.* Quid eo homine facias, qui primus istud *ὕστερον* addiderit? Cf. quae dixi ad I, 7, 18.

II, 33. Proferam ad hunc locum emendationem, quam palmarem appellare non dubito. Non enim mea est, sed amici Schwartzii. Postquam Xenophon milites adhortatus est, et quid sit agendum docuit, Chirisophus haec dicit: *ἀλλ' εἰ μέν τινος ἄλλου δεῖ πρὸς τούτοις οἷς λέγει Ξενοφῶν, καὶ αὐτίκα ἐξέσται ποιεῖν, ἃ δὲ νῦν εἴρηκε δοκεῖ μοι ὡς τάχιστα ψηφίσασθαι ἄριστον εἶναι.* Corruptum locum esse et ipse videram, neque quisquam potest non videre. Absurde enim inter se opponuntur „posthac facere" et „statim decernere". An forte non et eae res, quas Xenophon suaserat, *posthac faciendae* erant? An de illis rebus, de quibus Xenophon non dixerat, non opus erat *deliberare* et *decernere*? Ipse ergo conieceram pro *ποιεῖν* legendum esse *λέγειν*, sed neque verisimile hoc est, et propter praecedens *λέγει* paulo durius. Egregie vero Schwartzius, et ita ut a ductibus literarum, quos libri manuscripti praebent, non multum recederet, emendavit *σκοπεῖν*.

III, 2. *ἔλθοιμ' ἂν πρὸς ὑμᾶς καὶ τοὺς θεράποντας πάντας ἄγων.* Deleatur *καί*. Cf. ad I, 9, 31.

III, 5. Postquam cognitum est Medosadem a Rege summissum esse, qui Graecis persuaderet, ut arma traderent, duces decreverunt nullum posthac in castra admittere legatum. *διέφθειραν γὰρ προςιόντες τοὺς στρατιώτας.* Qui tandem illi sunt, qui milites corrumpebant? Non enim hoc e praecedentibus apparet. Ut suum sibi subiectum sententia habeat, lege *οἱ προςιόντες.* Deinde sequitur: *καὶ ἕνα γε λοχαγὸν διέφθειραν Νίκαρχον Ἀρκάδα, καὶ ᾤχετο κτέ.* Haec verba ut bene cohaereant, pro *καὶ ᾤχετο* scribendum est *ὃς ᾤχετο.*

IV, 35. *δεῖ ἐπισάξαι τὸν ἵππον Πέρσῃ ἀνδρὶ καὶ χαλινῶσαι.* Dura hercle ea est militia, in qua viro equus portandus sit! Quid vero verba quae citavi aliud significare possunt quam: Persae clitellarum instar equum imponi necesse est? Emendent locum acutiores!

V, 4. *καὶ οἱ μὲν ἀμφὶ Χειρίσοφον ἀπῇσαν ἐκ τῆς βοηθείας.* Annotat Kühnerus: „obscurius hoc loco locutus est Xenophon, nam huius *βοηθείας* nullam antea mentionem fecit. Videntur ergo Chirisophus eiusque milites auxilium tulisse iis Graecis, qui praedaturi dispersi erant, quum nonnulli eorum a Persis occisi essent. Eo tempore Tissaphernes eiusque milites vicos comburere conati sunt. Qua re commotus Chirisophus eiusque milites redierunt *ἐκ τῆς βοηθείας.*" Non est hoc „obscure loqui", sed vitium committere, quo nullum scriptor gravius committere possit. Quis enim unquam tam negligenter narravit, ut de ea re, tamquam nota, loqueretur, quam nullus lector non modo scire, sed ne divinare quidem posset? Quis unquam ita scribere ausus est, ut milites aliquos *profectos esse* omitteret, eosdem *rediisse* lectorem certiorem faceret? Satius ergo est in editionibus ante verba citata lacunae ponere signum.

LIBER IV.

C. II, 14. *ἔτι δὲ αὐτοῖς τρίτος μαστὸς λοιπὸς ἦν πολὺ ὀρθιώτατος ὁ ὑπὲρ τῆς ἐπὶ τῷ πυρὶ καταληφθείσης φυλακῆς τῆς νυκτὸς ὑπὸ τῶν ἐθελοντῶν.* Verba *τῆς νυκτὸς ὑπὸ τῶν ἐθελοντῶν* ad tempus, quo excubitores illi deprehensi sint, indicandum addita sunt, non ab ipso Xenophonte, verum a grammatico, quod vel locus, ubi posita sunt, arguit.

III, 2. *τότε μὲν οὖν ηὐλίσθησαν μάλα ἡδέως καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἔχοντες καὶ πολλὰ τῶν παρεληλυθότων πόνων μνημονεύοντες.* Participia *ἔχοντες* et *μνημονεύοντες* causam continent, cur milites tam iucunde pernoctarint, ergo prius *καί* eiiciendum est.

III, 8. *ἔδοξεν ἐν πέδαις δεδέσθαι, αὗται δὲ αὐτῷ αὐτόμαται περιρρυῆναι, ὥστε [λυθῆναι καὶ] διαβαίνειν ὁπόσον ἐβούλετο.* En emblema, omnibus quotquot sunt vel fuerunt insulsius!

IV, 7. *κώμας πέριξ πολλὰς πολλῶν τῶν ἐπιτηδείων μεστάς.* Cobetus pro *τῶν ἐπιτηδείων* edidit *ἀγαθῶν*: quod ad sensum rectissime; nescio tamen an probabilius sit *πολλῶν* delere, aut e dittographia aut ex annotandi studio natum.

V, 35. *καὶ ἵππον ὃν εἰλήφει παλαίτερον δίδωσι τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ Ἡλίου, δεδιὼς μὴ ἀποθάνῃ.* Delectat me iste pagi praefectus, Soli consecratus, cui, ne immatura morte abripiatur, equum dono dat Xenophon. Nulla enim alia sententia e verbis, quae nunc leguntur, elici potest. Reddamus ergo equo, quae equi sunt, id est pronomen *αὐτὸν* eiiciamus. Cf. quae dixi ad II, 4, 7.

VI, 11. *πολὺ οὖν κρεῖττον τοῦ ἐρήμου ὄρους καὶ κλέψαι τι πειρᾶσθαι λαθόντας καὶ ἁρπάσαι φθάσαντας.* Aut dolo aut vi agendum est; lege ergo, pro *καὶ* — *καί*, *ἢ* — *ἤ*. Ne dubites, inspice V, 6, 9: *εἰ δὲ καὶ συνήθεῖτε τά τε ὄρη κλέψαι ἢ φθάσαι λαβόντες κτέ.*

Antequam ad librum quintum transeam cum lectore communicabo, quae molestiae me in narratione quadam libri quarti legenda diu exercuerint, et quo modo eas tandem aliquando sustulisse mihi videar. Operaeque pretium me facturum credo, nam ne in editionibus quidem puerorum in usum compositis, quidquam inveni quod eam narrationem satis illustraret, et tamen amicos meos Graece bene doctos, quos, ut soleo facere, de ea consului, iisdem difficultatibus, quibus me teneri cognovi. Explicationem autem quam nunc lectori proponam, quaeque mihi satis placet, non mihi soli vindico: magnam eius partem Lehmanno meo debeo; ceteris enim ignorare se fatentibus ad illum tanquam ad ultimum praesidium confugi. Sed quo magis appareat, quo modo accipienda mihi nunc ea videantur, quae olim obscura mihi visa sunt, totam illam narrationem raptim percurram, paulisper subsistens in iis verbis, de quibus aliqua possit esse dubitatio. Initium ergo faciendum est a § 23 capitis quinti:

Xenophontis milites post longum et difficile per nivem iter latum conspiciunt campum plenum pagorum, in quorum unum iam Chirisophus, qui primos ordines ducebat, cum militibus suis pridie advenerat. Ceteri duces decernunt ut singuli ordines per ceteros pagos dividantur, deque iis sortem ducunt. Polycrates ergo Atheniensis, venia a Xenophonte impetrata, in eum pagum, qui Xenophonti obtigerat, excurrit, ibique omnes incolas cum praefecto eiusque filia recens nupta deprehendit. Quo postquam Xenophon advenit praefectum (*κώμης ἄρχων* appellatur § 28, *κώμαρχος* § 24) bono animo esse iubet: non enim esse metuendum ne *liberis* spolietur (ergo § 24 inter *κωμήτας* et filios praefecti fuisse intelligendum est), sed, si boni ducis fungatur officio, donec ad aliam gentem pervenerint, Graecos eum large et libera-

liter remuneraturos esse. Ille promittit se, quidquid Xenophon velit, facturum esse, Graecos benigne excipit, vinum ubi defossum sit monstrat, militibus ea nocte omnia, quibus opus est copiose praebet. Postridie Xenophon cum praefecto ad Chirisophum proficiscitur; in eo itinere et reliquis militibus in suis pagis bene esse cognoscit: non enim, qui illos habitabant, minus benigne Graecos exceperant; ipsum Xenophontem cum praefecto suo praetereuntem cuiusque pagi incolae invitant prandiumque iis apponunt; praefectum iubent sibi quidquid velit sumere: iste vero nihil accipit, sed sicubi cognatorum suorum aliquem videt, eum ad se recipit. (Cognatos autem illos credo aut a Graecis captos esse, aut ideo praefectum eos ad se recepisse, quod eos mallet Xenophonti quam eius collegis committere, metueretque, ne in aliorum ducum manus pervenirent). Tandem ad Chirisophum veniunt: eum quoque cum militibus suis hilare convivantem offendunt, pueris Armeniis vinum ministrantibus. Ibi Chirisophus et Xenophon praefectum de regione et itinere interrogant, interprete usi, qui Persice sciebat. (Quo modo ergo antea Xenophon cum praefecto locutus erat? An eodem modo, quo Chirisophus eiusque milites cum pueris illis Armeniis?) Postquam praefectus respondit, Xenophon *αὐτὸν ᾤχετο ἄγων πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ οἰκέτας*, i. e. ad pagum, ubi pernoctaverat et ubi praefecti domus est redit. Apud eum Xenophontis milites aliquot dies morantur, octavo die se dant in viam. Neque obliviscitur Xenophon eorum quae promisit: domum enim hospitis sui implet quam maxima potest commeatus copia. Iter autem faciunt eodem illo praefecto, hospite Xenophontis, duce: eum Chirisophus, iratus, quod non ad pagos aliquos exercitum ducat, verberat, vincire tamen negligit: dux ergo nocte aufugit, filio suo, quem Xenophon Epistheni custodiendum tradiderat, derelicto (*ἐγκαταλιπών*: sic enim legendum

est pro καταλιπών) „eaque sola discordiae inter Xenophontem et Chirisophum causa fuit, quod ducem castigatum non melius custodisset". His verbis lepidissimae suae narrationi finem facit Xenophon, cuius ego brevem quandam partem consulto neglexi, quia de ea disputare nolebam, priusquam totius narrationis argumentum ad finem perduxissem; estque ea pars eiusmodi, ut satis mirari non possim, nullum editorem quidquam explicandi interpretandique causa annotasse; nam hercle non solent qui nunc auctores Graecos scholarum in usum illustrant chartae verbisque parcere: saepe ambagibus suis impedita reddunt ea, in quibus nulla est molestia. Hic tamen locus, de quo nunc sum disputaturus, profecto aliqua annotatione dignissimus erat. Non enim pueros solum, sed etiam doctiores, qui diu multumque in literis versati sunt, in errorem inducere potest, immo haud dubie inducet, nisi ad eam interpretandi rationem confugerint, a qua Xenophontis scripta alienissima esse videntur, id est nisi finxerint Xenophontem parum accurate et obscurius locutum esse.

Legitur enim capite VI § 1: ἐπεὶ δὲ ἡμέρα ἦν ὀγδόη τὸν μὲν ἡγεμόνα παραδίδωσι Χειρισόφῳ, τοὺς δὲ οἰκέτας καταλείπει τῷ κωμάρχῃ. Quis non obiter haec adspiciens ita vertenda esse putet: „ducem Chirisopho tradit, apud pagi praefectum familiares eius relinquit"? Hoc enim Graece qui dicere vult, neque aliis verbis quam quae nunc apud Xenophontem leguntur uti, neque ea alio ordine ponere potest. Videamus ergo, quid ex iis verbis sequeretur, si eam sententiam haberent, quam grammaticae leges iis praebere iubent. Primum diversus esset dux a pagi praefecto: videntur enim verba ἡγεμόνα et κωμάρχῃ inter se opponi. Tum domi maneret pagi praefectus. Qui enim τοὺς οἰκέτας τῷ κωμάρχῃ καταλείπει, eum quotidiani sermonis usus postulat ut intelligamus, primum

ipsum pagi praefectum domi reliquisse, deinde ei et hanc veniam dedisse, ut secum suos familiares retineret. Quoniam vero mox sequitur *ἡγεῖτο δὲ αὐτοῖς ὁ κωμάρχης λελυμένος*, novum hic exoriri pagi praefectum censendum esset, haberemusque duos pagi praefectos, ducemque ab illis diversum. Absurdum tamen hoc esse et a narratione alienum cuivis est perspicuum: neque pagi praefectus domi remanet, et idem homo modo *κωμάρχης* modo *ἡγεμών* appellatur. Iam ex iis, quae de filio statim post *τοὺς δὲ οἰκέτας καταλείπει τῷ κωμάρχῃ* dicuntur, id luce clarius apparet. Legitur enim: *τοῦτον Ἐπισθένει παραδίδωσι φυλάττειν, ὅπως, εἰ καλῶς ἡγήσαιτο, ἔχων καὶ τοῦτον ἀπίοι.* Nemo autem *cum filio redit* nisi ex eo loco, quo cum filio est profectus.

Qua ergo ratione nos ex ea difficultate, quae primis capitis sexti verbis inest, expediamus? Statuamus Xenophontem paulisper sui oblitum esse, et negligenter scripsisse, neque solum negligenter, sed vitiose et ita ut quid velit ex eius verbis vix recte intelligi possit. Quod enim cuique sermonis Graeci non ignaro nihil aliud significare posse videatur quam: „ducem tradit Chirisopho, apud pagi praefectum cognatos eius relinquit" hic revera significat: „ipsum praefectum Chirisopho tradit, ut eo duce utatur, familiares eius domi relinquit"; *τὸν μέν* enim obiectum est, *ἡγεμόνα* „appositionis" locum obtinet, *τῷ κωμάρχῃ* est dativus „commodi", et *τοὺς οἰκέτας καταλείπει τῷ κωμάρχῃ* idem est quod: *τοὺς οἰκέτας τοῦ κωμάρχου καταλείπει.*

Mirari possumus tam contortam verborum structuram Xenophonti placuisse, vel, quod probabilius est, imprudenti excidisse: negare non possumus, hanc ex eius verbis sententiam necessario extorquendam esse: nullam enim aliam reliqua narratio admittit, neque emendando quidquam proficere possumus. Nam quod mihi in mentem venit: *αὐτὸν*

μὲν ἡγεμόνα (vocabulum enim κωμάρχης proxime praecedit).... καταλείπει deleto τῷ κωμάρχῃ, ea medicina nimis violenta est.

LIBER V.

C. I, 8 „Oportet" inquit Xenophon „ducem, qui praedatum exire vult, nos de ea re certiores facere, simulque significare, quo ire velit ἵνα ἐάν τις τῶν ἀπειροτέρων ἐγχειρῇ ποι, συμβουλεύωμεν πειρώμενοι εἰδέναι τὴν δύναμιν ἐφ' οὓς ἂν ἴωσιν". Sensu cassa mihi haec videntur: quis enim unquam alii dat consilium de ea re, quam ipse fateatur se ignorare! Hic tamen peritiores dicuntur simul imperitos admonituri esse, simul *operam daturi*, ut quae sint hostium vires cognoscant. Quid si ea calliditate hostes sunt, ut ne peritiores quidem eorum numerum possint indagare? „Admonendi erunt" inquies „illi, qui expeditionis consilium ceperunt, ut a proposito desistant". At hoc omittendum non erat. Legendum ergo censeo πειρᾶσθαι pro πειρώμενοι. Non enim in eo periti ducis cernitur prudentia, quod ipse exploratoris munere fungitur, sed quod imperitos docet, nihil contra hostem ignotum suscipiendum esse, sed priusquam eum aggrediaris explorandum esse, quantum valeat copiis.

I, 15 Si in initio libri quinti locum indicare possem, quo Anabasis pars prior tam apte clauderetur, quam ludorum descriptione, quae in fine libri quarti legitur, egregium mihi viderer habere argumentum, quo demonstrarem bipartito Anabasin dividendam esse, et posteriorem partem multis annis post priorem esse editam. Hic enim, quomodo mortuus sit Dexippus Spartanus narratur: sed in libro sexto idem homo tamquam ex Orco revocatur, ut perfidiae suae plura

dare possit documenta. Ergo si cum aliqua veri specie defendere possem, Xenophontem post primum libri quinti caput substitisse, reliqua aliquot annis post addidisse, illam discrepantiam ita explicarem, ut dicerem, Xenophontem, quum de Dexippi morte scriberet, nondum statuisse, reliquam historiam usque ad copias Thibroni traditas literis mandare, et altera parte addita, eam mortis mentionem vel delere vel alio loco ponere neglexisse. Essetque hoc argumentum simillimum ei, quo Nitschius (Abfass. v. Xen. Hell. p. 6) probavit, inde a capite II libri V novam Hellenicorum incipere partem. Quum enim in ea parte, quae librum tertium et quartum cum primo quinti capite continet, nihil legatur, quod post pacem Antalcideam acciderit, praeter regis Pausaniae obitum (III, 5, 25), idemque Pausanias capite secundo libri quinti (§ 3) dicatur vivere etiam et Mantinensibus favere, ex ea re apparere contendit Nitschius, Xenophontem, quum de Pausaniae exilio narrasset, ideo et mortis eius, quae aliquot annis post accidit, mentionem fecisse, quod consilium cepisset, eam tantum historiae partem tractandi, quae pace Antalcidea clauderetur, nesciretque, se postea et ea, quae post eam pacem in Graecia acta essent, narraturum esse. Nunc quo modo locos de Dexippo inter se conciliem non video: sed hoc intelligo, antequam discrepantia, quam ego indicavi, vel sublata sit vel explicata, Nitschii quoque de Hellenicis argumentum aliquanto infirmius esse, quam ipsi videatur.

I, 17 Κλεαίνετος δ' ἐξαγαγὼν καὶ τὸν ἑαυτοῦ καὶ ἄλλον λόχον πρὸς χωρίον χαλεπόν, αὐτός τε ἀπέθανε καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν σὺν αὐτῷ. Miraculi instar est, quod Trapezunte Cleaenetus prorsus idem facit, quod postea Cerasunte Clearetus (c. VII, 17): uterque enim narratur locum in vicinia bene munitum aggressus cum magna parte militum occidisse: in rebus tam

similibus vix credibilis videtur nominum quoque similitudo, quum praesertim, si et Trapezunte et Cerasunte tale quid accidisset, nulla causa esset, cur de altero incommodo in oratione ad milites, quam capite VII habet, sileret Xenophon, alterius tantum mentionem faceret. Non enim minus Cleaeneti quam Cleareti improbanda erat audacia et temeritas. Censeo ergo lectorem aliquem male sedulum, ne in narratione taceretur de ea re, quam in oratione capitis VII narrat Xenophon, sententiam supra citatam adscripsisse, sed quum id e memoria faceret, et in ducis et in urbis nomine paululum a vero aberrasse.

II, 5 *καὶ γὰρ ταφρὸς ἦν περὶ αὐτὸ εὐρεῖα ἀναβεβλημένη καὶ σκόλοπες ἐπὶ τῆς ἀναβολῆς.* Non ipsa fossa, ut opinor, sed terra e fossa egesta *ἀναβάλλεται.* Delendum esse credo *ἀναβεβλημένη.* Erat quum putarem inserendum esse *καὶ γῆ*, sed neque verbis *καὶ γῆ ἀναβεβλημένη* propter *ἐπὶ τῆς ἀναβολῆς* quod sequitur opus est: unaquaeque enim fossa suum sibi vallum habet.

II, 6 *πέμπουσι πρὸς τὸν Ξενοφῶντα· [ὁ δ' ἡγεῖτο τοῖς ὁπλίταις].* Ultima verba prorsus inutiliter adduntur. Qui hoc non ex ipsa narratione discere potest, indignus est, qui Anabasin legat. Vide praeterea, quam parum eleganter duae vicinae sententiae ab *ὁ δὲ* incipiant.

II, 8 *πότερον εἴη κρεῖττον ἀπαγαγεῖν καὶ τοὺς διαβεβηκότας ἢ καὶ τοὺς ὁπλίτας διαβιβάζειν.* Recte Cobetus prius *καί* delet. Eodem modo emendavit locum III, 1, 34, ubi ante eum legebatur: *λέξον δέ, ἔφη, καὶ σύ, ὦ Ξενοφῶν, ἅπερ καὶ πρὸς ἡμᾶς.* Huiusce capitis § 17 nunc editur *οἱ μὲν καὶ ἔχοντες ἃ ἔλαβον, τάχα δέ τις καὶ τετρωμένος*, sed et haec verba eandem medicinam flagitant. Vides quam frequens sit istud vitium.

II, 21 *καὶ τοὺς ἀχρείους καὶ φορτία ἔχοντας ἐξεπέμποντο καὶ τῶν ὁπλιτῶν τὸ πλῆθος καταλιπόντες οἱ λοχαγοὶ οἷς ἕκαστος ἐπί-*

στευεν. Vocabula οἱ λοχαγοί tam perverso loco posita sunt, ut tota sententia ne intelligi quidem possit: ea ergo aut delenda aut post ἐξεπέμποντο ponenda videntur, ut hic evadat sensus: lochagi milites, qui ad pugnam inutiles, quique onusti essent, dimiserunt cum maiore parte militum gravis armaturae: tantummodo secum retinebant, quibus quisque fidem haberet.

II, 30 Mysus quidam sic ψευδενέδραν ponit: milites nonnullos collocat in loco fruticibus consito, simulans se operam dare, ne ab hostibus conspiciatur: αἱ μὲν οὖν πέλται αὐτῶν ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε διεφαίνοντο χαλκαῖ οὖσαι. Luce clariora haec sunt. Sequitur autem οἱ μὲν οὖν πολέμιοι ταῦτα διορῶντες: haec verba non possunt alio sensu accipi quam „hostes, toto Mysi perspecto consilio"; quamquam vix recte hoc ita dici potest, acquiescerem tamen in lectione vulgata, si hostes dicerentur, intelligentes non veras sed simulatas esse insidias, milites male occultatos adorti esse, vel cinxisse et ad unum omnes occidisse. Quid vero legimus? ἐφοβοῦντο ὡς ἐνέδραν οὖσαν. Profecto mente capti isti homines fuerunt, qui quamquam adversariorum dolum intelligerent, tamen se decipi paterentur. Quantocius corrige: ταύτας. Etenim fulgore clipeorum per frutices conspecto, hostes milites in insidiis collocatos esse crediderunt.

III, 5 Nullum unquam insulsius emblema vidi, quam quod hic post Proxeni nomen legitur: ὃς σὺν Κλεάρχῳ ἀπέθανε. ξένος γὰρ ἦν αὐτοῦ.

IV, 34 ἔν τε γὰρ ὄχλῳ ὄντες ἐποίουν ἅπερ ἂν ἄνθρωποι ἐν ἐρημίᾳ ποιήσειαν. Non credo Xenophontem, hominem lenem et moderatum, Mossynoecos, quamvis sint feri et inculti, in bestiarum numero habere. Inserendum ergo puto ἄλλοι.

V, 2 καὶ οἱ στρατηγοὶ ἔχρῃζον πρὸς τὰ χωρία προςβάλλειν καὶ τὴν στρατιὰν ὀνηθῆναί τι. Non video, quid sibi velit passi-

vum ὀνηθῆναι. Cupiebant enim duces non minus quam milites praeda onusti domum reverti, et sic ὀνῆσαί τι τοὺς οἴκοι. Credo ergo hoc loco terminationem θηναι e compendio terminationis σαι natam esse.

VI, 3 ἀναστὰς δὲ Ἑκατώνυμος πρῶτον μὲν ἀπελογήσατο περὶ οὗ εἶπεν ὡς τὸν Παφλαγόνα φίλον ποιήσοιντο, ὅτι οὐχ ὡς τοῖς Ἕλλησι πολεμησόντων σφῶν εἴποι, ἀλλ' ὅτι ἐξὸν τοῖς βαρβάροις φίλους εἶναι τοὺς Ἕλληνας αἱρήσονται. Haud dubie Xenophontis verba labem contraxerunt. Non enim post coniunctionem ἀλλά sequi potest ὅτι, nam a verbo ἀπελογήσατο una pendere debet sententia, in duas partes divisa, quarum altera indicet, quid Hecatonymus dicere voluerit, altera quid non voluerit: prior pars in genitivo absoluto sit posita, fieri vix potest, quin et posterior eandem structuram habeat. Lege ergo ἀλλ' ὡς, ἐξὸν τοῖς βαρβάροις φίλους εἶναι, τοὺς Ἕλληνας αἱρησομένων. Vide quo modo emendandum censeam quod I, 3, 15 legitur.

VI, 10 ἐξ Ἡρακλείας δὲ οὔτε πεζῇ οὔτε κατὰ θάλατταν ἀπορία· πολλὰ γὰρ καὶ πλοῖα ἐστὶν ἐν Ἡρακλείᾳ. Καὶ πλοῖα: quid praeterea? An currus, quibus vehantur milites, qui nauseam metuunt. Inserendum videtur adiectivum καλά.

VI, 18 οὓς γὰρ παρὰ Κύρου ἔλαβε τριςχιλίους δαρεικοὺς [ὅτε τὰς δέκα ἡμέρας ἠλήθευσε θυόμενος Κύρῳ] διεσεσώκει. Non metuo, ne quis verba a me inclusa Xenophonti vindicet. Quis enim unquam ita locutus est: τὰς δέκα ἡμέρας ἠλήθευσε et θυόμενος Κύρῳ? Vide ad I, 7, 18.

VI, 20 ὁ δ' ἄσμενος ἀκούσας. Quid tandem Timasion audierit non facile dicas. Corruptum esse ἀκούσας vel propter bis praecedens ἀκούσαντες affirmare ausim. Veram tamen lectionem non repperi.

VI, 25 ἀναστὰς αὖθις Θώραξ, ὃς περὶ στρατηγίας Ξενοφῶντι ἐμάχετο, ἔφη κτέ. Cobetus ante περί inserit ἀεί: equidem

verba ὃς — ἐμάχετο abesse malim: melius enim hoc lectori ex ipsa narratione apparebit.

VI, 29 „Rem divinam facienti" ita Xenophon narrat „Silanus consultus mihi respondit id, quod maximi erat momenti, fausta esse sacra; (neque poterat hoc negare) sciebat enim me, qui semper sacrificiis adessem, eorum non imperitum esse. *ἔλεξε δὲ ὅτι ἐν τοῖς ἱεροῖς φαίνοιτό τις δόλος καὶ ἐπιβουλὴ ἐμοί, ὡς ἄρα γιγνώσκων ὅτι αὐτὸς ἐπεβούλευε διαβάλλειν με πρὸς ὑμᾶς.*" Ingeniose Cobetus pro *ὡς ἄρα γιγνώσκων* restituit *εἰδὼς ἄρα*; sed vel sic leve quoddam vitium remanet. Sibi enim ipse obloquitur Silanus, qui et fausta sacra esse, et dolum insidiasque iis portendi dicat. Sin post *ἔλεξε δέ* inseruerimus *καί* omnia recte se habebunt: sic enim de toto sacrificio affirmasse dicetur, quod et Xenophon videre posset, sed pro sua eximia prudentia aliquid adiecisse, quod illum lateret, eamque ipsam eximiam Silani prudentiam festive Xenophon deridet,

VII, 2. Audito Xenophontem consilium cepisse copias ad Phasin reducendi, graviter ferebant milites: *καὶ σύλλογοι ἐγένοντο καὶ κύκλοι συνίσταντο, καὶ μάλα φοβεροὶ ἦσαν μὴ ποιήσειαν οἷα καὶ τοὺς τῶν Κόλχων κήρυκας ἐποίησαν καὶ τοὺς ἀγορανόμους. ὅσοι μὴ εἰς τὴν θάλατταν κατέφυγον κατελεύσθησαν.* Rectissime Rehdantzius verba *ὅσοι — κατελεύσθησαν* delenda esse censet, sed nondum mihi satisfacit: credo enim totum locum, quo de istis legatis et rerum venalium curatoribus agitur, i. e. inde a verbis *καὶ μάλα φοβεροί*, hic ferri non posse. Nam mihi videtur artificiose et eleganter de illa militum immodestia in ipsa narratione tacuisse, eamque integram orationi reservasse, quo plus vituperatio haberet ponderis. Quis enim negabit, multo minus ea oratione moveri lectorem, cui iam notum sit istud militum facinus, quam qui nihildum de eo cognoverit? Accedit quod verba mihi suspecta cum

ea re, quam in oratione exponit Xenophon, adversa fronte pugnant. Nihil enim mali a militibus *τοῖς ἀγορανόμοις* accidit: in unum Zelarchum impetum fecerunt, isque fuga salutem quaesivit. Deinde tantummodo de Colchorum legatis mentio fit, siletur de Cerasuntiis, qui et plures et Graeci erant: multo ergo gravius in illos scelus commiserunt milites. Postremo quam absurde dictum est hoc: „metus ortus est ne milites facerent idem quod Colchorum legatis fecissent". Quis enim intelligere possit, nisi quid illis acciderit cognoscat? Tam ineptum ne illum quidem interpolatorem fuisse credo, qui hunc locum corrupit, ut aliquid adderet, quod nullum sensum haberet. Non ergo assentior Rehdantzio divellenti, quae ab eodem homine sunt profecta. Si vero totum locum, quem ego spurium esse iudico, spectes, quot quantosque errores interpolatoris observare licet! Sed nolo ea enumerare quae neminem fugere possint.

VIII, 4. *ὅμως δὲ λέξον ἐκ τίνος ἐπλήγης.* Quid sit *ἐκ τίνος* obscurissimum est: nemo enim, ut opinor, fidem habebit Kühnero annotanti: „*ἐκ τίνος*, idem quod *διὰ τί.*" Verisimile est, substantivum excidisse, et legendum esse: *ἐκ τίνος αἰτίας.*

VIII, 13. *ὁμολογῶ παῖσαι δὴ ἄνδρας ἕνεκεν ἀταξίας ὅσοις σώζεσθαι μὲν ἤρκει δι' ὑμῶν ἐν τάξει τε ἰόντων καὶ μαχομένων ὅπου δέοι, αὐτοὶ δὲ λιπόντες τὰς τάξεις κτέ.* In vocabulis *δι' ὑμῶν* variant codices, videturque id, quod nunc editiones praebent, e coniectura natum esse. Equidem non assentior Hugio coniecturam illam probanti: credo enim lectionis varietatem e praepositione *διά* male illata ortam esse, quam si expulerimus, egregie genitivus absolutus iis quae sequuntur oppositus erit: „qui, quum vos et in agmine et in acie locum, ubi a ducibus collocati essetis, fideliter servaretis, imperia non curarent, sed quo luberet excurrerent".

VIII, 17. *εἰ δὲ ἐπὶ τοῖς πολεμίοις ἐγένοντο, τί μέγα ἂν οὕτως*

ἔπαθον, ὅτου δίκην ἂν ἠξίουν λαμβάνειν. Optime haec Amasaeus ita vertisse dicitur: „quid tam grave passi essent, ut eo nomine eum, a quo violati essent, iudicio persequi possent". Equidem Amasaei verba intelligo, sed quo modo illa Graecis respondere dici possint, non video. Nusquam enim verbum ἀξιοῦν idem valet quod δύνασθαι. Est enim „aequum iudicare". Quis vero non aequum iudicet poenam repetere ab hoste, a quo iniuriam acceperit? Persuasum mihi est locum corruptum esse.

VIII, 21. „Iure nonnullos vestrum a me propter ignaviam immodestiamque verberatos esse et ipsi quodammodo pronuntiastis: aderatis enim manibus non tabellas tenentes sed gladios, licebatque opem ferre iis qui plectebantur; ἀλλὰ μὰ Δί' οὔτε τούτοις ἐπεκουρεῖτε οὔτε σὺν ἐμοὶ τὸν ἀτακτοῦντα ἐπαίετε. Languidum hoc est: si enim milites neque commilitonibus opem ferebant, neque Xenophonti in poena sumenda aderant, otiosi adstabant. Qui autem otiosi adstant et nihil agunt, vix dici possunt aliquid efficere, quod alicuius momenti sit. Sequitur tamen τοιγαροῦν ἐξουσίαν ἐποιήσατε τοῖς κακοῖς αὐτῶν ὑβρίζειν, ex quibus verbis nunc non facile aptum sensum elicias. Legendum ergo pro οὔτε σὺν ἐμοί coniicio esse: σύν τ' ἐμοί. Ita enim sententia evadet Xenophonte dignissima: „propterea quod neque ego iis ignavos esse permisi, et vos mihi in ea re non solum non obstitistis, sed etiam opem tulistis, salvi sunt et petulantes esse possunt." Eiusdem generis est sententia, quae paulo ante legitur (§ 17): καὶ γὰρ οὖν νῦν ἔξεστιν αὐτοῖς σωθεῖσιν, εἴ τι ὑπ' ἐμοῦ ἔπαθον παρὰ τὸ δίκαιον, δίκην λαβεῖν. Cum acri enim irrisione loco, de quo agimus, ὑβρίζειν dictum est pro: accusare me, et poenas a me repetere.

LIBER VI.

In nullo libro plura et absurdiora emblemata quam in sexto reperiuntur. Apparebit hoc, si quis Cobeti editionem cum aliis editionibus comparaverit. Videtur tamen Cobetus nonnulla neglexisse: ea ergo indicabo, simulque alios quosdam locos utcumque emendare conabor.

C. I, 5 et 6. Corylae legatis a Graecorum ducibus epulae parantur: mensis remotis spectacula fiunt; prodeunt Thraces saltatores duo, loricis induti, clypeos gladiosque manibus tenentes; primum saltando velocitatis suae dant specimina; tum monomachiam imitantur, quam sic narrare incipit Xenophon: τέλος δὲ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον παίει, ὡς πᾶσιν ἐδόκει. Ridicule adduntur haec verba πεπληγέναι τὸν ἄνδρα, quae iam assentientibus omnibus expunxit Cobetus. Neque minus ineptum est emblema, quod in vicinia delere obliti sunt editores. Homo enim, qui a simulato hoste percussus erat, artificiose concidit: victor eum armis spoliat et cantum bellicum canens abit, plaudentibus spectatoribus. Victum hominem alii Thraces pro mortuo efferunt. Quis in eiusmodi descriptionis fine ferre possit puerilia ista ἦν δὲ οὐδὲν πεπονθώς?

Eiusdem generis est quod § 9 legitur. Ibi enim narratur de spectaculis, quae Mysus quidam edit, quorum primum hoc est: ὡς δύο ἀντιταττομένων μιμούμενος ὠρχεῖτο. Participium μιμούμενος omnino eiiciendum est, quia et vitiose interponitur: quosnam enim homines Mysus ἐμιμεῖτο? An adversarios? et, etiamsi ea ratione insertum esset, ut aliquo modo ferri posset, e. gr. si legeretur μονομαχίαν μιμούμενος, tamen propter praecedens ὡς prorsus esset inutile.

Neque alio modo pro eo, quod nunc § 11 legitur: ᾖσάν τε ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν ἐνόπλιον ῥυθμόν, Xenophontea verba re-

stitui posse credo, quam delendo verba *ἐν ῥυθμῷ*. Non credo Graecum esse quod § 22 legitur: *καὶ τὸ ὄναρ δὴ ἀπὸ τούτου τοῦ θεοῦ ἐνόμιζεν ἑορακέναι ὃ εἶδεν ὅτε ἤρχετο ἐπὶ τὸ συνεπιμελεῖσθαι τῆς στρατιᾶς καθίστασθαι.* Expungendum enim est *ὃ εἶδεν*. Nam Graece *τὸ ὄναρ ἀπὸ τοῦ Διὸς ἑόρακα* idem est, ac si dicas: *τὸ ὄναρ, ὃ ἑόρακα ἀπὸ τοῦ Διὸς ἦν.*

Ridiculum mihi videtur quod est § 23: *τὰ γὰρ ὄρνεα μάλιστα ἐπιτίθεσθαι τῷ ἀετῷ καθημένῳ.* Quamquam enim Graecorum zoologiam non calleo, tamen hoc pro certo affirmare audeo, eos aquilas ad aves rettulisse. Aut ergo *ὄρνεα* corruptum est, aut addendum adiectivum *ἄλλα*.

I, 30. Milites in eo sunt ut summum imperium ad Xenophontem deferant: ille vero se non accepturum significat, quod metuat, ne Spartani eam rem graviter ferant. Non movet hoc argumentum ceteros duces militesque, ex quibus Agasias Stymphalius ridiculum sibi istum metum videri dicit, rogatque: *ἦ ὀργιοῦνται Λακεδαιμόνιοι καὶ ἐὰν σύνδειπνοι συνελθόντες μὴ Λακεδαιμόνιον συμποσίαρχον αἱρῶνται;* Non fingit, ut opinor, Agasias, Graecos quosdam eiusdem populi ad coenam convenire, sed mixtos ex Atheniensibus, Spartanis, Thebanis ceterisque, quumque utatur futuro *ὀργιοῦνται*, credibile est, eum ipsum Graecorum exercitum in animo habere, cuius nunc ad Xenophontem defertur imperium. Suspicor ergo legendum esse *αἱρώμεθα*, vitiique originem inde repeto, quod Grammatici vocabulum *σύνδειπνοι*, quod appositionis locum obtinet, subiectum esse putaverint.

C. II, 13 sq. Septem diebus postquam ad Chirisophum summum imperium delatum est, Achaei Arcadesque a reliquo exercitu secedunt, decemque sibi duces creant. *Ξενοφῶν μέντοι ἐβούλετο κοινῇ μετ' αὐτῶν τὴν πορείαν ποιεῖσθαι.* Pro *μετ' αὐτῶν* Hugius edidit *μετὰ τῶν μεινάντων*, rectissime, ut opinor; hoc enim ipsa narratio postulat. Xenophon ergo simul cum mili-

tibus, qui remanserunt, iter facere vult. Sed Neon ei persuadere conatur (ἔπειθεν), ut ab hoc proposito desistat, et suos milites in itinere separatos a reliquis esse patiatur; quid hoc Neonis consilium sibi velit, non ipse Neon docet, sed Xenophon lectoribus exponit: audiverat enim naves Spartanas appropinquare, metuebatque ne illae omnibus copiis non sufficerent; ut ergo ipse et Chirisophus cum suis militibus (αὐτοὶ καὶ οἱ αὐτῶν στρατιῶται) soli navibus illis uti possent, operam dabat, ne omnes simul ad eum portum advenirent, quo cursum tenere Spartanorum naves cognoverat. Sequuntur haec: καὶ Χειρίσοφος ἅμα μὲν ἀθυμῶν τοῖς γεγενημένοις, ἅμα δὲ μισῶν ἐκ τούτου τὸ στράτευμα ἐπιτρέπει αὐτῷ ποιεῖν ὅ, τι βούλεται. Haud facile aliquem sensum reliquae narrationi accommodatum ex his verbis elicias. Legendum ergo est καὶ γὰρ Χειρίσοφος κτέ. Ita pronomine αὐτῷ Neon indicabitur, totaque sententia significabitur, quare non Chirisophus ipse sed Neon cum Xenophonte de copiarum itinere deliberaverit. Neque hoc negligendum est, ita demum a Xenophonte omni fallaciae fraudisque suspicione liberari Chirosophum (cf. IV, 6, 3).

III, 5. Arcades et Achaei iter sic faciunt, ut singuli duces suam partem copiarum ad singulos pagos ducant, et inter se constituant, ut omnes ad collem quendam conveniant. Barbari tamen in singulos illos λόχους impetum faciunt, et primum Smicretis milites occidione occidunt. ἄλλου δὲ λόχου τῶν δέκα στρατηγῶν τοῦ Ἡγησάνδρου ὀκτὼ μόνους ἔλιπον. Lubenter verba τῶν δέκα στρατηγῶν inepto lectori, qui primus inseruit, reddemus, nam et inutilia sunt, et sententiae structuram admodum ingratam reddunt.

§ 6. Ceteri duces, cum suo quisque exercitu, ad collem conveniunt, pugnantes alii, alii sine ulla molestia. Barbari fortuna bellica, qua usi sunt, feroces facti, totam suam gen-

tem nocte convocant: *καὶ ἅμα ἡμέρᾳ κύκλῳ περὶ τὸν λόφον ἔνθα οἱ Ἕλληνες ἐστρατοπεδεύοντο ἐτάττοντο.* Sive hanc codicum lectionem probas, sive cum Cobeto pro *ἐστρατοπεδεύοντο* legis, quod praestat, *ἐστρατοπέδευντο*, in vivida hac narratione nihil ferri potest, quod illustrandi gratia verbo *λόφον* addatur. Delendum ergo esse opinor *ἔνθα οἱ Ἕλληνες ἐστρατοπεδεύοντο.*

III, 10. Dum in colle a barbaris inclusi tenentur Achaei Arcadesque, ad Xenophontem, qui, ut supra vidimus, diversa ab illis via suas copias ducit, senes duo, in quos milites eius praedantes inciderant, adducuntur: illos, de sociorum sorte sollicitus, interrogat *εἴ που ᾔσθηνται ἄλλου στρατεύματος ὄντος Ἑλληνικοῦ.* Nulla medela haec verba indigent; sanissima enim sunt, dummodo ne, id quod in nonnullis editionibus fieri video, virgulam post *στρατεύματος* ponas. Nam quum *που,* ut recte olim observavit Weiskius, cum *ὄντος* iungendum sit, ea interrogatio ita est vertenda: animadverterintne alicubi esse alium Graecorum exercitum. Non possunt verba *ὄντος Ἑλληνικοῦ* verbo *στρατεύματος* appositionis loco esse adiecta: nam prorsus idem significaret ea appositio, quod simplex adiectivum *Ἑλληνικοῦ*, nisi quod emphasis, quae verbo *ᾔσθηνται* debetur, iniuria adiectivo *Ἑλληνικοῦ* tribueretur.

III, 25. Quum Xenophon ad collem veniret, ut Arcades obsidione liberaret, iam fugam capessiverant barbari. „Cur" ita Arcades Xenophontem interrogant „ignes vestros, quos iam e longinquo videramus, extinxistis? Nos enim ignes illos non amplius conspicientes, putabamus, vos per noctem impetum in hostes facturos esse: *καὶ οἱ πολέμιοι δὲ, ὥς γε ἡμῖν ἐδόκουν, τοῦτο δείσαντες ἀπῆλθον.*" Pro *τοῦτο* legere praestat *ταὐτό* vel *τοῦτ' αὐτό.*

IV, 18. *ὡς γὰρ ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου χθὲς ἥκοντος πλοίου ἤκουσά τινος, Κλέανδρος .... μέλλει ἥξειν.* Bovem locutam esse multis locis historiarum scriptores tradunt, e navibus sola

Argo voce praedita fuit. Lege ergo πλοίῳ: audiverat enim de Cleandro ex aliquo, qui forte pridie nave advenerat.

IV, 18. Quum rem divinam facere vellet Xenophon πρόβατα μὲν οὐκέτι ἦν· βοῦς δὲ ὑπὸ ἁμάξης πριάμενοι ἐθύοντο. In tanta inopia nemo, ut opinor, multos simul boves mactat, sed ex unius extis deorum voluntatem cognoscere conatur. Lege ergo βοῦν, quod et cum singulari ἁμάξης melius iungitur.

V, 11. τὴν μὲν (sc. τάξιν) ἐπὶ τὸ δεξιὸν ἐπέτρεψεν ἐφέπεσθαι. Corrupta haec sunt; non enim ἐπιτρέπειν significare potest „iubere". Quid tamen sit legendum nescio.

V, 16. ὁρᾶτε δὴ πότερον κρεῖττον ἰέναι ἐπὶ τοὺς ἄνδρας προβαλομένους τὰ ὅπλα, ἢ μεταβαλομένους ὄπισθεν ἡμῶν ἐπιόντας τοὺς πολεμίους θεᾶσθαι. Quomodo aliquis *spectare* possit hostes a tergo se insequentes non video. Paratam tamen medicinam nullam habeo.

V, 18. Milites hostem per montes vallesque persequentes et νάπος quoddam transire non audentes ita adhortatur, ut doceat nihil in proelio utilius esse, quam post tergum habere id quod fugam reditumque moretur. „Vellem" inquit „hostibus omnia essent expedita ad fugam facile capessendam. Nos vero ab ipso loco discere oportet, nullam esse nisi in victoria salutem. θαυμάζω δὲ ἔγωγε καὶ τὸ νάπος τοῦτο εἴ τις μᾶλλον φοβερὸν νομίζει εἶναι τῶν ἄλλων ὧν διαπεπορεύμεθα χωρίων. Πῶς γὰρ δὴ διαβατὸν τὸ πεδίον, εἰ μὴ νικήσομεν τοὺς ἱππέας; πῶς δὲ ἃ διεληλύθαμεν ὄρη ἢν πελτασταὶ τοσοίδε ἐφέπωνται. Non difficile est videre, argumentorum seriem hic esse perturbatam. Quomodo enim cum hac sententia „nulla est spes salutis nisi in victoria" iungi et cohaerere potest quod sequitur: „non plus in isto saltu periculi est, quam in aliis locis, per quos iter fecimus"? Quam inepte his verbis subiiciuntur pericula, quae, si saltu non superato redibunt, in campo ab equitibus, in montibus a pedestribus copiis hos-

tium imminebunt! Facillime tamen ordo, quo Xenophon scripsit, restitui potest: tantummodo una sententia transponenda est, quae ex verbis θαυμάζω — χωρίων constat; ea enim post duas sententias, quae a πῶς incipiunt, olim suum locum habebat. Quo si eam reduxerimus, egregie disposita erunt Xenophontis argumenta: primum enim demonstrabit, verum esse quod dixerit, nullam esse salutis spem nisi vincant milites, docendo, si isto saltu deterriti a persequendis hostibus destiterint, fore ut aut in campo ab eorum equitibus, aut in montibus a pedite occidantur. Tum eorum animos augebit in memoriam revocans maiora pericula, quae antea superarunt; postremo commemoratis periculosis itineribus, quae iam confecerunt, aptissime milites admonebit omnium difficillimi itineris, quod, si salvi in castra redierint, restabit: tum enim non saltus aliquis superandus, sed Pontus traiiciendus erit.

V, 30. Hostium copiis fugatis, Graeci Pharnabazi equites etiam uno loco consistere vident, dispersosque barbarorum equites ad illos refugere, et quamquam iam sunt pugnando defatigati, tamen et in illos impetum facere decernunt „ὡς μὴ τεθαρρηκότες ἀναπαύσαιντο." Haec vocabula quid sibi velint me ignorare fateor: nemo enim primum animos sumit, deinde se dat quieti, sed ex eo, quod aliquis quiete est recreatus, animus ei nasci solet, idque ipsum ne hostibus contingat, statim eos aggrediuntur Graeci. Quid legendum sit statuere non possum, sed hoc video, non posse eam lectionem, quam ipsa rei natura flagitet, restitui nisi verbo θαρρεῖν addatur praepositio ἀνά: hoc enim Graeci metuunt μὴ ἀναθαρρήσωσιν οἱ πολέμιοι.

VI, 28. Miles quidam, qui a Dexippo ad Cleandrum harmostam abductus fuerat, ut poenas daret, ab Agasia in libertatem vindicatus, se iniuriae Dexippi restitisse narrat, qui

communem praedam pacta mercede illis solis, qui eam fecerant, concedere vellet: „ἐκ τούτου με λαβὼν οὗτος ἦγεν" ille miles ait „ἵνα μὴ φθέγγοιτο μηδείς, ἀλλ' αὐτὸς λαβὼν τὸ μέρος διασώσειε τοῖς λῃσταῖς παρὰ τὴν ῥήτραν τὰ χρήματα." Legendum est ἵνα μηδὲ φθέγγοιτο μηδείς: non enim vocem militum metuebat Dexippus, sed nolebat eos suis consiliis resistere audere, idque ex quotidiano loquendi usu dicitur: „volebat eos *ne* hiscere *quidem* audere".

VI, 34. Cleandrum harmostam Xenophon rogat, ut et captivos duos, quos se auctore ei milites tradiderint reddat, et copiarum in se recipiat imperium: dicto enim ei audientes fore milites, et fideliter eius imperia capessituros affirmat, suamque pro iis fidem obligat. Respondet Cleander: ἀλλὰ ναὶ τὼ σιώ, τάχυ τοι ὑμῖν ἀποκρινοῦμαι, καὶ τώ τε ἄνδρε ὑμῖν δίδωμι καὶ αὐτὸς παρέσομαι· καὶ ἢν οἱ θεοὶ παραδιδῶσιν, ἐξηγήσομαι εἰς τὴν Ἑλλάδα. καὶ πολὺ οἱ λόγοι οὗτοι ἀντίοι εἰσὶν ἢ οὓς ἐγὼ περὶ ὑμῶν ἐνίων ἤκουον ὡς τὸ στράτευμα ἀφίσταιτε ἀπὸ Λακεδαιμονίων. Legendum esse videtur ἢν οἱ θεοὶ διδῶσιν; non enim ut opinor Graece ἢν οἱ θεοὶ παραδιδῶσιν dicitur, quod Latine est „diis volentibus"; praecedens παρέσομαι effecit, ut et verbo διδῶσιν praepositio παρά adhaereret. Deinde inserenda est particula γάρ, ut Cleander verbis καὶ γὰρ πολὺ οἱ λόγοι οὗτοι κτέ. rationem reddat, cur omnia, quae Xenophon cupiat, facere paratus sit. Saepissime post καί ea particula cum sententiae damno excidit. Cf. ad VI, 2, 13 sq.

LIBER VII.

C. I, 17. Milites iussu Cleandri harmostae ex urbe Byzantio exierunt, paucis quibusdam exceptis (§ 12): sed ex iis, quae

Anaxibius, classis Spartanae praefectus, cum ducibus et lochagis colloquitur, intelligentes difficile et periculosum iter instare, neque daturos esse commeatum Spartanos, ad urbem recurrunt. Portas claudit Eteonicus: militum alii portas pulsant, seque eas diffissuros esse minantur, alii ab ea parte urbis, quae mari adiacet per crepidinem in murum escendunt: *ἄλλοι δὲ οἳ ἔτυχον ἔνδον ὄντες τῶν στρατιωτῶν .... διακόπτοντες ταῖς ἀξίναις τὰ κλεῖθρα ἀναπετάννυάσι τὰς πύλας.* Ex iis quae praecedunt apparet ante *ἔνδον* inserendum esse *ἔτι.*

I, 27. Milites obtestatur Xenophon, ne urbem Byzantium diripiant: id enim si fecerint, hostes iis fore Spartanos, et quam metuendi illi hostes sint docet exemplo belli Peloponnesiaci: *ἡμεῖς γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι ἤλθομεν εἰς τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς συμμάχους ἔχοντες τριήρεις τὰς μὲν ἐν θαλάσσῃ τὰς δὲ ἐν τοῖς νεωρίοις οὐκ ἐλάττους τριακοσίων, ὑπαρχόντων δὲ πολλῶν χρημάτων ἐν πόλει, καὶ προςόδου οὔσης κατ' ἐνιαυτὸν .... οὐ μεῖον χιλίων ταλάντων.* Totam sententiam descripsi, quo magis esset perspicuum, tum demum eam concinnam et elegantem fore, si post *ἔχοντες* insertum erit *μέν.* Aut sequens *μέν* praecedenti exitio fuit, aut non intellexerunt librarii, inter se opponi *ἔχοντες μέν* et *ὑπαρχόντων δέ.*

I, 28. Postquam ergo narravit Athenienses, quamquam omnium rerum abundantia affluerent, tamen a Spartanis esse devictos, addit haec: *νῦν δὲ δὴ τί ἂν οἰόμεθα παθεῖν, Λακεδαιμονίοις μὲν καὶ τῶν ἀρχαίων συμμάχων ὑπαρχόντων, Ἀθηναίων δὲ καὶ οἳ ἐκείνοις τότε ἦσαν σύμμαχοι πάντων προςγεγενημένων.* Simili vitio haec quoque sententia laborat: opponuntur enim inter se antiqui et novi Spartanorum socii; legendum ergo deleto *καί*: *Λακεδαιμονίοις τῶν μὲν ἀρχαίων συμμάχων ὑπαρχόντων, Ἀθηναίων δὲ .... προςγεγενημένων.* Post *Λακεδαιμονίοις* particula *μὲν* opus non est: non enim sequitur: *ἡμῖν δὲ*

Τισσαφέρνους καὶ τῶν βαρβάρων πολεμίων ὄντων, sed mutata structura: Τισσαφέρνους δὲ .... πολεμίων ἡμῖν ὄντων.

II, 5. Ἀποπλέοντι δὲ Ἀναξιβίῳ ἐκ Βυζαντίου συναντᾷ Ἀρίσταρχος ἐν Κυζίκῳ διάδοχος Κλεάνδρῳ. ἐλέγετο δὲ ὅτι καὶ ναύαρχος διάδοχος Πῶλος ὅσον οὐ παρείη ἤδη εἰς Ἑλλήσποντον. Non *rumorem* de successore suo appropinquante accipit Anaxibius; nam in eodem itinere, in quo ei obviam venerat Aristarchus, ubi Parium navem appellit, non curat eum Pharnabazus, quippe qui *certo cognoverit* eum iam non esse classis praefectum. Puto ipsum Aristarchum huius rei nuntium attulisse, et legendum esse ἔλεγε δὲ ὅτι: ipse Cleandro successurus venit, Anaxibio alium successurum esse nuntiat.

II, 28. Praesente Seuthe Medosadem narrare iubet Xenophon, quale, Chalcedonem quum venisset cum Seuthis mandatis promissisque, responsum a se acceperit. „Respondisti" ille ait „non esse cur tibi vel cuiquam alii pecuniam daret Seuthes: nullo enim praemio accepto tamen te exercitum Byzantium traiecturum esse". Rogare pergit Xenophon: „quum iterum Selybriam ad me venires, Seuthisque verbis a me peteres, ut ad illum copias meas ducerem, quid tibi respondi?" „Dixisti" ait Medosades „id nullo modo fieri posse: ἀλλ' εἰς Πέρινθον ἐλθόντας διαβαίνειν εἰς τὴν Ἀσίαν". Graeca verba, quae citavi, non possunt esse non corrupta: nihil aliud enim significant, quam: τὸ εἰς Π. ἐ. διαβαίνειν εἰς τὴν Ἀσίαν οἷόν τε εἶναι, quod absurdum est, nam quin hoc *fieri posset* non dubitabat Seuthes: opus erat ut certior fieret ita *facturum esse* Xenophontem. Excidisse nonnulla puto.

II, 29. Ad illud cum Seuthe colloquium profectus erat Xenophon Polycratem lochagum secum ducens et e singulorum collegarum copiis eum militem, cui quisque maxime fidem habebat: Neonis tamen militum nemo eum comitabatur: is enim cum suis copiis secesserat. (c. II, 11). Recte

ergo § 17 legitur: *προςλαβὼν Πολυκράτην — καὶ παρὰ τῶν στρατηγῶν ἑκάστου ἄνδρα πλὴν παρὰ Νέωνος.* Vitiose § 29 praepositio omittitur: *καὶ ἔξω εἰσὶν ἀπὸ τῶν στρατηγῶν ὁ πιστότατος ἑκάστῳ πλὴν Νέωνος*, legendumque *πλὴν ἀπὸ Νέωνος*: non enim duces sed milites satellites habebat Xenophon.

III, 5. Militibus quid sentiat ita declarat Xenophon: *ἐμοὶ μὲν οὖν δοκεῖ, ἐπεὶ ἐνθάδε οὔτε ἀργύριον ἔχομεν ὥστε ἀγοράζειν, οὔτε ἄνευ ἀργυρίου ἐῶσι λαμβάνειν, ἐπανελθόντας εἰς τὰς κώμας ὅθεν οἱ ἥττους ἐῶσι λαμβάνειν, ἐκεῖ .... αἱρεῖσθαι ὅτι ἂν ἡμῖν δοκῇ κράτιστον εἶναι.* Neque ego scio, neque quisquam, ut opinor, scire potest, qui sint *οἱ ἥττους*. Kühnerus explicat: „incolae vicorum, qui vobis non pares sunt viribus". Sed quis non videt, hoc Graece dicendum esse: *οἱ ἐνοικοῦντες, ἥττους ὄντες*? Gravem hic latere corruptelam propter repetita verba *ἐῶσι λαμβάνειν* suspicari licet.

III, 16. Seuthes duces lochagosque ad coenam vocat *ἐπεὶ δὲ ἐπὶ θύραις ἦσαν ὡς ἐπὶ δεῖπνον παριόντες, ἦν τις Ἡρακλείδης Μαρωνείτης· οὗτος προςιὼν ἑνὶ ἑκάστῳ κτέ.* Absurde hoc dictum est; quid enim significat *ἦν*? An illum hominem tum demum exstitisse? Usitatissimam in narratione restitues loquendi formulam particula *γὰρ* inserenda, et paulo aliter interpungendo: *ἐπεὶ δὲ ἐπὶ θύραις ἦσαν ὡ. ἐ. δ. παριόντες — ἦν γάρ τις Ἡρακλείδης Μαρωνείτης — οὗτος κτέ.*

III, 17. Heraclides ille legatos Parianos quosdam, foedus cum Medoco Odrysarum rege facturos, docet multo pluris faciendam esse Seuthis amicitiam, qui et propius Parium regnum habeat, et Xenophontis exercitu sibi adiuncto potentissimus sit futurus. *ἢν οὖν σωφρονῆτε, τούτῳ δώσετε ὅ, τι ἂν ἄγητε.* Hanc Bornemanni lectionem et Schenklius et Hugius in suas editiones receperunt, quam corruptam esse mihi constat. Dubitari enim non potest, quin legati illi dona secum ferant. Praecedit enim: *δῶρα ἄγοντες αὐτῷ τε καὶ τῇ γυναικί.*

Unice verum est quod in deterioribus codicibus legitur: *ὅ, τι ἄγετε.* Nam meliores de more aliquid praebent quod risum moveat: *ὅ, τι ἂν αἰτῆται.*

Ib. Deinde sic pergit Heraclides: *καὶ ἄμεινον ὑμῖν διακείσεται ἢ ἐὰν Μηδόκῳ τῷ πρόσω οἰκοῦντι δῶτε.* Verbum *διακείσεται* hic non est recte positum: non enim de *rebus* adhibetur sed de *conditione hominum* deque ratione, quae inter illos intercedit. Lege ergo: *κείσεται*; ita enim habebis metaphoram a pecuniis in foenore positis desumptam, quae hic aptissima est.

III, 21. In convivio, quod Seuthes apparavit, *τρίποδες εἰςενέχθησαν πᾶσι.* Falsum esse *πᾶσι* e sequenti narratione liquido apparet: non enim quisque conviva suam sibi habebat carnis panisqne portionem, sed *μάλιστα αἱ τραπέζαι κατὰ τοὺς ξένους ἀεὶ ἐτίθεντο,* et praeeunte Seuthe omnes, *καθ' οὓς αἱ τραπέζαι ἔκειντο* panis carnisque frusta *διαρριπτοῦσι.* Nihil autem interesse potest inter „mensas" et „tripodes". Quid tamen sit legendum nescio.

III, 35. Finito convivio admonet Seuthes statim in hostes impetum esse faciendum, priusquam suam cum Xenophonte societatem cognoverint: ita enim fore, ut imparati deprehendantur, et multi captivi ingensque praeda in ipsorum manus perveniant. Probant hoc consilium Graecorum duces. Tum Xenophon docet, quomodo agmen sit instruendum: quum enim iter nocturnum faciendum sit, periculum esse ne, si Thracio more equitatus cum expedita parte peditum praecedat, sequanturque milites gravibus armis instructi, totum agmen distrahatur. Eius ergo admonitione praecedunt hoplitae, agmen claudunt equites. Postridie mane, ubi ad hostium vicos perventum est, laetus ad Xenophontem accurrit Seuthes nuntians: *τάδε δὴ ὦ Ξενοφῶν ἃ σὺ ἔλεγες· ἔχονται οἱ ἄνθρωποι.* Quin corrupta ea sint dubitari non potest: ipse enim Seuthes, non Xenophon, ut iam vidimus, ita fore praedixerat.

Facillimum autem est ita emendare: *ἃ σοὶ ἔλεγον*. Sed equidem probabilius esse opinor, aliam esse corruptelae causam. Quum enim sequatur: *ἀλλὰ γὰρ οἱ ἱππεῖς οἴχονταί μοι ἄλλος ἄλλῃ διώκων· δέδοικα οὖν μὴ συστάντες ἀθρόοι που κακόν τι ἐργάσωνται οἱ πολέμιοι*, verba *ἃ σὺ ἔλεγες* loco mota esse credo et post *ἀλλὰ γάρ* ponenda: eiusmodi enim periculum metuendum esse Xenophon monuerat.

IV, 19. Xenophonti, quem in vico, ubi pernoctat, barbari oppugnant, auxilio venit Seuthes cum septem equitibus et tubicine Thracio. *καὶ ἐπείπερ ᾔσθετο, ὅσονπερ χρόνον ἐβοήθει, τοσοῦτον καὶ τὸ κέρας ἐφθέγγετο.* Quid sit *ἐπείπερ ᾔσθετο* non video; nam quod vertunt: „quandoquidem senserat rem (Graecos in magno periculo versari)" nimis languidum hoc est: non enim auxilio venisset nisi hoc sensisset. Fortasse *περ* falso huc a sequenti *ὅσονπερ* tractum est, eoque deleto haec restituenda sententia: „et quamdiu ad auxilium ferendum accedebat Seuthes, postquam primum periculum cognovit, ut metum hostibus incuteret tuba canebat".

VI, 11. In exordio defensionis suae haec dicit Xenophon: *ἀλλὰ πάντα μὲν ἄρα ἄνθρωπον ὄντα προςδοκᾶν δεῖ, ὁπότε καὶ ἐγὼ νῦν ὑφ' ὑμῶν αἰτίαν* (Cob. ceteri *αἰτίας*) *ἔχω ἐν ᾧ πλείστην προθυμίαν ἐμαυτῷ γε δοκῶ συνειδέναι περὶ ὑμᾶς παρεσχημένος.* Corrigendum esse credo *ἐφ' ᾧ* pro *ἐν ᾧ*. Non enim Graece dicitur *αἰτίαν ἔχειν ἔν τινι*. Dictum autem erit *αἰτίαν ἔχω ἐφ' ᾧ προθυμίαν πλείστην παρέσχημαι* pro: *ἐπὶ τούτῳ ἐν ᾧ π. π. π.*, quemadmodum § 15 *αἰτίαν ἔχοιμι περὶ ὧν πρὸς τοῦτον διαφέρομαι* pro *αἰτίαν ἔχοιμι περὶ τούτων ἃ π. τ. δ.*

VI, 16. „Si ego, milites", Xenophon ait „Seuthem laudarem, qui vos stipendio fraudavit, iure me accusaretis et odissetis: nunc vero quid est, quod mihi culpae dare possitis, quum videatis me Seuthi, quo antea amico utebar, eam ipsam ob causam inimicissimum factum esse?" *ἀλλ' εἴποιτε*

ἂν ὅτι ἔξεστι καὶ τὰ ὑμέτερα ἔχοντα παρὰ Σεύθου τεχνάζειν. Graeca verba, quae citavi, obscura mihi sunt. Eorum loco equidem hanc expectem sententiam: „at enim inimicitias illas me callide fingere dixeritis, quia pecunias, mihi stipendii nomine a Seuthe datas, interverterim."

VI, 32. Paucis verbis opus est, ut insulsum emblema indicem et eiiciam. Legitur enim: ἐγὼ μὲν ὑμᾶς φημι δικαίως ἂν ὧν ἐμοὶ χαλεπαίνετε τούτων τοῖς θεοῖς χάριν εἰδέναι ὡς ἀγαθῶν. Quis verbo monitus non sentit, istud ὡς ἀγαθῶν totam sententiae vim orationisque numeros tollere et pessumdare?

VII, 40. „Iuro" Xenophon Seuthi dicit „me, si mihi pecunias mihi debitas solvere velles, accepturum non esse, nisi simul et militibus stipendium persolveres" αἰσχρὸν γὰρ ἦν τὰ μὲν ἐμὰ διαπεπρᾶχθαι, τὰ δὲ ἐκείνων περιιδεῖν ἐμὲ κακῶς ἔχοντα. Post γάρ particula ἄν inserenda est: omitti ea posset, si pro ἦν legeretur ἐστί.

VII, 52. Petenti Seuthi ut secum maneat Xenophon respondet: ἀλλὰ τὴν μὲν σὴν πρόνοιαν ἐπαινῶ· ἐμοὶ δὲ μένειν οὐχ οἷόντε. ὅπου δὲ ἂν ἐγὼ ἐντιμότερος ὦ, νόμιζε καὶ σοὶ τοῦτο ἀγαθὸν ἔσεσθαι. Quid sibi comparativus ἐντιμότερος velit non intelligo. E praecedentibus ἀτιμότερος et ἀσφαλέστερον natum esse opinor, quum Xenophon scripserit ἔντιμος.

VII, 55. Absente Xenophonte milites ἔλεγον ὡς οἴχοιτο ὡς Σεύθην οἰκήσων καὶ ἃ ὑπέσχετο αὐτῷ ληψόμενος. Praestare opinor compositum ἀποληψόμενος.

CAPUT QUINTUM.

De Xenophontis commentariorum, qui „Memorabilia" dicuntur, consilio fatisque disputatio.

Quam de Memorabilibus sententiam Cobetus (Nov. Lect. p. 662 sqq.) defendat, nemo iam est qui ignoret: contendit enim Xenophontem nullo alio consilio illos libros scripsisse, quam ut Polycratis cuiusdam Σωκράτους κατηγορίαν refutaret, de qua et alibi mentio fit et apud Isocratem in Busiride; multosque viros doctos, qui praecipuam Xenophonti dant operam, ad suam sententiam adduxit. Neque mirum hoc est. Egregie enim, ut Cobeti omnia, disputatio illa scripta est: iucundissima est ad legendum, ad persuadendum aptissima: permultae res in ea exponuntur plerisque lectoribus inauditae antea; lepide ridentur stolidorum Graeculorum futiles fabulae, acutissime virorum doctorum semidoctorumque refutantur errores et commenta inania, multa quoque demonstrantur, quae cuivis Xenophontis lectori utilissima esse possint. E quibus ut pauca hic afferam, praeclare Cobetus docuit, ea, quae in Memorabilibus a Xenophonte de Critia et Alcibiade dicantur, ad refellendam *Anyti* accusationem scribi non

potuisse; neque minore laude digna est ea disputationis pars, qua quale fuerit exercitationis scholasticae, quam ingenii ostentandi gratia Polycrates ediderit, consilium ita demonstrat, ut nulla iam restet dubitatio: admirabili enim sagacitate undique indicia protrahit, quibus probetur, Polycratem et alia contra Socratem declamitasse, et hoc praesertim praestantissimo viro obiecisse, quod poena dignus fuerit, qui Critiae et Alcibiadi, patriae hostibus, exstiterit magister. Hoc quoque lubenter omnes Cobeto concedent, quum et Lysias contra Polycratem apologiam suam scripserit, et alii multi Polycratis aequales adversus eius declamationem Socratem defenderint, admodum probabile esse, Xenophontem quoque lividum sophistam, qui dilectissimi praeceptoris famam ineptis suis criminibus commacularit, refellere voluisse.

Sed pace tanti viri dictum esto: summam totius disputationis, quam de Xenophonte et Polycrate habuit Cobetus, veram esse credere non possum. Haec enim eius verba sunt: „*τὰ Σωκράτους Ἀπομνημονεύματα* ad redarguendam Polycratis *κατηγορίαν Σωκράτους* composita sunt et edita". Quare mihi illa de toto libro Xenophonteo sententia non placeat, quam accuratissime exponere conabor.

Oratio in vero iudicio de vero crimine habita eo a declamatione scholastica differt, quod in illa vivunt omnia spirantque. Audire tibi videris reum adversariorum crimina refellentem, vel accusatorem quibuscunque possit rationibus argumentisque inimicum in suspicionem vocantem. Movent te narrationes de iniuria, qua se affectum esse orator demonstrat: ante oculos stat vivida accusatoris reique imago. In periculo versari reum sentis, iratum esse accusatorem agnoscis. Quo quodque argumentum afferatur consilio intelligis, quantum cuique sit tribuendum, tamquam si ipse inter iudices sedeas, perpendis. Quid adversarius responderit, si eius oratio

servata non est, scire cupis. Quem exitum iudicium habuerit cognoscere conaris, dolesque, si de ea re in literarum historia nihil est traditum. In declamatione vero omnia languida sunt. Non homines sed verba in certamen veniunt; scholae non vitae scriptam esse orationem quavis pagina cernis; si qua inter ceteras eiusdem generis excellit, interdum sermonis elegantia lectorem delectat; paucissimae tam perfectae sunt et perpolitae, ut artificiosam totius operis compositionem, laboriosam sententiarum structuram, verborum delectum ubertatemque admireris. Sed nulla tam egregia esse potest, ut non taedio quodam afficiatur quicunque multas eius paginas deinceps perlegat. Veram causam agi, in vero versari discrimine reum, veras insidias iniuriasque narrari, ne fingere quidem lector potest. Satis magnae illae sunt differentiae, quas enumeravi. Sunt tamen etiam nonnulla, quae oratio scholastica cum oratione forensi communia habeat, neque ea contemnenda sunt. Quorum hoc vel maximum est, quod utraque certum aliquod habet consilium, certosque fines, intra quos tota oratio consistat: quid demonstrandum sit ab initio usque ad finem constat; orationis partes sophista non minus accurate distribuit quam is, qui in iudicio accusat vel causam agit; quid primum sit ponendum, quid deinde, quid ultimum secum constituit; a proposito suo non divagatur; non argumenta sua, prout quodque in mentem venit, ita in scribendo profert; sed quoniam eo consilio scribit, ut aut forensem eloquentiam imitando doctrinae gloriam acquirat, aut discipulis suis exempla proponat, quibus observandis se ad patroni causarum munus sustinendum exerceant, omnia ita disponenda sunt ut *auditores* quam maxime moveantur, et ad fidem habendam adducantur. Omnia in eo scribendi genere certa sunt et stabilia, nihil scriptoris arbitrio permittitur. Quod autem de sophista dicebam, idem de eo dicen-

dum est, qui sophistae respondet: eadem illi observanda est distributio, quam constituit adversarius; qui si virum aliquem scholastica declamatione reum egit, non ita refelli potest, ut eiusdem viri virtutes nullo ordine enumerentur, sed aut singulis vitiis, quae a sophista obiecta sunt, singulae sunt opponendae virtutes, aut omnia crimina deinceps ita sunt refutanda, ut e calumniandi studio nata esse appareat. Iam ipsa Xenophontis indoles eiusmodi est, ut vix sit credibile istud scribendi genus ei placuisse. Virum enim rei militaris reique rusticae studiosissimum, cuius cogitationes meditationesque omnes vitae usum spectarent, qui etiam Socratis amicitiam familiaritatemque praesertim ideo peteret, quod nullus ei magister videretur melius docere, quo modo servis militibusque esset imperandum, quibus beneficiis liberi homines essent devinciendi, futiles istas et inanes declamationes sprevisse et contempsisse puto, neque dignas habuisse, quibus redarguendis operam daret.

A tali proposito Xenophontem abhorruisse, quum omnes, quos scripsit, libri testimonio sunt, tum praesertim commentarii, de quibus nunc agimus. Omnino enim Xenophon rhetoricam dispositionem parum curat: soluta liberaque narratione res gestas exponit; in virorum excellentium, quibuscum vixit virtutibus enumerandis aures magis quam artem logicam consulit; quid faciendum, quid vitandum sit exemplis docet multis quidem et luculentis, sed eorum ille ordo est, ut inter scribendum memoriam ei suggessisse dicas [1]. Amicorum causa scribit, eorumque qui secum idem sentiant; non solet operam dare, ut pertinacem adversarium demonstrandi arte vel argumentorum *πειθανάγκῃ* convincat

1) De Xenophontis elocutione vide egregium locum in Croiseti libro p. 230 sqq.

et redarguat. Quae quum sit omnium Xenophonteorum librorum natura, in Memorabilibus scribendis minus etiam quam in aliis omnibus ullo se vinculo obstrinxisse videtur. Ceteri enim libri eiusmodi sunt, ut prae orationis nitore et elegantia dispositionis vitia vix sentiat lector, Memorabilia vero tam male cohaerent, ut interdum scriptori irascaris.

Quod si cui acrius dictum videatur, tamen hoc mihi concedat necesse est, quaecunque in eo libro exspectes, qui contra declamationem scholasticam scriptus sit, a Memorabilibus plane abesse. Ipse Xenophon si adversarium suum nominaret, seque eum redarguere voluisse profiteretur, fidem ei non haberemus. Quum vero praeter illos locos, ubi *τοῦ κατηγόρου* mentio fit, nihil eiusmodi significet, longe aliud Xenophontis consilium fuisse pro certo mihi constat.

Si tamen tres tantum libros Memorabilia haberent, aliquatenus Cobeti de Polycrate coniecturam probare possem. Fingerem enim hoc fuisse Polycrateae declamationis argumentum, ut demonstraret, *iure Socratem a iudicibus Atheniensibus capite damnatum esse*: neque sine causa, ut opinor, hoc fingerem, nam ne tres quidem libri priores Memorabilium ulli declamationi, cuius aliud quodlibet sit propositum, ullo modo opponi possunt. Videamus ergo, quid sequeretur, si et Polycrates eam causam, quam ego finxi, defendisset, et Xenophon non nisi tres de Socrate commentarios scripsisset. Polycratem refellisse Xenophon censeri posset, si non bene et probabiliter, tamen ita, ut lector non nimis molestus, quid voluisset videre posset. Esset enim eius contra Polycratem defensio in duas partes admodum inaequales divisa:

I. Non solum Socrates non erat *ἔνοχος τῇ γραφῇ* (Lib. I c. 1 et 2).

II. Verum etiam *τοὺς συνόντας ὠφέλει.* Lib. I c. 3 usque ad finem Libri III. Vel sic tamen in Xenophonteo opere

quaedam essent admodum improbanda. Nam in hac quoque Memorabilium parte satis multa leguntur, e quibus nemo discere possit, quam utilis Socrates amicis suis fuerit. Pauca enumerabo:

L. II c. I § 21 u. a. fin. Prodici de Hercule fabula.

Lib. III c. 8. Narratio de Aristippo a Socrate refutato.

L. III c. 9 exponitur, quomodo Socrates de singulis virtutibus disputaverit.

Eiusmodi autem locis, si illud Xenophontis cum Polycrate fuisset certamen quod ego dicebam, paulisper eum propositi sui oblitum a via aberrasse credere possemus, neque moleste ferremus istam scriptoris paulo negligentioris incuriam. Quum vero quartus accedat liber, nulla declamatio fingi cogitarique potest, quam Memorabilibus redarguere voluisse Xenophon credi possit. Inspice mihi quaeso hoc libri summarium: negabis fieri potuisse, ut vel ineptissimus sophista eiusmodi pannum declamationi suae assueret:

Toto fere libro quarto cum Euthydemo sermocinans inducitur Socrates. Iam eo nomine vituperandus esset scriptor, qui demonstrare vellet, quantopere Socrates profuisset omnibus, qui eius familiaritate uterentur, quod per tam magnam defensionis suae partem eius cum uno tantum amico colloquia traderet. Capite primo brevi conspectu lector docetur, quomodo Socrates pro cuiusque indole invenes admonere et corrigere soleret. In declamatione, cuius hoc esset consilium, ut Socrates contra certum quendam obtrectatorem defenderetur, primo loco hoc caput positum esset, sequerenturque exempla Socraticae institutionis.

Caput secundum excellit quidem inter omnia, quae de Socrate scripsit Xenophon, sed multo magis declarat, *quae Socratis in disputando fuerit peritia*, quam quo modo amicis suis ad virtutem ducendis utilem navarit operam. Capite

tertio demonstratur deos omnibus modis humano generi prospicere ideoque iis ab hominibus gratiam esse referendam. Scriptor, qui adversarium redarguere vellet, suo loco hoc caput posuisset, i. e. totam illam disputationem post caput II libri I defensioni suae inseruisset. Nunc inepte non solum bis idem dicitur, sed etiam iisdem verbis. Nam capite III Libri I narratur Socratem docuisse et νόμῳ πόλεως et κατὰ δύναμιν deos colendos esse, capite III L. IV de eodem argumento ita disputans inducitur, ut et Pythiae illo praecepto et poetae versu utatur. Capite quarto narratis rebus quibusdam, quae nemini ignotae esse possint, satis ἀπροσδοκήτως transitur ad colloquium quoddam olim a Socrate cum Hippia habitum, e quo nihil lector discere possit praeter id, quod ne acerrimi quidem, ut opinor, Socratis inimici unquam negarint, artem disserendi adversariosque convincendi egregie Socratem calluisse. Caput quintum eiusdem est generis, cuius secundum et quartum. Qui enim hoc caput legerit, callide quidem et prudenter disputantem Socratem admirabitur, doctrinam eius et praecepta non magnopere laudabit. Capite sexto enumerantur multarum rerum definitiones Socraticae ad docendum Socratem διαλεκτικωτέρους fecisse amicos suos. Quis credat tam ineptum fuisse Xenophontem, ut putaret vel accusatorem in iudicio, vel sophistam accusatoris personam gerentem eiusmodi enumeratione convinci posse? Neque hoc negligendum, ipsum sibi obloqui Xenophontem, qui L. III c. 9 § 4 narrarit Socratem respondisse: „illum qui sciat quid sit faciendum, sed faciat contrarium, non esse sapientem sed stultum intemperantemque", hic vero eundem inducat statuentem: „quam quisque norit rem in ea eum sapientem esse".

E capite septimo cognoscimus Socratem geometriae et astronomiae non nisi prima elementa discenda esse conten-

disse, auctoremque amicis suis fuisse, ne illis artibus sic incumberent, ut tamquam in earum remotissimos recessus penetrare conarentur. Satis quidem hoc utile est ad redarguendos eos, qui Socratem iuventutem corrupisse insimularent; sed additur id, quod eundem vel iudicibus vel Polycrateae declamationis lectoribus suspectum reddat: ipsum Socratem reconditae illius sapientiae non fuisse expertem.

Capite octavo primum exponitur, de δαιμονίῳ Socratem non esse mentitum, quod vix credam Polycratem contendisse. Tum qualem se et in iudicio et postquam condemnatus esset Socrates praestiterit narratur; postremo brevi conspectu eius virtutes enumerantur, ad easque etiam refertur discernendi, definiendi, dicendi, examinandi, refellendi ars, qua ceteris omnibus Socrates praestaret.

Vidimus ergo quartum Memorabilium librum ea continere, quae vix in ulla defensione Socratis contra adversariorum calumnias recte ponantur, minime vero ferri possint in responsione ad Polycratis declamationem. Novimus enim Polycratem Critiae Alcibiadisque exemplo Anyti crimen de iuventute a Socrate corrupta sustentasse: quae vero hic a Xenophonte afferuntur eiusmodi sunt, ut nemo Polycratis lector, qui quidem philosophiae imperitus esset, intelligere posset, quid inter Socratis disciplinam et sophistarum institutionem interesset. Aut ergo Memorabilia non eo consilio composita editaque sunt, quo Cobetus censet, aut in quarto libro scribendo vehementer a suo proposito, cuius iam semel iterumque oblitus erat, recessit Xenophon. Qui vero et Cobeto assentitur et Geelii probat sententiam, censentis Apologiam Socratis, quae Xenophonti tribuitur, Memorabilium olim ultimam partem fuisse, iisque ergo esse addendam, hercle is pannum panno assuit. Nam in ista Apologia, quae tota est 34 sectionum, praeter brevissimum locum de Anyto

(29—31) nihil legitur, quod non et alibi reperiatur; satis longa pars (2—8) verbo tenus e Memorabilibus (IV, 8, 1—8) repetita est; sectione 13 eodem modo eadem res docetur, quae Mem. I, 3, 9 sq. Sed indigna est inanis ista et puerilis exercitatio, de qua multum disseramus. Qui credere possit, Xenophontem tam fuisse scribendi cupidum, ut ea, quae olim accurate explicavisset et exemplis illustrasset, iterum summatim ieiune et exiliter enumeraret; vel tam sui admiratorem, ut, postquam aliquem librum satis amplum et copiosum edidisset, etiam eius summarium in hominum manus venire vellet, is et Apologiam Xenophonti tribuat.

Quodsi quis me roget, quo tandem ipse censeam consilio Xenophontem Memorabilia scripsisse, malim quidem ita respondere, ut simul Dindorfii Schenkliique ἀθετήσεων rationem habeam, sed eorum gratia, quibus viri illi celeberrimi non persuaserunt — neque paucos eos opinor esse — primum Memorabilia spectabo qualia ad nos pervenerunt, deinde quid de illius libri interpolatione censeam paulo accuratius exponam. Credo ergo — fingam enim mihi et ipsi persuasum esse Memorabilia, quae nos habemus, tota ab ipso Xenophonte scripta esse — Xenophontem praeceptoris memoriam, quantum posset, posteritati servare voluisse, ideoque quidquid ei de illo in mentem veniret, quod quidem memoria dignum videretur, literis mandasse. Fecit autem quod a viro, qualis fuit Xenophon, cui vitae usus potior esset quam subtile philosophiae studium, exspectes, ut prae ceteris illa Socratis praecepta, illa colloquia, illas admonitiones colligeret enarraretque, quibus appareret, Socratem ad virtutem colendam exercendamque homines, quibus amicis uteretur, duxisse. Neque tamen prorsus neglexit et ea commemorare, e quibus aliquid de Socratica disputandi methodo cognoscere lector posset. Fieri autem non poterat, ut in eiusmodi libro scri-

bendo nullam Xenophon adversariorum Socratis haberet rationem, sed et illi redarguendi erant. Ideo et Anyti Miletique refellenda erant crimina et refutanda Polycratis aequalis accusatio scholastica, quae eo tempore in manibus hominum esse soleret. Plura de isto sophista, deque ratione, quae inter eius declamationem et Xenophontis Memorabilia intercesserit affirmare equidem non audeam.

Dicebam me putare, Dindorfium Schenkliumque paucis tantummodo persuasisse de Memorabilium interpolatione. Eiusmodi enim eorum sententia est, quae haud multis placere soleat. Plerique enim veterum librorum lectores non amant criticos, qui quod ipsis satis perspicuum videatur corruptum esse demonstrare conentur, pessime vero oderunt eos, qui quamvis firmis argumentis contendant, vel totum aliquem librum iniuria illi tribui scriptori, cuius nomen gerat, vel longiores nonnullos ex eo eiiciendos esse locos, quippe quos impostores quidam de suo addiderint; non quod ea opinio ipsis parum probabilis videatur esse: de ea re ne cogitare quidem solent. Aves illas imitari malunt, quae dicuntur ipsae suum caput fruticetis occultare, ne a venatoribus conspici possint: ita enim librum suum legere solent, ut si quid minus placeat raptim percurrant, quo citius ad ea perveniant, quae pulchra sint et admiratione digna. Neque hercle illos, qui animi causa legant, reprehendendos esse credam, quod ita faciant: langueret enim literarum studium, nisi praeter philologos et alii multi literis delectarentur; illos autem aequum est cetera negligere, ad pulcherrima quaeque saepissime recurrere. Qui vero sibi scriptorem aliquem elegit,

vel casu ad eum ductus est, in quem omnes suas cogitationes, omnem laborem, omne ingenium, si quod est, convertat, illum ne in minima quidem re negligenter agere licet, sed, si vel unum verbum ei vel inepte vel languide positum videatur, primum quid in eo displiceat statuere debet, deinde utrum illud vitium scriptori ipsi an librario sit imputandum secum deliberare; si scriptor ipse culpa vacuus videatur, omnibus modis efficiendum, ne alieni criminis poenas det; patefacta librarii fraude, quid scriptor dederit coniiciendum est; si coniectura parum succedat, tamen demonstrandum est, quid fraudis errorisve ansam dederit. Quod si quis ita Memorabilia legat, fieri non potest, quin hoc sibi persuasum habeat, verissime Dindorfium et Schenklium statuisse, illos libros sic a Xenophonte scribi non potuisse, ne dicam in lucem edi. Ne quis autem cupidum me iudicem esse putet, me et ipsum invitum et reluctantem illorum sententiam probasse ita demonstrabo, ut e libro Schenklii (is enim Dindorfii observationes defendisse, auxisse, correxisse dicendus est) nonnulla proponam, in quibus vel errasse vel nimis severe iudicasse virum clarissimum putem. Pauca quidem ea sunt, neque tamen, ut opinor, prorsus contemnenda.

I. Graviter interpolatum esse Schenklius censet quod I, 2, 5 legitur: *οὐ μὲν οὐδὲ ἐρασιχρημάτους γε τοὺς συνόντας ἐποίει· τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐπιθυμιῶν ἔπαυε, τοὺς δὲ ἑαυτοῦ ἐπιθυμοῦντας οὐκ ἐπράττετο χρήματα.* Haec enim eius verba sunt: „narratur hic, quomodo Socrates aliis exemplo fuerit. Quid ergo sibi volunt verba *τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐπιθυμιῶν ἔπαυε*? Qui illis potest probari id, quod demonstrare vult Xenophon? Requiritur: quum aliarum rerum, tum pecuniae cupiditatem amicis suis eximebat Socrates e. q. s." Mihi verba citata non tam absurda videntur quam Schenklio. Puto enim hunc

eorum sensum esse: Ceteris omnibus cupiditatibus (ad quas implendas pecunia opus est) discipulos suos liberabat, sed si quis ipsius (i. e. philosophiae) cupidus esset (e. c. Euthydemus IV, 2), ab eo pecuniam non exigebat. Qui ergo Socratis familiaritate utebantur, iis pecunia opus non erat, itaque neque pecuniae avidi fiebant.

II. Quod de IV, 3, 8 observat Schenklius, perverse ab Euthydemo concedi, corporum coelestium motum *ἀνθρώπων ἕνεκα* fieri, quod cum his verbis nullo modo conciliari possit eiusdem de ceteris animalibus *ἀπορία*, fateor mihi viri clarissimi sententiam admodum obscuram videri. Satis enim apte colloquium procedere opinor, quod nunc habemus. Concessit Euthydemus corpora coelestia hominum causa moveri. Rogare pergit Socrates: nonne et hoc hominum causa institutum esse putas, quod neque statim post extremum frigus summus calor fit, neque ex summo calore subito nascitur extremum frigus, sed et calor et frigus sensim augetur et minuitur? Respondet Euthydemus: „Puto ita esse, ut tu dixisti, sed haec mihi dubitandi restat causa, quod et cetera animalia his bonis fruantur." „At enim" Socrates inquit „omnia animalia et ipsa hominis causa nata sunt et aluntur". Perturbaretur colloquium si legeremus id, quod Schenklius requiri affirmat, *τῶν ζῴων ἕνεκα*.

3. Neque tam absurde dicta esse, quam Schenklio videntur, ea verba credo, quae mox sequuntur: *τί γὰρ ἄλλο ζῷον αἰγῶν τε καὶ οἰῶν καὶ ἵππων καὶ ὄνων καὶ βοῶν καὶ τῶν ἄλλων ζῴων τοσαῦτα ἀγαθὰ ἀπολαύει ὅσα ἄνθρωποι* (recta enim neque nimis dura substantivi *ζῴων* repetitio est), neque e I, 4, 14 desumpta esse arbitror. Totum locum citabo, ut appareat de longe alia re ibi sermonem esse, simulque levi et necessaria emendatione eum in integrum restituam. *οὐ γὰρ πάνυ σοι κατάδηλον, ὅτι παρὰ τὰ ἄλλα ζῷα ὥσπερ θεοὶ ἄνθρωποι βιοτεύουσι.*

Inserendum est παρὰ ἀνθρώπους: „quanto vita deorum humana vita potior est, tanto hominum vita ceterorum animalium vitae praestat; tanto enim plus homo pollet corpore animoque". Eo autem loco, de quo nunc contra Schenklium disputo, cetera animalia naturae beneficiis frui dicuntur, ut ipsis homines frui possint.

4. § 11 haec leguntur: τὸ δὲ καὶ λογισμὸν ἡμῖν ἐμφῦσαι, ᾧ περὶ ὧν αἰσθανόμεθα λογιζόμενοί τε καὶ μνημονεύοντες καταμανθάνομεν ὅπῃ ἕκαστα συμφέρει κτέ. Schneiderum laudat Schenklius, recte improbantem participium μνημονεύοντες, quippe quod natum sit ad eam structuram efficiendam, quam παράλληλον χιαστικόν appellat, quamque constare dicit e verbis αἰσθανόμεθα λογιζόμενοι et μνημονεύοντες καταμανθάνομεν. Perverse ut opinor. Non enim cum καταμανθάνομεν iungendum est μνημονεύοντες, sed participia λογιζόμενοι et μνημονεύοντες ambo ad dativum ᾧ pertinent, ita ut verborum structura haec sit: ᾧ λογιζόμενοί τε καὶ μνημονεύοντες περὶ ὧν αἰσθανόμεθα καταμανθάνομεν ὅ. ἕ. σ. Quae ita vertenda sunt: mentis ope (λογισμῷ) de iis rebus, quibus sensus nostri afficiuntur, ita iudicamus, ut et praeterita recordemur (μνημονεύοντες), et de futuris coniecturam faciamus (λογιζόμενοι), atque sic eo perveniamus, ut quid utile, quid inutile sit cognoscamus.

5. Caput septimum libri quarti loco motum esse, eo argumento probare se Schenklius putat, quod incipiat a verbis ὅτι μὲν οὖν ἁπλῶς τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀπεφαίνετο Σωκράτης: illa enim nusquam recte poni, nisi statim post caput secundum, quod claudatur verbis ἁπλούστατα καὶ σαφέστατα ἐξηγεῖτο. Speciosior quam verior ea viri clarissimi coniectura est. Nam hercle non hoc est capitis secundi primarium argumentum, Socratem simpliciter et perspicue amicis suis demonstrasse, quid verum, quid falsum esset, quid facien-

dum quid vitandum. Multo magis illo lector docetur, qua disputandi ratione Socrates eo pervenire soleret, ut ii qui sibi sapientes viderentur intelligerent se nihil scire. Quod quo consilio fecerit post multas demum ambages cognoscimus. Videmus enim Euthydemum suae sibi ignorantiae conscium ultro ad Socratem venisse, quem antea fugere soleret, omnique omissa arrogantia ab eo petisse, ut se doceret; Socratem autem, cognito iuvenem verecundum et verae sapientiae cupidum factum esse, *tum demum* a se impetrasse, ut ei simpliciter et perspicue explicaret, quae sibi ipse videretur scire, quaeque cognitu utilia duceret. Satis ergo absurde post caput secundum sequerentur ea verba, quae in capitis septimi initio leguntur: *ὅτι μὲν οὖν ἁπλῶς τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀπεφαίνετο Σωκράτης πρὸς τοὺς ὁμιλοῦντας αὐτῷ δοκεῖ μοι δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων εἶναι.* Nam profecto e capite secundo contrarium potius apparere dicas.

6. Capite octavo libri quarti affertur ratio, quare quis possit putare, Socratem *περὶ τοῦ δαιμονίου* mentitum esse, his verbis: *ὅτι — ὑπὸ τῶν δικαστῶν κατεγνώσθη θάνατος.* Contendit Schenklius aliud quid hoc loco exspectari; ipsum enim Xenophontem, vel quemvis bonum scriptorem pro eo dicturum fuisse: „quod Socrates (qui contenderet *τὸ δαιμόνιον* se a proposito revocare, si quid esset haud recte facturus) tamen ita ad iudices locutus sit, ut capitis condemnaretur", vel „quod Socrates iudices tantum non coëgerit, gravem de se sententiam ferre", non „quod condemnatus sit". „Hoc enim" ait „et invito Socrate fieri poterat, neque ei in ea re quidquam *τὸ δαιμόνιον* prodesse poterat". Nemo aequalium, ut opinor, Socratem tam male intelligebat, ut putaret genium mala ab eo avertere, neque hoc loco de ea re sermo est. Scriptor enim, sive is Xenophon est, sive, quod ego Schenklio libenter assentior, interpolator quidam, idem significare vole-

bat, quod apud Platonem legitur in Apologia p. 40 A: *ἡ γὰρ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν· νυνὶ δὲ ξυμβέβηκέ μοι, ἅπερ ὁρᾶτε καὶ αὐτοί, ταυτὶ ἅ γε δὴ οἰηθείη ἄν τις καὶ νομίζεται ἔσχατα κακῶν εἶναι.... νῦν δὲ οὐδαμοῦ περὶ ταύτην τὴν πρᾶξιν οὔτ' ἐν ἔργῳ οὐδενὶ οὔτ' ἐν λόγῳ ἠναντίωταί μοι. τί οὖν αἴτιον εἶναι ὑπολαμβάνω; ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ· κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι.... οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον, εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν.* Hoc eum voluisse efficio e verbis: *εἶτα ὅτι τὸ μὲν ἀχθεινότατον τοῦ βίου καὶ ἐν ᾧ πάντες τὴν διάνοιαν μειοῦνται ἀπέλιπεν, ἀντὶ δὲ τούτου.... εὔκλειαν προςεκτήσατο.* Ceterum inconcinne et parum eleganter eum scripsisse nemo negare potest. Equidem credo interpolatorem admodum infeliciter Platonicum locum imitatum esse.

7. Offendit Schenklius in verbis *ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι,* et „ita hoc dictum est" ait „quasi Socrati mors prorsus fuerit inexpectata: revera tamen Socrates de consuetudine sua nihil remittere volebat, ut salvus evaderet". Haec viri clarissimi *ἀπορία* quid sibi velit minime perspicio. Sententia enim haec esse videtur: „non poterat ante trigesimum diem Socrates supplicio capitali affici", idque inepte, ut solet, interpolator elocutus est.

8. Colloquium cum Hermogene interpolatorem finxisse nomenque Hermogenis ex I, 2, 48 sumpsisse Schenklius credit. Xenophontem ipsum illud colloquium Memorabilibus addidisse non affirmem, sed quod cum Hermogene loquentem Socratem inducit, illumque prae ceteris de periculo, quod Socrati immineat, sollicitum fingit, ex eo efficio scriptorem fuisse hominem non imperitum. Ex omnibus enim Socratis amicis, quorum nomina ad nos pervenerunt, illum elegit,

quem omnes aequales scirent Socrati esse acceptissimum. „Filium Socratis" eum per iocum appellat Aristophanes. Vide in libro Mülleri-Strübingii (Aristophanes) egregiam loci in Acharnensibus (vs. 47 sqq.) explicationem: nihil vir sagacissimus, de historia Graeca optime meritus, felicius invenit, nihil firmioribus argumentis demonstravit.

9. *ἀλλὰ μὴν ταῦτά γε μὴ αἰσθανομένῳ μὲν ἀβίωτος ἂν εἴη ὁ βίος, αἰσθανόμενον δὲ κτέ.* Bornemanno assentitur Schenklius legendum esse *βιωτός*. Equidem credo recepta Bornemanni lectione perire sententiae vim. Dicit enim Socrates *omnino* miseram esse senectutem, sive quis sentiat sive non sentiat corporis mentisque robur decrescere. Sed multo miserior est ei, qui non sentiat: is enim brutis animalibus non multum praestat, eius vita homine et vitae nomine indigna est, quum sit morti simillima; haud male hoc dicitur: *ἀβίωτος ἂν εἴη ὁ βίος*; qui vero sentiat vivit quidem sed acerrimo dolore afficitur.

Haec sunt quae Schenklio opponi posse opinor: et pauca ea sunt et parvi momenti: neque dubito, quin vir clarissimus magnam eorum partem facile possit redarguere. Sed etiamsi mihi concederet omnia, quae contra eum disputavi, tamen nollem illis argumentis uti ad totam eius de Memorabilibus sententiam infirmandam, quam verissimam et egregie defensam mihi videri lubens profiteor. Nullum Memorabilium caput, quod improbavit Schenklius, ego defendam; ineptias, quas ille indicavit, Xenophonti non esse imputandas mihi constat; impudenter in Memorabilibus grassatam esse interpolatoris licentiam pro certo affirmare ausim. Non tamen

perfecisse mihi Schenklius videtur quod inchoavit: *οὐ τέλος ἵκετο μύθων*; multa intacta reliquit, quae equidem a Xenophonte scribi non potuisse et semper crediderim, et etiamnunc credam. Ergo ab initio ad finem Memorabilia percurram: quidquid ineptum mihi videatur indicabo, et sic tandem aliquando eo perveniam, ut, quid in Memorabilibus scribendis sibi proposuerit Xenophon, paulo accuratius quam antea exponere possim. Sed antequam illius censurae initium faciam pauca quaedam praemonita velim.

De literis Graecis qui iudicant *mediocrem* scriptorem Xenophontem esse aiunt, neque iniuria ut mihi quidem videtur: nolim enim eum maiore laude quam qua dignus est afficere. Humi ambulat eius philosophia, ad Platonicam sublimitatem ne aspirat quidem, nihil in eius scriptis legitur, quod non in quotidiano hominum sermone locum habere possit, nihil magnificum, nihil coeleste, nihil denique eiusmodi, ut scriptorem divino quodam spiritu afflatum dicas. Saepe tamen mediocritatis vocabulo vitium significatur, a quo non poetas solum sed omnes, qui libros suos in lucem edunt, liberos esse et dii et homines iubent: haud raro enim is mediocris appellatur, qui nihil habeat, quo excellat, cuius oratio interdum obscura, saepe inepta sit, taedium moveat semper. Ad istud scriptorum genus Xenophontem referendum esse pertinaciter nego. Perspicue enim et eleganter scribere potest, et narrationis dulcedine lectorem detinere; quodsi Graecam linguam cum instrumento comparare licet, nemo unquam scribendi artifex fuit, qui illo instrumento aptius faciliusque uti posset. In ipsis Memorabilibus multa leguntur capita, ubi ea Xenophontis virtus splendeat luceatque, quae suo quodque loco indicabo; sed duo sunt tam egregia et praeclara, ut ceteris omnibus facile palmam praeripere videantur: Aristarchi historiam dico, quae C. 7 libri II legitur, et col-

loquium cum Theodora (III, 11). Eiusmodi locos qui in Memorabilibus legendis semper ante oculos habeat, hercle non ferat pro Xenophonteis sibi venditari ea, quae sint inepta et puerilia, vitioso vel potius nullo sermone composita, obscura, sanique scriptoris ingenio repugnantia. Sed ad censuram Memorabilium transeundum est.

Iam haereo in iis, quae inde a *διετεθρύλητο γάρ* (§ 2) usque ad finem paragraphi quintae de Socratis genio dicuntur. Primum haud dubie pro *διετεθρύλητο γάρ* legendum est *διετεθρύλητο δέ*: postquam enim duobis argumentis (quod rem divinam facere solebat Socrates in aris publicis, et quod deorum voluntatem exquirere solebat) refutati sunt ii, qui contendunt Socratem *οὐ νομίζειν οὓς ἡ πόλις νομίζει θεούς*, nova res affertur, e qua impietatis crimen in Socratem ab adversariis conflari possit.

Quid autem de Socratis genio dicitur: Nihil aliud quam hoc: Socrates, quum illo nomine *δαιμονίου* utebatur, multo rectius quam alii omnes quod in animo habebat enuntiabat. Ceteri enim dicere solent: „aves mihi significarunt" pro „dii per aves mihi significarunt"; Socrates vero communi hominum sententiae convenienter: „*τὸ δαιμόνιον σημαίνει*". Ex ea Socratis defensione liquido, ut opinor, apparet, scriptorem putasse vel finxisse, Socratis genium esse unum *τῶν ὁμολογουμένων θεῶν*, aut *τὸ δαιμόνιον* esse nomen collectivum pro *οἱ θεοί*: alioquin enim nihil diceret, quod impietatis crimen a Socrate defenderet. Illud vero quis credere possit Xenophontem vel sibi persuasisse vel mentiri ausum esse? Quidquid enim est *τὸ Σωκράτους δαιμόνιον*, hoc inter omnes

constat esse aliquid *Socrati peculiare et proprium*. Hic tamen de eo idem narrat Xenophon quod in Convivio (IV, 48) Hermogenes de suo cum Diis commercio: *διὰ δὲ τὸ προειδέναι ὅ, τι ἐξ ἑκάστου ἀποβήσεται σημαίνουσί μοι πέμποντες ἀγγέλους Φήμας καὶ ἐνύπνια καὶ οἰωνούς, ἅ τε δεῖ καὶ ἃ οὐ χρὴ ποιεῖν· οἷς ἐγὼ ὅταν μὲν πείθωμαι οὐδέποτέ μοι μεταμέλει, ἤδη δέ ποτε καὶ ἀπιστήσας ἐκολάσθην.*

Deinde et hoc incredibile est, quod sequitur: dicitur enim § 4 Socrates saepe amicis auctor fuisse ut aliquid facerent, saepe eos ab aliqua re facienda revocasse *ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος*. Et nos novimus et Socratis aequales noverant *τὸ δαιμόνιον* saepe *ἀποτρέπειν*, nunquam *προτρέπειν* [1]).

Quod autem ad loci, de quo nunc ago, sermonem attinet, duo sunt quae mihi vehementer displicent: pronomen *ταῦτα* (in § 5), quod in praecedentibus nihil habet, quo

---

1) De genio Socratis olim magna inter viros doctos erat controversia. Nunc plerique assentiuntur Germanorum philosophis, qui affirmant nihil aliud fuisse, quam quod illorum sermone dicitur „ein Sittlicher Tact" i. e. ea mentis virtus, qua quis sine ulla deliberatione statim perspiciat, quid faciendum, vel potius quid non faciendum sit. Non enim iubere sed vetare illa solet. In homine autem, qui plerisque aliis animi mentisque dotibus praestet, tanta illius virtutis esse vis potest, ut extrinsecus inici vocique divinae simillima esse videatur. Veram esse illam de genio Socratis sententiam lubenter credo, sed hoc addo, interdum etiam Socratem in rebus levioribus per risum iocumque ad *δαιμόνιον* suum provocasse, non quod nova ea observatio sit, sed quia nuperrime in disputationem elegantissime scriptam incidi (Revue d. deux Mondes 1886, 1 mai, p. 156), cuius scriptor pertinaciter negat, ullum in Platone exstare locum, ubi ita iocans inducatur Socrates. Satis erit haec ex Euthydemo verba citasse (p. 272 E.): *κατὰ θεὸν γάρ τινα ἔτυχον καθήμενος ἐνταῦθα, οὗπερ σύ με εἶδες, ἐν τῷ ἀποδυτηρίῳ μόνος, καὶ ἤδη ἐν νῷ εἶχον ἀναστῆναι· ἀνισταμένου δὲ ἐμοῦ ἐγένετο τὸ εἰωθὸς σημεῖον, τὸ δαιμόνιον. πάλιν οὖν ἐκαθεζόμην, καὶ ὀλίγῳ ὕστερον εἰςέρχεσθον τούτω, ὅ τε Εὐθύδημος, καὶ ὁ Διονυσόδωρος.* Nemo enim, ut opinor, serio hoc dictum esse credet.

referatur, et ineptissima ista verba in defensionis initio posita: *ὁ δὲ οὐδὲν καινότερον εἰςέφερε τῶν ἄλλων* pro: *οὐδὲν μᾶλλον καινόν τι εἰςέφερε τῶν ἄλλων*. Quis unquam, quaeso, ita locutus est?

Absurdiora etiam videntur ea, quae sequuntur (6—9). Quo modo enim ista cum praecedentibus cohaerent? An tota impietatis suspicio et crimen de novo quodam deo a Socrate invento omittitur, et ad alia omnia transit scriptor? Hoc eum facere existimes propter ea verba, a quibus initium facit: *ἀλλὰ μὴν ἐποίει καὶ τάδε πρὸς τοὺς ἐπιτηδείους*. Sed quid, quaeso, illa Socraticarum admonitionum enumeratione probare vult? Certe nihil quod ad adversariorum crimina pertineat. Ineptam autem totius loci elocutionem esse non opus est me docere; hoc enim nemo non videre potest. Ut omittam vitia, quae probabili emendatione tolli possint, quid tandem significat *τὰ μέγιστα τῶν ἐν τούτοις*? Non minus ridicule hoc opponitur *τῷ „τεκτονικὸν κτέ — γενέσθαι"* quam paulo ante *τὸ „τὰ ἀναγκαῖα" τῷ „τὰ ἄδηλα ὅπως ἀποβήσοιτο"*.

Quae vero inde a 10 usque ad 16 leguntur sana sunt et integra nullique reprehensioni obnoxia. Certissimum vero inde peti potest argumentum, iure me improbasse quae supra indicavi. Initium enim huiusce loci hoc est: „Semper Socrates in publico erat, in foro, in gymnasiis, in ambulationibus, ubi maxima hominum frequentia eum audire posset. Nemo tamen unquam eum dicto factove pietatem erga deos laedentem neque vidit neque audivit". Non cum iis quae praecedunt bene ea iunguntur, rectissime vero cum iis verbis, quae § 2 ante locum, quem ego proscripsi (§ 2 *διετεθρύλητο* usque ad § 9 *ἵλεῳ σημαίνειν*), leguntur: *πρῶτον μὲν οὖν ὡς οὐκ ἐνόμιζεν οὓς ἡ πόλις νομίζει θεοὺς ποίῳ πότ' ἐχρήσαντο τεκμηρίῳ; θύων τε γὰρ φανερὸς ἦν πολλάκις μὲν οἴκοι, πολλάκις δὲ ἐπὶ τῶν κοινῶν τῆς πόλεως βωμῶν, καὶ μαντικῇ χρώμενος οὐκ ἀφανὴς ἦν.*

Neque in capitis primi fine (17—20) quidquam video, quod reprehendendum sit. Nam quod improbare quis possit inter se opponi ὅσα μὴ φανερὸς ἦν ὅπως ἐγίγνωσκε et ὅσα πάντες ᾔδεσαν, quia ita Socratis de diis sententia μὴ φανερά fuisse dicatur, quam modo non ignotam fuisse dixerit Xenophon, sic defendendum esse opinor, ut dicamus vocabulum πάντες periodi emphasin habere: sequitur enim narratio de Socrate epistata in iudicio de ducibus ab Arginusis reversis. Qualem se illo tempore virum praestitisset Socrates viderant omnes; Socratis sententia de diis, quamvis vulgo nota esset, tamen iudicum nonnullos latere poterat.

Capitis secundi primam partem (1—8) a Xenophonte scribi potuisse non negabo. Haereo tamen in verbis (§ 4): τὸ δὲ ὅσα γε ἡδέως ἡ ψυχὴ δέχεται, ταῦτα ἱκανῶς ἐκπονεῖν ἐδοκίμαζε. Satis enim inepte illud enuntiatum videtur pro eo quod elegantissime dicitur in Oeconomico (c. XI, 12): ἐπεὶ γὰρ ἐσθίειν τις τὰ ἱκανὰ ἔχοι, ἐκπονοῦντι μὲν ὀρθῶς μᾶλλον δοκεῖ μοι ἡ ὑγίεια παραμένειν, ἐκπονοῦντι δὲ μᾶλλον ἡ ῥώμη προςγίγνεσθαι. (Deleatur articulus ante ῥώμη.)

Quae sequuntur (9—11) magis displicent. Nam neque quo modo verbis ἐγὼ δὲ οἶμαι κτἑ (§ 10 et 11) adversariorum crimen, quod praecedit, refutetur satis perspicuum est, et a Socratis moribus et doctrina abhorret τὸ νομίζειν ἑαυτὸν ἱκανὸν εἶναι τὰ συμφέροντα διδάσκειν τοὺς πολίτας. Absurdissima vero § 9 sunt verba ἐπ' ἄλλα τοιαῦτα. Probabile videtur hunc locum ab interpolatore non insertum sed graviter corruptum esse.

12—16. Crimen de Critia et Alcibiade Socratis discipulis eiusque refutatio: haec pars quin iisdem verbis, quae tradita sunt, ab ipso Xenophonte scripta sit minime dubito.

Quae §§ 17 et 18 dicuntur obscurissima sunt, vel potius confusa est huius loci argumentatio. Id optime apparebit, si

simul spectabimus ea quae 19—23 leguntur. Hic enim locus quo modo cum ea sententia § i 18 cohaereat, quae ab οἶδα δὲ κἀκείνω incipit, perspicuum est: inde ab iis verbis usque ad (§ 23) αὖθις ἀδυνατεῖν hoc demonstratur: „Critias et Alcibiades quamdiu Socratis familiaritate utebantur temperantes erant, non poenae metu, sed quia illo saltem tempore ipsi credebant ita vivendum esse. Dixerit quispiam: iustus non potest iniustus fieri, et quae semel aliquis didicit, eorum non fit immemor. Respondeo: quemadmodum corpus intermissa exercitatione vires suas amittit, neque ea, quae antea didicit, perficere potest, ita et mens, si per longum tempus non exercetur τῶν διδασκαλικῶν et νουθετικῶν λόγων sensim obliviscitur, cumque iis etiam ipsius σωφροσύνης scientiam sensim amittit. Quod ergo Critias et Alcibiades postea ἄκρατοι fuerunt argumento non esse potest, eos nunquam σώφρονας fuisse; itaque nihil obstat, quominus olim διδασκαλικούς et νουθετικούς λόγους didicerint". Videamus nunc verba, quae praecedunt πάντας δέ (17) – ἀνθρωπίνων (18): statim apparebit ea tum denique cum sequenti argumentatione recte iungi posse, si illam ipsam sententiam contineant, quo tota tendit argumentatio, eâque respondeatur ad § i 17 initium, ubi adversarius dicit: ὅτι χρῆν — σωφρονεῖν. Neque nego illam sententiam aliquo modo e verbis πάντας — ἀνθρωπίνων extorqueri posse. Sed quis credat Xenophontem, virum scribendi peritissimum, quum dicendum esset: „Critias et Alcibiades, quamdiu Socratis familiaritate utebantur, temperantes erant: qui autem iuvenes ad virtutem ducunt, non solum exemplo, sed etiam praeceptis eos docent; ergo Socrates quoque eiusmodi praecepta Critiae et Alcibiadi tradidit", illud tam perverse enuntiasse? Non enim quid velit intelligi potest, nisi in legendo a fine initium faciamus. Ergo locum, qui est a § 17 usque ad 23, ita a Xenophonte

scriptum esse, ut nunc legitur, nunquam credam; neque tamen totum Xenophonti abiudicare velim. Nam praeter contorta ista *πάντας δὲ — προςβιβάζοντας* duae tantum res in eo graviter displicent: inelegans repetitio *τοῦ* „*ἴσως μέν*" (17 et 19), et ineptissimae sententiae quibus § 23 clauditur (*πάντα μὲν οὖν — χαρίζεσθαι*), quae nullo modo cum praecedentibus cohaerent et absurdissimo sermone sunt compositae (vide *ἐν τῷ γάρ — ἡδοναί*). Sententia ergo mea eo redit, ut dicam §§ 17 et 18 a manu recentiore esse retractatas, et verba *πάντα μὲν οὖν — χαρίζεσθαι* (§ 23) abiicienda esse. Uno tamen vitio locum retractatum liberabo, quia et absurdissimum est et facile tollitur. Legendum enim est (§ 17) non *ἢ σωφρονεῖν*, sed *ἢ τὸ σωφρονεῖν*.

24—28. Nihil hic locus habet quod iure improbari possit. Quae vero inde a 29 (*ἀλλ' εἰ καὶ μηδέν*) usque ad 38 (*ὠργίζοντο τῷ Σωκράτει*) leguntur bono scriptore indigna sunt. Solae §[1] 29 et 30 bene cum praecedentibus cohaerent, sed cum sequenti narratione vix ullo vinculo iunguntur. Ipsa autem illa narratio tam inepta est, ut inter legendum male te contineas, quin librum abiicias e manibus. Rectene censeam totum locum Xenophonti abiudicandum esse, optime apparebit si omnia, quae ibi absurde dicta videantur, enumeravero.

1. *πειρῶντα χρῆσθαι καθάπερ* .... (§ 29). Primum verbum *πειρᾶν* cum infinitivo iungi non potest; est enim: „mulierem (puerum) tentare, eiusque pudicitiam sollicitare". Deinde quibuscum hominibus Critias comparatur? (Nam comparatio instituitur, ut apparet e vocabulo *καθάπερ*.) Nempe cum eo genere hominum, ex quorum numero ipse est. Nonne enim et Critias vult *ἀπολαύειν τοῦ Εὐθυδήμου σώματος πρὸς τὰ ἀφροδίσια*?

2. Ingrata est repetitio praepositionis πρός in προς αιτεῖν — προςδοῦναι.

3. eiusdem generis est, quod § 31 legitur, sed multo minus ferendum: τὸ κοινῇ τοῖς φιλοσόφοις ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπιτιμώμενον ἐπιφέρων αὐτῷ καὶ διαβάλλων πρὸς τοὺς πολλούς.

4. Ultima eiusdem § i sententia (οὐδὲ γὰρ ἔγωγε — ἐδήλωσε δέ) nullo modo intelligi, nedum probari potest. Quo enim referendum est τοῦτο, quo ἐδήλωσε δέ?

5. πολλοὺς δὲ προετρέποντο ἀδικεῖν (§ 32). Pueriliter hoc dictum est pro eo, quod alibi legitur: βουλόμενοι ὡς πλείστους ἀναπλῆσαι τῆς αὐτῶν ἀδικίας.

6. εἴ τι ἀγνοοῖτο τῶν προαγορευομένων (§ 33). Verbum ἀγνοεῖν absurde hic ponitur, absurdior etiam est illius verbi forma passiva. Sententia enim est: si quid non *intelligeret* eorum, quae iuberent.

7. (§ 34). Haud multum interest, utrum Critias putet τὴν τῶν λόγων τέχνην εἶναι σὺν τοῖς ὀρθῶς λεγομένοις an σὺν τοῖς μὴ ὀρθῶς. Utrumque enim sensu cassum est.

8. Intelligi quidem aliquo modo possunt § 37 verba τῶν ἑπομένων τούτοις. Vocabulo enim τούτοις significantur οἱ σκυτεῖς ceterique qui praecedunt; τὰ ἑπόμενα (nam *neutrius* generis est ἑπομένων) ergo sunt eae res, quarum causa τῶν σκυτέων κτέ exemplo usus est Socrates. Sed quis, quaeso, tale orationis monstrum a Xenophonte exspectet?

Mira sunt quae § 39—48 leguntur, neque qua ratione cum praecedentibus conciliari possint video. Satis quidem lepida est narratio de pupillo Alcibiade tutorem Periclem confutante, sed quid, quaeso, ea narratione probatur? An id quod praecedit: *Critias et Alcibiades* quamdiu Socratis ute-

bantur familiaritate cum nullis hominibus libentius colloquebantur quam cum iis, qui rempublicam capessebant? Hoccine vero *uno* colloquio, in quo nullae Critiae partes sunt, demonstrari. Atque id ipsum, quod vix eo colloquio probatur, haud leviter cum iis certat, quae paulo ante sunt exposita. Primum enim scriptor affirmavit (12—16) Critiam et Alcibiadem tam diu se Socratis disciplinae commisisse, donec putarent se *κρείττους εἶναι τῶν συγγιγνομένων*, tum demum ab eo abiisse; deinde (19—23 et 24—28) eos per illud tempus sobrios continentesque fuisse, et Socrate socio usos pravis cupiditatibus imperare potuisse (§ 24). Necesse est ergo neque illud temporis spatium nimis breve fuisse, et discipulos ipsos strenue Socratis institutioni operam dedisse. Multo vero maxime hoc apparet, haud levem in illos Socratem potestatem habuisse, qui eorum mores regeret eosque in officio contineret. Quid vero e narratione de Pericle tutore et Alcibiade pupillo apparet, vel potius quid apparere affirmat interpolator? Scilicet Critiam Alcibiademque vix unquam Socratis familiares fuisse. Etenim „Socrates iis non placebat" (§ 39 et 47. Iam quis hoc de Alcibiade credat, quum sibi in memoriam revocet pulcherrimum e Platonico Convivio locum ubi summis laudibus Socratem effert Alcibiades?). „Raroque ad eum veniebant"; hoc enim, ut opinor, verbis *εἴ τε προςέλθοιεν* (§ 47) inest. Ergo colloquium inter Periclem et Alcibiadem a Xenophonte quidem scriptum sed inepto loco ab interpolatore positum, et parum perite praecedentibus sequentibusque agglutinatum esse opinor.

Sequitur nunc brevis pars (§ 49—55) optimo scriptore dignissima: quae enim demonstrantur cum praecedenti contra *τὸν κατήγορον* disputatione bene cohaerent, oratio elegantissima et purissima est. Maxime vero placent quae § 52 leguntur: *ἀναπείθοντα οὖν (ἔφη ὁ κατήγορος) τοὺς νέους αὐτὸν*

ὡς αὐτὸς εἴη σοφώτατός τε καὶ ἄλλους ἱκανώτατος ποιῆσαι σοφοὺς οὕτω διατιθέναι τοὺς ἑαυτῷ συνόντας ὥςτε μηδαμοῦ παρ' αὐτοῖς τοὺς ἄλλους εἶναι πρὸς ἑαυτόν, eaque, ut mihi quidem videtur, manifesto Xenophontem scriptorem produnt. Quae enim egregie exposuit Cobetus (N. L. 678 sqq.) de Anyto Socratis accusatore, ea nullus ex Antiquitate scriptor magis confirmat et vera esse demonstrat quam Xenophon — verum Xenophontem dico, non personatum illum qui Ἀπολογίαν Σωκράτους scripsit —. Nam quae causa fuerit, cur in civium suorum odium offensionemque Socrates incucurrerit perspicue Xenophon docet pulcherrimo loco Cyropaediae, quem miror interdum negligi ab iis, qui de Socratis vita scribunt [1]). Legitur L. III, c. 1, § 38—40. Quis enim dubitare potest, quin sub illo sapiente Armenio Socrates lateat? Atque illi rex Armenius se invidisse narrat: „ὅτι μοι ἐδόκει τὸν ἐμὸν υἱὸν ποιεῖν αὐτὸν μᾶλλον θαυμάζειν ἢ ἐμέ". Quae autem Memorabilium loco, de quo nunc agimus, mihi tantopere placere significavi, cum verbis e Cyropaedia citatis optime conveniunt, testimonioque esse possunt, Xenophontem non tam ignarum fuisse eorum, quae eo absente Athenis gesta sunt, quam nonnullis videtur.

Neque ea, quae 56—61 leguntur, a Xenophonte scripta esse quemquam negaturum esse credo.

Absurdissima vero sunt, quae §^{um} 62 implent. Quis enim Socratem defendens non religioni ducat de iis maleficiis hiscere, quae hoc loco enumerantur? Ipsa illa longa vocabulorum series (κλέπτων, λωποδυτῶν, βαλαντιοτομῶν, τοιχωρυχῶν, ἀνδραποδιζόμενος, ἱεροσυλῶν) satis manifesto sciolum prodit.

Neque probari possunt quae § 63 leguntur. Quamquam

1) Non neglexit Croisetus in libro de Xenophonte p. 217.

enim minus absurda sunt quam ea, quae praecedunt, tamen invitis Musis hic posita videntur.

Non quidem improbo sermonem quo § 64 scripta est, dignumque eum locum esse censeo, cui ineptis duobus additamentis eiectis pristinus nitor restituatur (delenda enim sunt verba ὡς ἐν τῇ γραφῇ ἐγέγραπτο et ὃ δὴ ὁ γραψάμενος αὐτὸν ᾐτιᾶτο). Nullus tamen hic ἀνακεφαλαιώσει locus est. Non enim ad finem aliquem scriptor pervenit, sed statim de Socratis virtutibus narrare pergit.

Tertium libri primi caput nihil fere habet, quod iure reprehendi possit: purus est sermo, perspicuum consilium, argumenti partes optime decurrunt et egregie inter se cohaerent. Tres enim res sunt, quae demonstrantur:

1. Socrates deorum cultum non negligebat, sed ut in omnibus rebus ita et in re divina facienda moderatus erat, amicisque auctor erat, ne modum excederent, sed νόμον πόλεως et τὸ κατὰ δύναμιν observarent (§ 1—3).

2. Eodem modo simplici et quotidiano cibo potuque contentus erat, docebatque lautiores epulas vitandas esse, quippe quae temperantiam redderent difficiliorem (§ 5—7).

3. Maxime vero improbabat et fugiendum esse docebat quidquid in re amatoria exquisitius esset, nimiumque blandiretur sensibus, eiusque doctrinae egregium affertur exemplum (§ 8—15).

Perspicuum esse opinor nullum hic locum esse §° 4: nihil enim in ea est, quod ad Socratis sententiam de vitandis rebus περιέργοις recte referri possit. Dindorfius § 15 delet, probante Schenklio; neque ego video, quo modo inepta ista ἀνακεφαλαίωσις defendi possit.

R. Langius (de Xenophontis, qui dicitur, Apologia et

extremo Commentariorum capite Halis 1873 p. 49) §um 14 Xenophonte indignam censet: quod ad verba sermonemque attinet recte, sed si sententiam spectas perverse, quemadmodum optime observavit Schenklius p. 33. Nam quod dicitur ad explendas „τὰς τῆς φύσεως ἀνάγκας" utilissima esse: οἷα μὴ πάνυ μὲν δεομένου τοῦ σώματος οὐκ ἂν προςδέξαιτο ἡ ψυχή, δεομένου δὲ οὐκ ἂν πράγματα παρέχοι, et perspicuum est (sententia enim est: formosarum mulierum amores vitandi sunt, sed, si quis naturae nullo modo resistere possit, ad eas se conferat, quae adeo negligi solent, ut viros petant magis quam ab iis petantur) et vere Xenophonteum. Conferendum enim est, quod in Convivio narrat Antisthenes (§ 38 capitis IV): ἢν δέ ποτε καὶ ἀφροδισιάσαι τὸ σῶμά μου δεηθῇ, οὕτω μοι τὸ παρὸν ἀρκεῖ ὥστε αἷς ἂν προςέλθω ὑπερασπάζονταί με διὰ τὸ μηδένα ἄλλον αὐταῖς ἐθέλειν προςιέναι [1]).

Caput tertium laudavi; quarto capite nihil unquam ineptius vidi; non quod tam displiceat disputatio cum Aristodemo, quae fere totum implet — illam enim non negabo Xenophontem scribere potuisse: quod si facerem, tamen vix unum argumentum afferre possem, quo sententiam meam defenderem — sed quod ea disputatio hoc loco inseritur et ad eam rem probandam, quae initio capitis indicatur. Postquam enim capite tertio cognovimus Socratem amicos suos admonuisse, ut ab omnibus rebus abstinerent, quae exquisitiores essent, hominemque eo adducerent, ut magis quam naturae necessitas postularet voluptatibus inserviret, in eaque admonitione non solum verbis usum esse, *sed etiam exemplo suo* viam monstrasse, quarti capitis scriptor vel interpolator se demonstraturum esse declarat, Socratem non solum ad virtutem προτρέψασθαι sed etiam προαγαγεῖν, id est non solum virtutem

---

1) Cf. etiam II, 1, 5 ὄντων δὲ πολλῶν τῶν ἀπολυσόντων et II, 2, 4.

commendasse, sed etiam ad virtutem duxisse, sive, ut nunc loquimur, non solum „theoretice" sed etiam „practice" familiaribus suis profuisse. Quisque, ut opinor, nunc exspectet narrationem de aliquo iuvene, quem Socrates a vino ludo amore avocarit, et ad strenuum laborem victumque sobrium redire coëgerit. Quid autem sequitur? *Colloquium*, quo Aristodemus eo perducitur, ut *credat* deos esse, eosque hominum vitam curae habere. Ipse, ut opinor, interpolator intellexit, se non probasse id quod promiserit: postquam enim Socrates demonstravit *τὸ θεῖον ἅμα πάντα ὁρᾶν καὶ πάντα ἀκούειν καὶ πανταχοῦ παρεῖναι καὶ ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι*, adduntur verba quaedam, quibus toti colloquio vis afferatur. Nam quae § 19 leguntur nemo probare potest nisi is, qui oblitus sit, qua re Socrates illud cum Aristodemo colloquium instituerit. Quamquam enim Aristodemus neque rem divinam faciebat, neque deorum voluntatem cognoscere studebat (§ 2) tamen vix credam illum fuisse eorum hominum, qui admonendi essent ut *ἐν ἐρημίᾳ ἀπέχοιντο τῶν ἀνοσίων τε καὶ ἀδίκων καὶ αἰσχρῶν*.

Totum autem caput quartum neque cum sequentibus neque cum praecedentibus cohaerere, vix opus est dicere. Quodsi quis putet caput quintum cum capite quarto coniungendum esse, amboque capita eidem rei demonstrandae inservire, nescio an ita interpolatio aliquanto efficiatur ineptior. Quid enim excogitari potest, quod magis sit ridiculum quam haecce demonstratio: Socrates non solum „theoretice" sed etiam „practice" discipulis profuit, nam: I. Aristodemo persuasit deos et divinam providentiam esse; II. oratione ad populum habita *ἐγκράτειαν ἀσκητέον εἶναι* demonstravit?

Si quis etiam credit colloquium cum Aristodemo ab ipso Xenophonte eo Memorabilium loco positum esse, quo nunc legitur, animadvertat ineptum sermonem §i 1, qua quo con-

silio cuiusque rei demonstrandae gratia narretur illud colloquium significatur, secumque deliberet num sit credibile Xenophontem inter se opposuisse *ἐρωτῶν ἤλεγχε* et *λέγων συνημέρευε*, vel quum esset demonstrandum, Socratem non *ἐρωτῶντα ἐλέγξαι* sed *λέγοντα συνημερεῦσαι τῷ Ἀριστοδήμῳ* (fingo enim ex iis verbis aliquem sensum posse elici), colloquium aliquod citasse, e quo prorsus contrarium appareret. Nonne enim Socrates *ἐρωτῶν ἐλέγχει* Aristodemum?

Quod autem dicebam, me vix unum afferre posse argumentum, quo totum colloquium Xenophonti abiudicarem, accuratius dixissem si particulam *vix* omisissem. Unum enim sermonis vitium mihi observasse videor tam absurdum et ridiculum, ut ab ipso Xenophonte commissum esse mihi non persuadeam. Rogatus enim Aristodemus, utri magis laudandi et admiratione digni sint, qui *εἴδωλα ἄφρονα καὶ ἀκίνητα* faciant, an qui *ζῷα ἔμφρονά τε καὶ ἔνεργα*, respondet: *πολὺ νὴ Δία οἱ ζῷα, εἴπερ γε μὴ τύχῃ τινὶ ἀλλὰ ὑπὸ γνώμης ταῦτα γίγνεται.* Quis enim credat Xenophontem tam omnis elegantiae vel potius sanae mentis expertem fuisse, ut *τοὺς τέκνα γεννῶντας* diceret *τύχῃ τινι ζῷα ἔμφρονα ποιεῖν*? [1]).

Paulo ineptius est caput V: vix enim credibile videtur a Xenophonte Socratem induci *περὶ ἐγκρατείας* ad populum contionantem; sed, dummodo cum Schenklio §um 6 abiiciamus, quae adversa fronte praecedentibus repugnat, aliquo modo ferri totum caput potest, et quamquam tenui, tamen aliquo filo cum c. 3 iungitur. Tertio enim capite lautiores epulas non expetendas, formosas feminas fugiendas, et quidquid huius sit generis vitandum esse demonstratur, quinto autem

---

1) Multos esse credo qui Krohnii libro de Socrate et Xenophonte lecto, quum omnino eius argumenta non probent, tamen de capite quarto libri primi eum verissime disputasse concedant: *κἀμὲ τούτων ἕνα ἡγείσθω εἶναι.*

homines admonentur ut magis etiam cupiditatibus imperare discant, id est ut sitim, famem, brevi omnes φύσεως ἀναγκάς perferre assuefiant.

Lepidum lectuque iucundissimum neque elegantissimo scriptore indignum sextum caput est. Non dicam cum capite V omnino iungi non posse (in utroque enim de ἐγκρατείᾳ agitur), sed quum considero, quam arto vinculo cum capite III cohaereat, vel ea de causa simul cum quarto et quintum caput abesse malim. Praesertim e §§ 9 et 10 apparet Socratem de ea re sermonem instituere, in qua totum c. 3 versatur. Et est admodum grata et iucunda varietas, qua Socrates modo amici admonendi, modo adversarii refellendi causa eandem simplicis frugalisque vitae virtutem commendans inducitur. Alteram autem huiusce capitis partem (a § 11 usque ad finem) huc aliunde tractam esse non negabo.

Caput VII per se improbandum non est, sed moleste ordinem turbat: non enim de ἐγκρατείᾳ exercenda, sed de ἀλαζονείᾳ fugienda agit. Credibile est ab imitatore aliquo Xenophontis compositum esse, qui exemplo uteretur verbis, quae leguntur II, 6, 36–39.

E capite primo libri secundi liquido apparet ultimum praecedentis libri caput ferri nullo modo posse: non enim Xenophon lepidissimum illud cum Aristippo colloquium, pulcherrimamque Proxeni fabulam inserto de ἀλαζονείᾳ loco a capite VI Libri I seiunxit, sed continua, ut opinor, serie totam de ἐγκρατείᾳ partem ab initio ad finem pertractavit, observavitque legem, qua scriptores iubentur curare ut finis coronae instar toti operi sit decori et ornamento.

Vidimus ergo libri primi capita III (V?) VI et secundi caput primum optime inter se cohaerere et de eadem re agere, vel potius duas res eiusdem generis ita in iis tractari, ut ab altera ad alteram facillimus sit transitus.

Post caput 1 Libri II narrationis filum, quod in praecedentibus observavimus subito abrumpitur, novaque instituitur series: est ea novem capitum, quae, dummodo quartum quintumque excipias, praeclara et egregia vocare non dubito: lepidissima enim lectuque iucundissima in iis habentur colloquia. Capita vero, quae excipienda esse dicebam, languida sunt et inepta: in quarto colloquium quoddam citatur, quod nullo respondente secum Socrates habuit; taedium movet oratio, rhetoremque aliquem magis decet quam Socratis discipulum; in quinto Antisthenem alloquitur Socrates, sed specie magis quam revera: nihil enim Antisthenes affert, quod non quivis de plebe Atheniensi homo, dummodo satis sit ineptus, respondere possit. Quid enim magis est ἀπειρόκαλον quam ista enumeratio (§ 3): δύο μνᾶς, ἡμιμναίου, δέκα μνῶν, πάντων χρημάτων? Sed et cetera huius colloquii oratio magnopere displicet; minime autem ferenda sunt, quae § 5 leguntur. Ea enim sententia, quae a τὰ τοιαῦτα incipit, tam contorta est et impedita, ut nemo credere possit ita unquam Xenophontem scripsisse. Uno tamen vitio liberari potest, quod non scriptori sed librario imputandum est: ante verbum σκοπῶ desideratur participium ἀκούων, quod non dubito, quin olim adscriptum fuerit: alioquin enim ne intelligi quidem potest, quid dicatur.

Ergo capita IV et V abesse quidem malim, sed etiam, illis locum suum retinentibus, haud obscurum est, quo vinculo novem illa capita (II—X) iuncta sint. Inspicias modo hancce argumentorum tabulam:

C. II. Lamproclem matri suae irascentem Socrates

admonet, ut meminerit, quantum illi debeat: „nam nisi" (hunc enim finem habet illa admonitio) „grati in parentes tuos animi dederis documenta, nemo te *amico* uti volet".

C. III. Chaerecratem cum fratre conciliat Socrates dicendo: „tu fratri tuo exemplo esse, tu eum *beneficiis devincire* conare: ita nullum fratre praestantiorem habebis *amicum*.

C. IV. Quae sit *amicorum* utilitas demonstratur.

C. V. De *amicorum* pretio disseritur.

Capitis VI argumentum ita decurrit: A. Quo modo *amici* sunt examinandi? B. *οἱ δεδοκιμασμένοι beneficiis devinciendi* sunt. C. nil tam grave et difficile est, quod non vincat *amicitia*. D. Si tibi persuasum habes nil praestare amicitiae, equidem tibi quoscunque volueris amicos reddam. Totum caput VI quum sit egregium, tamen ultima pars (D.) ceteris facile palmam praeripit. Exordium vero (*ἐδόκει δὲ — τοιαῦτα λέγων*) a Xenophonte scriptum non est, quum nonnisi ad primam partem pertineat.

Si capita IV et V a Xenophonte scripta esse credimus, ea pars de qua hucusque disputavi (c. II—VI) quod argumentum habeat perspicuum est: Si enim liber singularis esset, conveniret ei titulus „de amicis", in eoque libro quin caput VI iure positum esset, nemo, ut opinor, dubitabit. Eiectis tamen capitibus IV et V, melius etiam cum c. III cohaerebit quam cum eo, quod nunc praecedit: tum enim haecce erit disputationis series: si fratre tuo aliove homine amico uti vis, quis sis ipse considera et quanti sis. Noli ab alio beneficia exspectare, prior ipse voluntatis tuae da documentum e. q. s.

Capita VII et VIII arcte inter se cohaerent, quod et is, qui exordium capitis VII (*καὶ μὴν — ἐπαρκεῖν*) scripsit, significare conatur: *conatur* dico, nam res haud feliciter homini cessit: Graece enim scribere nesciebat. Quae enim sunt istae *ἀποριῶν* species: *αἱ δι' ἄγνοιαν* et *αἱ δι' ἔνδειαν*? Quis unquam duas res ineptius inter se oppositas vidit quam *γνώμῃ* et *διδάσκων ἀλλήλοις ἐπαρκεῖν*? Recte autem capita VII et VIII in libro „de amicis" ponuntur, rectius ita cum capite VI iunguntur, ut tribus deinceps capitibus demonstretur: Socrates non solum amicitias conciliare poterat, sed etiam amicis suis utilis esse. Egregia ea sunt, quae a capite VII usque ad X leguntur; omnium vero praestantissimum caput VII est. Hoc caput ut iterum iterumque relegant, omnibus auctor sum, qui sibi firmiter velint persuadere, non tam „mediocrem" scriptorem fuisse Xenophontem, ut literis mandare posset ineptias illas, quae nunc sparsae per Memorabilia leguntur.

Capita VII et VIII bene cum VI iungi posse dicebam. Concinnior tamen etiam esset tractatus „de amicis", si statim post c. VI sequerentur capita IX et X: ita enim continua narratione demonstraretur, quo modo Socrates docere soleret: *beneficiis amicos esse devinciendos* (c.c. VI, IX, X), eique narrationi adderentur exempla (VII et VIII), quibus probaretur Socratem ipsum suis amicis sapientibus consiliis profuisse.

Omissis ergo capitibus IV et V reliqua hoc ordine, quaeso, lector, percurre: II, III, VI, IX, X, VII, VIII: concedes aut Xenophontem ita scripsisse, aut saltem ita scribendum fuisse.

Sequuntur nunc septem capita (L. III c. 1—7), quae a tractatu de amicis, quem finxi, non longe recedunt, nam et ipsa quo modo Socrates cum amicis suis colloqui eosque admonere solitus sit declarant; arctius tamen inter se cohaerent, novamque quandam seriem efficiunt: colloquia, quae septem his capitibus narrantur, omnia pertinent ad ducis militum magistratusque officium.

Primum caput egregium est: „historicum", quem dicunt, Socratem hic loquentem induci supra (p. 16 sq.) significavi: comparandum enim hoc caput esse cum Platonis Lachete, ut appareret ideo et Xenophontem et Platonem magistros istos *τάξεως* et *ὁπλομαχίας* despectui habuisse, quod Socratem saepius eos deridentem audivissent. Nunc addo e § 11 vel maxime illud consilium perspicuum fieri, ubi Socrates his verbis iuvenem, quocum collocutus est, ad Dionysodorum *τὸν τῆς στρατηγίας διδάσκαλον* redire iubet: *πάλιν τοίνυν ἐλθὼν ἐπανερώτα· ἢν γὰρ ἐπίστηται καὶ μὴ ἀναιδὴς ᾖ, αἰσχυνεῖται ἀργύριον εἰληφὼς ἐνδεᾶ σε ἀποπέμψασθαι.*

Paulo minus secundum caput placet, credoque illud non ita a Xenophonte scriptum esse, sed ab alio e Xenophonteo dialogo excerptum: argumentum enim omnino Xenophonti vindicandum esse ex ultimis verbis apparet: *καὶ οὕτως ἐπισκοπῶν τίς εἴη ἀγαθοῦ ἡγεμόνος ἀρετὴ τὰ μὲν ἄλλα περιῄρει, κατέλειπε δὲ τὸ εὐδαίμονας ποιεῖν ὧν ἂν ἡγῆται.* Praeclaram illam sententiam ad ipsum Socratem auctorem referendam esse, efficio ex hisce Platonicae Reipublicae verbis (L. I, p. 342 extr): *οὐκοῦν οὐδ' ἄλλος οὐδεὶς ἐν οὐδεμιᾷ ἀρχῇ, καθ' ὅσον ἄρχων ἐστί, τὸ αὑτῷ συμφέρον σκοπεῖ οὐδὲ ἐπιτάττει, ἀλλὰ τὸ τῷ ἀρχομένῳ καὶ ᾧ ἂν. αὐτὸς δημιουργῇ,*

καὶ πρὸς ἐκεῖνο βλέπων καὶ τὸ ἐκείνῳ ξυμφέρον καὶ πρέπον καὶ λέγει ἃ λέγει καὶ ποιεῖ ἃ ποιεῖ ἅπαντα. Vel potius totus liber primus id demonstrat.

Summis laudibus caput III dignum est, quo ad eam quaestionem respondetur, qua nulla unquam Xenophonti magis cordi fuit, de qua et ipse ἐν μακρῷ βίῳ νύκτας διηγρύπνησε et haud dubie cum Socrate saepius collocutus est: „qua ratione aliquis efficere potest, ut homines sibi semper dicto sint audientes suaque imperia observent?" (§ 8 sqq.). Neque haec a Socrate aliena sunt: δεῖ τὸν ἵππαρχον πρὸς τοῖς ἄλλοις ἐπιμελεῖσθαι καὶ τοῦ λέγειν δύνασθαι (§ 11). Commendasse enim Socratem omnibus, qui aliquam artem exercerent, ut et alius cuiusdam artis periti fieri conarentur, novimus omnes, qui Platonici Convivii ultima verba memoria tenemus.

Eiusdem generis, neque tertio inferius est caput IV: ibi enim de altera arte, quam Xenophon haud minus illa, qua efficitur, ut homines dicto audientes fiant, cordi habuit, oeconomiam dico, agitur, eamque cum imperandi arte coniungendam esse demonstratur. Conferantur haec e Cyropaedia verba (I, 6, 12): ἆρά γε, ὦ παῖ, ἐν τοῖς στρατηγικοῖς καὶ οἰκονομίας τί σοι ἐπεμνήσθη ὁ ἀνὴρ ᾧ τὸν μισθὸν φέρεις; οὐδὲν μέντοι ἧττον οἱ στρατιῶται τῶν ἐπιτηδείων δέονται ἢ οἱ ἐν οἴκῳ οἰκέται.

Caput quintum, quamquam praestantissimum est, tamen e Xenophontis magis quam e Socratis sententia scriptum esse, saepius observatum est. Quae enim de periculis a Thebanis imminentibus (§ 2 sqq.), et de utilitate militum levibus armis instructorum (§ 26) disputantur, ea Socrati in mentem venire non poterant. Nihil ad Socratem contra adversariorum calum-

nias defendendum hoc capite confertur, neque quidquam narratur, quo egregii viri virtutes in aequalium memoriam revocentur. Ergo post annum 371 ipsum Xenophontem illud Memorabilibus suis inseruisse admodum probabile videtur.

Quod de capite V dicebam, idem de capite VI dici potest: non nego elegantissime scriptum esse, colloquiumque, quod cum Glaucone habetur, elenchi Socratici egregium praebere exemplum: argumentum tamen, de quo disputatur, Xenophonti magis quam Socrati cordi fuisse nemo negabit. Praesertim de iis, quae § 12 leguntur, affirmare hoc licet.

Ad ipsum Socratem cognoscendum utilissimum caput septimum est: ex eo enim discimus, Socratem non solum arrogantes homines refutasse, eorumque stultitiam ignorantiamque perstrinxisse, sed interdum etiam illos, qui iusto verecundiores essent, incitasse, ut ea onera susciperent, quibus perferendis haud impares viderentur.

Paucissima, ut ex hoc conspectu apparet, sunt, quae septem capitibus, de quibus disputavi, improbari possint: pleraque omnia praestantissima sunt, summaque admiratione digna. Mallem ex Memorabilibus praeter illa capita nihil ad nos pervenisse, quam toti libro servato tot tantasque ineptias adhaesisse: multo enim aequius iustiusque de Xenophonte scriptore iudicium ferre liceret, multo minus meritae eius laudes essent obscuratae. Nunc etiam atque etiam lector admonendus est, ut egregium hunc locum — satisque longus is est — et paucos alios in legendis Commentariis de Socrate semper ante oculos habeat: sic enim, quid aera lupinis distent, id est, quid Xenophonti, quid interpolatori tribuendum sit, recte dignoscet, multoque audacior erit ad

reiicienda et abiudicanda ea, quae ipsi taedium moveant, quaeque absurde et pueriliter dicta esse et sentiat et demonstrare possit.

Statim eius rei, quam modo commendabam periculum facere licebit: praeclarum enim illum locum, quem supra tantis laudibus extollebam, duo excipiunt capita (VIII et IX), tot tantarumque plena ineptiarum, ut fieri non posse credam, quin is, qui a lectione praecedentium recens sit, vehementer miretur, tam diversa ab eodem scriptore composita editaque esse, et nullo intervallo post egregia sequi pessima absurdissimaque. Sed praestat singula indicare:

C. VIII, 1—3. Absurdo miseroque sermone haec scripta esse vix opus est demonstrare: haud multum enim abest, quin nullo modo, quae hic leguntur, intelligi possint. Velim mihi dicat aliquis, quid tandem significet *οἱ φυλαττόμενοι μή πῃ ὁ λόγος ἐπαλλαχθῇ*: nam ipse scriptor hoc, ut opinor, neminem docebit; ille enim opponit haecce: *ὡς ἂν πεπεισμένος μάλιστα πράττειν τὰ δέοντα*, in quibus et verbum *πράττειν*, eo loco, *ubi de disserendi ratione agitur,* magnopere displicet, et elliptica structura *ὡς ἂν πεπεισμένος*, quae apud Atticos scriptores rarissima est, apud Lucianum, Plutarchum, aliosque Atticistas frequentissima [1]). Displicere dicebam verbum *πράττειν*: quid vero illo homine facias, qui scribere non erubescat: *ἀπεκρίνατο ἧπερ καὶ ποιεῖν κράτιστον*!

---

1) De ea structura dixi quaedam, tironibus, ut opinor, non inutilia in Studiis Criticis ad Lucianum (L. B. apud S. C. van Doesburgh, 1877) p. 22 sq. Recte II, 6, 38 pro *ὡς ἂν στρατηγικῷ* Weiskius coniecit *ὡς ὄντι στρατηγικῷ*.

Sed inepto sermone multo etiam ineptius argumentum est. Quis enim, de Socratis apud posteros fama sollicitus, ei tribuere non vereatur istiusmodi captiunculas, quibus hic Aristippus refutatur scilicet? An tam parum urbanum Socratem fuisse censeamus, ut homines furca potius a se repelleret, quam disputationis suavitate ad se alliceret? Rusticum enim aliquem ista *οὔτ' οἶδα οὔτε δέομαι* decent. Et quis unquam Socratis discipulus tam ineptus esse potuit, ut eius sapientiam his verbis commendaret laudaretque: *εἰδὼς ὅτι, ἐάν τι ἐνοχλῇ ἡμᾶς, δεόμεθα τοῦ παύσοντος*? Profecto ad eiusmodi res cognoscendas philosophorum principe opus erat! Minime vero hoc ferri potest, quod totus hicce de Aristippo locus adversa fronte pugnat cum eo capite, ad quod haud dubie referendus est. Nihil enim ab „elencho" tam fuit remotum, quam lepidum illud cum Aristippo colloquium, quod L. II c. 1 legitur: ibi enim non *opinio* Aristippi vel *doctrina* aliqua refellitur, falsamque eam esse demonstratur, sed ipse Aristippus ad vitam sobriam frugalemque ducitur. Lepideque, et ut urbanum hominem decet, Aristippus Socratis quaestionibus respondet. Quis illud caput legens Aristippum exspectet postea rediturum, ut nescio qua sophistica fallacia audientium de Socrate cachinnos moveat? Et quae tandem illa fallacia est, qua ne Aristippus utatur veretur Socrates, quamque tantopere improbat Xenophon? „*ὁ μὲν γὰρ*" ait Xenophon „*αὐτὸν ἤρετο εἴ τι εἰδείη ἀγαθόν, ἵνα εἴ τι εἴποι τῶν τοιούτων, οἷον ἢ σιτίον ἢ ποτὸν ἢ χρήματα ἢ ὑγίειαν, ἢ ῥώμην ἢ τόλμαν, δεικνύοι δὴ τοῦτο κακὸν ἐνίοτε ὄν.*" At prorsus eodem illo modo ipsum Socratem disputantem ipse Xenophon inducit egregio loco IV, 2, 31 sqq.

§ 4—7. Non nego hanc partem praecedenti praestare: ad intelligendum enim facilis est, sermo purus neque inquinatus gravibus vitiis. Si tamen totum locum magis quam sin-

gula verba spectas, non potest non molesta esse et ieiunitas et refutationis acerbitas a lenitate Socratica alienissima. Nam quae ista sit refellendi ratio, qua §§ 6 et 7 Socrates utitur, multo melius copiosiusque exponitur eo loco, quem supra citavi (IV, 2, 31 sqq.), semperque hoc mihi manifestum interpolationis signum visum est, si in eodem libro, praesertim breviori, bis eadem res tractatur, idque semel eleganter, fuse, loco aptissimo, semel exiliter, raptim, sine ullo cum ceteris vinculo. Et quae tandem causa est, cur Aristippum ex omnibus eligat Xenophon, quocum tam inimico animo Socratem inducat disputantem? Quid ille commiserat, ut tristis severique magistri adversus eum sumeret personam Socrates, qui ceteros omnes adversarios urbana lenique ironia convincere soleret? Nam Aristippus, quem L. II c. 1 conspicimus non est homo illepidus: sit paulo propensior ad voluptatem vitamque hilarem, molliter se curet genioque indulgeat, at non est arrogans, non amans fallacium captionum, non deridet Socratem, non denique is est, quem potissimum pudendae ignorantiae convincere studeas: ipse Socrates bene se ei velle prudentibus suis admonitionibus declarat. Praeclare vero illa omnia, quae ab initio huius capitis usque ad §um. 7 leguntur, posita sunt capite secundo libri quarti: inde igitur totum hunc locum a compilatore translatum existimo.

Confutato Aristippo ad nescio quem se convertit Socrates (§ 8—10), ut doceat, quomodo domus sit aedificanda. Est quod mireris novum istud et inexpectatum argumentum: non tamen nullo prorsus vinculo cum praecedentibus cohaeret: quamquam satis tenue et exile illud est. Exemplis enim nonnullis scriptor docuerat, *καλόν* et *χρήσιμον* idem esse: nunc unum additur, de quo fusius disputetur. Sed insulsam taediique plenam eius disputationis ubertatem esse, neminem,

qui eam accurate perlegerit, negaturum esse opinor. Et quorsum, quaeso, tota illa disputatio pertinet? Sive enim ad defendendum Socratem, sive ad eius memoriam recolendam Memorabilia scripta sunt, inepte posita est. Quis enim in eiusmodi libro libenter ferat Socratem magnis ambagibus nec sine arrogantia de illis rebus disputantem, quas nemo ignorare possit eum minime curasse? Et quam absurdum est affirmare, *saepe* de domibus aedificandis Socratem tam ieiuna et verbosa colloquia instituisse: hoc enim e verbis *ἐπειδὴ συμφαῖεν* discimus. At enim, dixeris, Xenophon suam ipse doctrinam Socrati tribuit, quod eum et capitibus 5 et 6 libri tertii fecisse omnes agnoscunt. Non negabo *Xenophonteam* illam de domibus aedificandis doctrinam esse; sed parum verisimile videtur, Xenophontem semel eam suo loco aptaque brevitate protulisse, semel eandem *ad philosophicam disputationem*, a qua plane abhorreat, adhibuisse. Egregia enim sunt quae de eodem argumento leguntur Oec. IX, 4: *καὶ σύμπασαν δὲ τὴν οἰκίαν ἐπέδειξα αὐτῇ ὅτι πρὸς μεσημβρίαν ἀναπέπτασαι, ὥςτε εὔδηλον εἶναι ὅτι χειμῶνος μὲν εὔειλός ἐστι, τοῦ δὲ θέρους εὔσκιος.* Quod autem elocutionem dicebam parum elegantem esse, magis hoc sentitur quam certis argumentis demonstratur: sed unum argumentum afferam, quo certo certius appareat, Xenophonti hunc locum abiudicandum esse. Legitur enim § 9: *ὁ ἥλιος σκιὰν παρέχει.* Quis in scribendo paulo versatior ita scribere possit?

C. IX 1—3. Miserrimum hunc locum esse declarare non vereor. Ineptissimum enim affertur eius rei, quae demonstratur, exemplum. An forte eo, quod neque Scythae Spartanos, neque Spartani Scythas sustinere audeant, nisi suis utrique instructi sint armis, quibus uti didicerint, probari censes virtutem doceri posse? Nullane ergo Scytharum virtus est, si sagittis suis audacter Spartanos lacessunt, nullane

Spartanorum, si gravibus armis instructi Scytharum incursionibus fortiter resistunt? Et quis credat Xenophontem scripsisse *ἐν πέλταις, ἐν ἀκοντίοις, ἐν τόξοις διαγωνίζεσθαι*? Iudaei, ut opinor, sic Graece loquuntur.

Post *ἀνδρείαν* sequitur *σωφροσύνης* et *σοφίας* definitio (§ 4—7), estque is locus praecedenti etiam inferior. Inepte ex I, 2, 50: *Σωκράτης δὲ τὸν μὲν ἀμαθίας ἕνεκα δεσμεύοντα δικαίως ἂν καὶ αὐτὸν ᾤετο δεδέσθαι ὑπὸ τῶν ἐπισταμένων ἃ μὴ αὐτὸς ἐπίσταται· καὶ τῶν τοιούτων ἕνεκα πολλάκις ἐσκόπει τί διαφέρει μανίας ἀμαθία. καὶ τοὺς μὲν μαινομένους ᾤετο συμφερόντως ἂν δεδέσθαι καὶ αὐτοῖς καὶ τοῖς φίλοις, τοὺς δὲ μὴ ἐπισταμένους τὰ δέοντα δικαίως ἂν μανθάνειν παρὰ τῶν ἐπισταμένων*, translata videntur haec verba (§ 6): *μανίαν γε μὴν ἐναντίον μὲν ἔφη εἶναι σοφίᾳ, οὐ μέντοι γε τὴν ἀνεπιστημοσύνην μανίαν ἐνόμιζε.* Illic enim ipsa demonstratio eam Socratis doctrinam requirit, hic vero nullus ei locus est. Sed omnino eorum, quae § 4—7 leguntur absurdissima est oratio: qua enim ratione demonstratio procedat obscurissimum est: nam quid — ut hoc exemplo utar — sibi volunt haec e § 5 verba: *οὕτω καὶ τὰ καλά τε καὶ τὰ ἀγαθὰ τοὺς μὲν σοφοὺς πράττειν τοὺς δὲ μὴ σοφοὺς οὐ δύνασθαι, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἐγχειρῶσιν ἁμαρτάνειν*? Et quorsum ista *τῶν πολλῶν* opinio affertur: *τοὺς μέντοι πολλοὺς* — usque ad §i 7 finem? Sed plura indicare taedet: quae enim § 7 afferuntur *μανίας* exempla, tam inepta sunt, ut nemini in mentem venire possint, nisi qui aut ipse insaniat, aut omnis sit elegantiae expers.

§ 8. Invidiae definitionem hic inseri nemo, ut opinor, non miretur.

§ 9 absurdius etiam est, quod ab invidia subito ad otium transitur, ineptumque hunc locum esse nemo negabit, qui memor sit pulcherrimi loci I, 2, 57, ubi disputatur de versu Hesiodeo: *ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος.*

§ 10—13 absurdissime vero post otium rex regnumque sequitur. Et alienum a Xenophonte videtur ea βασιλείας definitione contentum esse, qua nil nisi σοφίαν quandam eam esse discamus. Luculenter enim saepe alibi demonstrat, hanc esse regis sapientiam, ut amicos beneficiis sibi devinciat. Accedit, quod de regis officio multo uberius rectiusque disputatur L. IV, c. 4, unde hunc locum utcunque translatum puto.

§§ 14 et 15 quo consilio addantur, quaeque earum sit sententia, haud facile, ut opinor, explicabis.

Censeo ergo capita VIII et IX Xenophonte indignissima esse.

Capite X tria colloquia leguntur, quae per se spectata non illepida sunt et ad Socratem cognoscendum utilissima, sed iniuria inter se iunguntur, perverso loco posita sunt, non eo consilio scripta, quod primis verbis (ἀλλὰ μὴν καὶ εἴ ποτε τῶν τὰς τέχνας ἐχόντων καὶ ἐργασίας ἕνεκα χρωμένων αὐταῖς διαλέγοιτό τινι καὶ τούτοις ὠφέλιμος ἦν) indicatur. An putas ea fuisse Socratem arrogantia, ut cum artificibus — nec mediocribus illis sed praestantissimis — ideo sermones institueret, ut eos de ipsorum arte doceret, vel Xenophontem illam arrogantiam magistro suo tribuisse? Minime vero, ut opinor. Non potest haec colloquiorum cum Parrhasio et Clitone esse sententia: sed inducitur Socrates de duabus quaestionibus ad artem pertinentibus disputans, quae nostro etiam tempore saepe moveri solent, et magni momenti esse videntur. Quarum altera est de „artis finibus terminisque", ut nunc loquimur: cum Parrhasio enim disputans Socrates quaerit, utrum artifici nihil non imitari liceat, an ea sint eligenda, quae pulchra sint et spectantem voluptate aliqua afficiant; altera de imitandi ratione: cum Clitone enim colloquitur Socrates, ut appareat, utrum in hominis simulacro

faciendo anxie et accurate omnia sint colligenda, quae ad externam speciem pertineant, an ceteris omissis ea potissimum spectatorum oculis sint proponenda, unde mens indolesque hominis cognosci possit. Atque hanc quidem colloquii cum Clitone sententiam esse, melius etiam videbis, si emendationem quandam meam probaveris, quae et verisimilis est, et, ut mihi quidem videtur, certa et necessaria. Postquam enim, assentiente Clitone, de corporibus demonstravit *τοῖς τῶν ζώντων εἴδεσιν ἀπεικάζων τὸ ἔργον ζωτικωτέρους ποιεῖς φαίνεσθαι τοὺς ἀνδριάντας*, de mente instituta quaestione haec conficit (§ 8 extr.): *δεῖ ἄρα τὸν ἀνδριαντοποιὸν τὰ τῆς ψυχῆς ἔργα τῷ εἴδει προςεικάζειν*. Legendum opinor: *δεῖ ἄρα τὸν ἀνδριαντοποιὸν τὰ ἔργα τῷ τῆς ψυχῆς εἴδει προςεικάζειν*. Nam *ἔργα* simulacra sunt, eaque artificem oportet *ἀπεικάζειν τῷ τῆς ψυχῆς εἴδει*, i. e. efficere, ut statum conditionemque mentis quam verissime referant.

Cum praecedentibus autem male cohaerere colloquium cum Pistia *θωρακοποιῷ* vix opus est dicere: illud enim eo pertinet, ut appareat „pulchrum esse quod utile sit". Atque hoc quidem non est huiusce loci.

Caput XI. Pulcherrimum haud dubie cum Theodota colloquium est: num tamen recte colloquia cum artificibus excipiat, dubitari licet. Primarium enim eius consilium est, ut et Theodotae exemplo demonstretur: „amicos beneficiis esse devinciendos". Multo ergo melius cum ceteris colloquiis, quae in eodem argumento versantur, iungeretur.

Duodecimum quoque caput optimo scriptore dignum est, sed nullo cum praecedenti vel cum decimo vinculo cohaeret. Exordium excidisse putat Schenklius: mihi totum caput ad colloquia cum amicis referendum videtur: haud inepte enim post caput VII sequeretur.

Caput XIII e sex colloquiis constat diversi generis: utrum

ea a Xenophonte ipso, an ab aliquo interpolatore collecta et in unum congesta sint, non possum statuere.

Idem de colloquiis dicendum est, quae caput XIV implent: illa tamen omnia ad coenam conviviumque pertinent.

Libri quarti capitis primi §um primam Schenklius damnat: quin recte, nemo, ut opinor, dubitabit. Sed quam insulsus iste locus sit, tum demum optime apparebit, si tecum deliberabis, quo tandem referendum sit adverbium *οὕτως*, quod impensas illas, nimiumque oratione exaggeratas Socratis laudes, quae hac §o leguntur, cum praecedentibus coniungit. Nempe ad Socraticum iocum satis frigidum de significatione verbi *εὐωχεῖσθαι* (III, 14, 7); apparet hoc ex ultima §i sententia: *καὶ γὰρ παίζων οὐδὲν ἧττον ἢ σπουδάζων ἐλυσιτέλει τοῖς συνδιατρίβουσι.* Relege, quaeso, illum iocum, statimque verba a Schenklio damnata subiice: concedes, te nunquam quidquam vidisse, quod ineptius esset.

Non tamen Schenklius mihi satisfacit: totum enim caput I cum prima sententia secundi ab interpolatore additum credo, ut ad colloquium cum Euthydemo transitus pararetur. Indicabo ergo, quae mihi Xenophonte indigna videantur.

§ 2. *ἐτεκμαίρετο δὲ τὰς ἀγαθὰς φύσεις ἐκ τοῦ ταχύ τε μανθάνειν οἷς προςέχοιεν καὶ μνημονεύειν ἃ μάθοιεν καὶ ἐπιθυμεῖν τῶν μαθημάτων.* Quis unquam aliis argumentis usus de adolescentium indole iudicavit? Profecto ad istiusmodi coniecturas faciendas Socrate opus erat!

§ 3. Misera huiusce §i enunciatio est: ineptissima enim ista repetitio est: *γιγνομένους, γένοιντο, γίγνεσθαι,*

γιγνομένους, parumque eleganter inter se opponuntur καλῶς ἀχθείσας et ἀναγώγους.

§ 4 recurrit ista verbi γίγνεσθαι coniugatio.

§ 5 gradatio quaedam instituitur; sed parum feliciter scriptori res cessit: nam usque ad παρεσκευάσθαι aliquo modo dici potest, semper gravius quoddam stultitiae genus proponi; quae deinde sequuntur non iam cum praecedentibus cohaerent. Verum nullum unquam hac §° locum ineptiorem vidi, nullum, qui magis legenti bilem moveat: omnium autem absurdissimum est, quod is dicitur ἠλίθιος esse, qui μηδὲν ἀγαθὸς εἶναι δοκῶν, se putet εὐδοκιμήσειν.

Toto capite duo hominum genera enumerantur:

1. Qui putant, se tam egregia praeditos esse indole, ut nulla sibi opus sit disciplina.

2. Qui propter divitias omnem disciplinam contemnunt.

Nonne verus Xenophon potius eiusmodi hominum exempla posuisset, Socratemque cum aliquo ex utroque genere disputantem induxisset? Sed dubitari potest, num unquam in rerum natura illa fuerint hominum genera. Certe quod prius ponitur aut nunquam exstitit, aut eo referendi sunt homines, qualis est Euthydemus, quem c. II conspicimus: is tamen non prorsus omnem respuit institutionem, sed libros suos idoneos sibi fore magistros sperat. Cum altero genere hominum loqui inutile esse opinor. Quis enim tam ineptus est, ut putet, se illis persuadere posse, qui οἴονται ἐξαρκέσειν σφίσι τὸν πλοῦτον πρὸς τὸ διαπράττεσθαί τε ὅ, τι ἂν βούλωνται καὶ τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων? Profecto Socrates illos, si iam usquam invenire posset, (ultro enim, ut opinor, ad eum non veniebant) aliis mul-

toque lepidioribus argumentis in sua disciplina retinere conatus esset, quam quae hic ab interpolatore sunt posita: nam si adversus eos tristis et morosi ludimagistri personam sumpsisset — hoc autem eum §° 5 facere quis negabit? — *ἀμεταστρεπτί* eum fugissent, nunquamque rediissent.

Quanto capitis I ineptiis colloquium cum Euthydemo (c. II) praestat! Nihil Xenophon melius pulchriusque scripsit, nihil quod maioris sit momenti, et ad Socratem cognoscendum utilius. Hoc enim colloquium qui accurate perlegerit, lubenter concedet, errare illos qui Xenophontem non magni faciant, eumque „mediocrem" appellando se contemnere significent. Nam quae fuerit Socratis institutio, quid sibi voluerit illa interrogandi examinandique ratio, quam *ἔλεγχον* vocamus, ne Platonis quidem dialogi tam egregie docent, quam haecce Socratis cum Euthydemo disputatio. Eo autem nomine vel maxima laude digna sunt, quae § 40 tamquam illustrandi causa adduntur. Sed omnino ea totius colloquii est praestantia, ea sermonis elegantia, ut satis mirari non possim, tam diu aequo animo viros doctos ineptias illas tulisse, quarum in Memorabilibus magna est copia. Auctor enim tibi, Lector, sum ut, colloquio cum Euthydemo perlecto, statim ad caput IV libri primi transeas, et tecum statuas, num utrumque caput ab eodem scriptore profectum esse probabile videatur.

Caput III summo iure Schenklius et Dindorfius damnant: non enim Xenophontem credo unquam tam insulse putideque scribere potuisse.

Caput IV improbandum quidem non est (dummodo eam partem excipias quam Schenklius damnat, 1—4), sed perverso loco positum: aut enim documento esse scriptor voluit, quae fuerit Socratis in refellendis sophistis peritia (illud

autem consilium a ceteris, quae hoc libro leguntur diversissimum est), aut referendum est ad ea, quae Socrates disputare soleret de *νόμῳ πόλεως*, quorum partem libro primo legimus.

Caput V. Schenklio assentior hoc caput Xenophonti abiudicanti: quae enim eo continentur tamquam lasciniae sunt earum rerum, quae alibi, suo quaeque loco, multo accuratius elegantiusque sunt expositae et demonstratae.

Etiam quae capite VI leguntur fragmentorum speciem prae se ferunt, inepteque ea inter se iunguntur illis verbis, quae tamquam eorum argumentum praecedunt: *ὡς δὲ καὶ διαλεκτικωτέρους ἐποίει τοὺς συνόντας, πειράσομαι καὶ τοῦτο λέγειν.* Nam hercle non eo Socratem eiusque disciplinam commendare et laudare volebat Xenophon, quod *διαλεκτικωτέρους ἐποίει τοὺς συνόντας* (id enim eum potius in suspitionem sophisticae calliditatis vocasset), sed quod eius dialectice eo tenderet, ut in discipulorum mentibus animisque tam egregiae, et ad vitae usum praestantissimae sententiae haererent. Persuadebat enim iis haecce:

a. *εὐσεβής* est is, qui *τὰ περὶ θεοὺς νόμιμα οἶδεν.*

b. iustus est is, qui *τὰ περὶ ἀνθρώπους νόμιμα οἶδεν.*

c. nemo sic nude et simpliciter *σοφός* dici potest, sed quam quisque novit artem, in ea *σοφός* est.

d. eadem est adiectivorum *ἀγαθός* et *καλός* ratio: nihil enim *ἀγαθόν* et *καλόν* est, nisi ad id referatur *πρὸς ὅ ἂν ᾖ χρήσιμον καὶ ὠφέλιμον.*

e. fortis est is, qui *τοῖς δεινοῖς καλῶς χρῆσθαι οἶδεν.*

Adiicitur autem hisce locus satis ieiunus *περὶ βασιλείας* et *τυραννίδος*, qui cum praecedentibus nulla ratione cohaeret: multo tamen absurdior pannus iste est, qui §§ 13—15 assuitur.

Quum vero pleraque eorum, quae capite VI leguntur, iam alibi fuse copioseque tractata me legisse reputo, non pos-

sum non suspicari, totum caput invito Xenophonte Memorabilibus esse insertum.

Septimum quoque caput suspectum mihi est: nam praeter §um primam, unde Socratem cognoscimus et ipsum discipulos suos res utiles docuisse (i. e. non solum eorum falsas opiniones refutasse), et, si cuius rei ipse imperitus esset, eos duxisse *πρὸς τοὺς ἐπισταμένους*, cetera omnia exigui sunt pretii, languidoque et taedii pleno sermone composita. Quis enim ingratam istam repetitionem ferre potest sententiae: *ἔφη δὲ ταῦτα ἱκανὰ εἶναι ἀνθρώπου βίον κατατρίβειν καὶ ἄλλων πολλῶν καὶ ἀφελίμων μαθημάτων ἀποκωλύειν* (§ 3), quae paucissimis verbis omissis recurrit § 6? Saepe etiam sermo obscurus vel mendosus est: quid enim unquam insulsius dictum est, quam haec verba, quae exempli gratia e § 4 afferam: *ὅσα ἄλλα ἢ νυκτὸς ἢ μηνὸς ἢ ἐνιαυτοῦ πράττεται.* Schenklius §um 10 Xenophonte indignam censet: quidni et praecedentia huius capitis?

Caput VIII Schenklio damnanti lubenter assentior.

Nunc censurae nostrae summam conficere conemur. Observavimus multas Memorabilium partes eximia laude dignas esse: illarum enim partium argumentum maximi esse momenti: ibi de Socrate ea narrari, unde et eius disciplina egregie cognoscatur, et virtutes in clara luce ponantur, ita ut fieri non possit, quin is, qui illas legerit, scriptoris magistrum et admiretur et diligat. Illas autem partes fere omnes colloquiorum formam habere vidimus, colloquiaque illa lepidissima esse, et eiusmodi, ut revera habita dixeris: sermonem illorum purum et perspicuum esse, et quo quid scrip-

tor velit tam apte et elegantur significetur, ut, correctis librariorum erroribus, ne verbum quidem addendum, demendum, mutandum censeas. Deinde et hoc observavimus, plures paucioresve partes vinculo quodam inter se cohaerere, certissimaque etiamnunc exstare indicia, quibus appareat, scriptorem ea, quae eiusdem essent argumenti aut collegisse, aut saltem colligere voluisse.

Neque tamen nos fugit, multa in Memorabilibus esse, quae ab iis virtutibus, quas supra enumeravimus longissime recedant. Vidimus enim haud paucos eorum locos pessime misereque scriptos esse, nonnullorumque illum esse sermonem, qui puerum Graece balbutientem deceat magis, quam virum in scribendo exercitatum. Haud raro istiusmodi interpolationibus filum, quo praecedentia cum sequentibus olim cohaesisse credibile sit, interruptum esse intelleximus. Saepe ea Socrati tribui demonstravimus, quae ad virum egregium Xenophontis aequalibus suspectum reddendum magis apta essent, quam ad eum commendandum; multo saepius aliquem locum nihil aliud esse cognovimus, quam aridum ieiunumque excerptum eorum, quae alibi lepidissimo lectuque iucundissimo colloquio essent demonstrata. Neque ea deësse nobis apparuit, quae adversa fronte cum aliis Xenophontis locis pugnarent.

Resectis ergo et reiectis, quae interpolatori deberi mihi constat, quid de Memorabilium consilio fatisque censeam brevissime narrabo.

Refutatis criminibus, quae et ab aliis et nuperrime a Polycrate adversus Socratem essent prolata, dilectissimi magistri eam lectoribus proponere imaginem conatus est Xenophon, quam libenter admirantesque intuerentur et contemplarentur. Hoc autem ut facere posset lepidissima quaedam eius colloquia (fortasse et apophthegmata) collegit ediditque,

sive ea colloquia revera a Socrate habita esse constaret, sive ab ipso Xenophonte essent ficta. Neque dubito, quin iam statim, postquam imperio functus et aliquid otii nactus esset, partem illorum evulgaverit [1]): absurdum enim videtur, Xenophontem aut de Socrate scribendi consilium distulisse, aut quae scripta essent domi suae servasse, donec post magistri mortem decem vel viginti anni effluxissent; neque hoc magis credere possum, quam tam diu eum se continuisse, quominus milites Graeci, quo modo a se salvi ad Pontum Euxinum ducti essent, exponeret, donec plerique expeditionis socii e vita excessissent. Deinde per totam vitam eiusmodi „Socratis Memorabilia" literis mandare perrexit, eaque cum colloquiis antea evulgatis coniunxit, sive nova esset paranda editio (nam quidni hac locutione utamur, quamvis ea parum videatur antiqua?), sive alia se obtulisset occasio. Eadem fere ratione et Anabasin natam esse ego censeo, et Hellenica edita esse nemo negat: nulli autem libro magis quam Memorabilibus ea convenit. Sed et ea Memorabilium natura est, ut facile ansam praebuisse interpolatoribus sua commenta suasque imitationes inserendi perquam sit probabile. Etenim et capita 5 et 6 libri III, quamquam genuina sint, tamen parum apte ab ipso Xenophonte ad librum de Socrate relata esse, inter viros doctos constat. Impudentissime autem interpolatores illi grassati sunt: modo ordinem perturbarunt vinculaque interruperunt, modo novis et a se

1) Teichmüller Lit. Fehden II, 50: „Ich halte es für sehr natürlich, dass Xenophon, der von dem Athenischen Volke verbannt war, zunächst keine bessere Beschäftigung finden konnte, als sich an dem Vorbilde des Socrates zu trösten, dem ja Schlimmeres widerfahren war." Vix opus est, ut moneam, eas partes, quae ad Polycratem pertineant, non tam brevi post Socratis mortem scribi potuisse. De Polycrateae declamationis tempore cf. Cobetus l. l.

inventis vinculis iunxerunt, quae diversi essent generis. Id autem ex eo vel maxime apparet, quod nulla in Memorabilibus legitur ἀνακεφαλαίωσις, quae non sit ineptissima, quodque sententiae illae, quibus ad novum quoddam colloquium transitur, tantum non omnes absurdissimae sunt et insulso sermone compositae.

CAPUT SEXTUM.

Ad varios Memorabilium locos annotationes criticae.

Iam in praecedenti capite, quoties occasio oblata erat, coniecturas meas de locis corruptis proposui: nunc Memorabilia ab initio ad finem percurram, quaecunque vitiosa videntur emendare conabor; si emendatio in praesentia non suppetit, tantummodo vitium indicabo, neque ab illis locis abstinebo, quos supra spurios esse contendi, si ibi errorem deprehendero, qui non interpolatori, sed librario deberi videatur.

LIBER I.

Caput I, 20. *Θαυμάζω οὖν ὅπως ποτὲ ἐπείσθησαν Ἀθηναῖοι Σωκράτη περὶ τοὺς θεοὺς μὴ σωφρονεῖν, τὸν ἀσεβὲς μὲν οὐδέν ποτε περὶ τοὺς θεοὺς οὔτ' εἰπόντα οὔτε πράξαντα, τοιαῦτα δὲ καὶ λέγοντα καὶ πράττοντα περὶ θεῶν, οἷά τις ἂν καὶ λέγων καὶ πράττων εἴη τε καὶ νομίζοιτο εὐσεβέστατος.* Nulla unquam fuit *ἀσέβεια,* quae non adversus *deos* committeretur; inepte ergo

hic post ἀσεβὲς adduntur verba περὶ τοὺς θεούς. Soloece in sequentibus περὶ θεῶν ponitur post πράττοντα, nam recte dicitur λέγειν τι περὶ θεῶν, non item πράττειν τι περὶ θεῶν. Eiectis autem verbis, quae notavi, totam sententiam multo fieri rotundiorem et elegantiorem, quisque, ut opinor, sentiet.

C. II, 2. πῶς οὖν αὐτὸς ὢν τοιοῦτος ἄλλους ἂν ἢ ἀσεβεῖς ἢ παρανόμους .... ἐποίησεν. Scriptor hoc vult: quo modo talis homo dici potest alios impios fecisse? i. e. nonne absurdum est, dicere talem hominem alios impios fecisse? Abesse ergo debet particula ἄν. Ea enim addita sententia fit: quo modo, qui ipse talis esset, alios impios facere potuisset?

14. ἐγενέσθην μὲν γὰρ τὼ ἄνδρε τούτω φύσει φιλοτιμοτάτω πάντων Ἀθηναίων, βουλομένω τε πάντα δι' ἑαυτῶν πράττεσθαι καὶ πάντων ὀνομαστοτάτω γενέσθαι. Ea parte sententiae, quae a βουλομένω incipit, explicatur, quae fuerit illorum virorum φιλοτιμία. Nullus ergo particulae τε locus est.

24. Alcibiades ὑπὸ πολλῶν καὶ σεμνῶν γυναικῶν θηρώμενος, διὰ δύναμιν δὲ .... διαθρυπτόμενος, ὑπὸ δὲ τοῦ δήμου τιμώμενος, καὶ ῥᾳδίως πρωτεύων, ὥςπερ οἱ ἀθληταὶ ῥᾳδίως πρωτεύοντες ἀμελοῦσι τῆς ἀσκήσεως, οὕτω κἀκεῖνος ἠμέλησεν ἑαυτοῦ. Verba καὶ ῥᾳδίως πρωτεύων eiicienda esse mihi constat: nam non solum ingrata repetitio est ῥᾳδίως πρωτεύων — ῥᾳδίως πρωτεύοντες, sed etiam, illis verbis locum suum retinentibus, sententiae compositio, quam sibi scriptor proposuit, pessumdatur. Quod enim de athletis duobus vocabulis ῥᾳδίως πρωτεύοντες significatur, id, ubi de Alcibiade sermo est, magno verborum ambitu describitur. Quem enim nobiles mulieres petunt, cui cives sociique blandiuntur, qui apud populum est in honore, is ῥᾳδίως πρωτεύει.

27. „Si cuius filius" scriptor ait „dum aliquo viro amico utebatur, probus fuit, postea autem, cum alio contracta familiaritate, nequam factus est, utrum pater priorem illum amicum in culpa esse dicet, an ὅσῳ ἂν παρὰ τῷ ὑστέρῳ χείρων

φαίνηται, τοσούτῳ μᾶλλον ἐπαινεῖ τὸν πρότερον;" Haud dubie deest participium *γενόμενος*, idque post *φαίνηται* inserendum.

43. *ἐὰν δὲ μὴ τὸ πλῆθος, ἀλλ' ὥςπερ ὅπου ὀλιγαρχία ἐστίν, ὀλίγοι συνελθόντες γράψωσιν ὅ, τι χρὴ ποιεῖν, ταῦτα τί ἐστι;* Verba *ὥςπερ ὅπου ὀλιγαρχία ἐστίν* e margine in textum venisse opinor; nimis enim absurde hic posita est coniunctio *ὥςπερ*.

48. *ἀλλὰ Κρίτων τε Σωκράτους ὁμιλητὴς ἦν καὶ Χαιρεφῶν καὶ Χαιρεκράτης καὶ Ἑρμογένης καὶ Σιμίας καὶ Κέβης καὶ Φαιδώνδης καὶ ἄλλοι οἳ ἐκείνῳ συνῆσαν, οὐχ ἵνα κτέ.* Pronomen relativum ineptum in modum sententiam perturbat: prorsus enim idem est *ὁμιλητὴν εἶναι* et *συνεῖναι*. Quapropter pro *ἄλλοι οἳ* legendum est *ἄλλοι δέ*.

53. *τῆς ψυχῆς ἐξελθούσης — τὸ σῶμα τοῦ οἰκειοτάτου ἀνθρώπου τὴν ταχίστην ἐξενεγκόντες ἀφανίζουσιν.* Risum movet istud *ἀνθρώπου*: quis enim unquam *ὁ οἰκειότατος ἄνθρωπος* dixit pro simplici *ὁ οἰκειότατος*, vel *οἱ συγγενεῖς ἄνθρωποι* pro *οἱ συγγενεῖς*? Accedit, quod sententia, quam citavi, subiecto caret: non enim id e praecedentibus peti potest. Quantocius ergo pro *ἀνθρώπου* scribe *ἄνθρωποι*.

Nihili est, quod § 63 legitur *πολέμου κακῶς συμβάντος*, corrigendumque *ἀποβάντος*, nam si belli *exitus* tristis fuit, omnes odisse eum solent, qui belli auctor exstitit.

Caput III, 1. *Ὡς δὲ δὴ καὶ ὠφελεῖν ἐδόκει μοι τοὺς ξυνόντας, τὰ μὲν . . . ., τὰ δὲ . . . ., τούτων δὴ γράψω ὁπόσα ἂν διαμνημονεύσω.* Sententiae structura tum demum apta et concinna erit, si pro primo vocabulo *ὡς* legemus *οἷς*: eo enim pronomen demonstrativum *τούτων* erit referendum.

6. *ὃ τοῖς πλείστοις ἐργωδέστατόν ἐστιν, ὥςτε φυλάξασθαι τὸ ὑπὲρ τὸν καιρὸν ἐμπίμπλασθαι.* Particula *ὥςτε* quin vitiosa sit non dubito, neque tamen veram lectionem reperire potui.

7. *τὸν δὲ Ὀδυσσέα Ἑρμοῦ τε ὑποθημοσύνῃ καὶ αὐτὸν ἐγκρατῆ ὄντα καὶ ἀποσχόμενον τὸ ὑπὲρ τὸν καιρὸν τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι,*

διὰ ταῦτα οὐ γενέσθαι ὄν. Primum cum Stephano pro τὸ legendum est τοῦ; deinde vitium eximendum, quod frequentissimum est apud omnes scriptores. Participium enim ὄντα a participio ἀποσχόμενον pendet, vel, ut grammaticorum sermone utar, non cum eo coordinatum, sed ei subordinatum est: duae rationes afferuntur, quare Ulysses abstineret τοῦ — ἅπτεσθαι, quarum altera dativo „causae", altera participio significatur; abstinebat enim et propter Mercurii consilia, et quia ipse continens erat. Itaque delendum καὶ ante ἀποσχόμενον.

13. τοῦτο τὸ θηρίον, ὃ καλοῦσι καλὸν καὶ ὡραῖον, τοσούτῳ δεινότερόν ἐστι τῶν φαλαγγίων, ὅσῳ ἐκεῖνα μὲν ἁψάμενα, τοῦτο δὲ οὐδὲ ἁπτόμενον, ἐὰν δέ τις αὐτὸ θεᾶται, ἐνίησί τι κτέ. Insulsus admodum fuit, qui primus explicandi gratia participio ἁπτόμενον annotationem adiecit ἐὰν δέ τις αὐτὸ θεᾶται μόνον, sed insulsior etiam, qui eam in textum recepit. Quasi vero ea res non possit lectoris ingenio permitti! Quae deinde hac §° sequuntur optime a Schenklio sunt emendata.

Caput IV, 18. τὸ θεῖον — τοσοῦτον καὶ τοιοῦτόν ἐστιν, ὥστε ἅμα πάντα ὁρᾶν καὶ πάντα ἀκούειν καὶ πανταχοῦ παρεῖναι καὶ ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι αὐτό. Nullo modo ferendum est pronomen αὐτό in fine huius loci positum: non enim ita explicari potest, ut sit: „ipsum sine ope aliena", quod addere opus non erat, quia iam in praecedenti πανταχοῦ παρεῖναι inest.

Caput V, 3. εἴ γε μηδὲ δοῦλον ἀκρατῆ δεξαίμεθα ἄν, πῶς οὐκ ἄξιον αὐτόν γε φυλάξασθαι τοιοῦτον γενέσθαι. Ut absit soloecismus, ante φυλάξασθαι pronomen τινα inserendum videtur.

Caput VI, 8. ἃ οὐ μόνον ἐν χρείᾳ ὄντα εὐφραίνει ἀλλὰ καὶ ἐλπίδας παρέχοντα ὠφελήσειν ἀεί. Iam saepius, nisi memoria me fallit, coniectura proposita est, legendum esse παρέχει, eaque mihi coniectura verissima videtur. Nam qua ratione participium παρέχοντα vel explicari vel defendi possit, equidem non video.

Ib. *οἱ μὲν οἰόμενοι μηδὲν εὖ πράττειν οὐκ εὐφραίνονται.* Necessario infinitivus *futuri* *πράξειν* requiritur; sententia enim est: qui putant, se nullas e labore opes *percepturos esse*, nullo, dum artem suam exercent, fruuntur gaudio. Veram meam coniecturam esse apparet e sequentibus: opponuntur enim homines, qui credunt, agriculturam aliamve artem sibi bene procedere; ii autem *ὡς εὖ πράττοντες εὐφραίνονται*, i. e. *ὡς ἤδη εὖ πράττοντες.*

13. *σοφιστὰς ὥςπερ πόρνους ἀποκαλοῦμεν.* Absurde haec esse mihi constat, sed probabilem coniecturam non repperi.

Caput VII, 3. *ἆρ' οὐκ ἄν, εἰ μὲν ἐπιθυμῶν .... μὴ δύναιτο πείθειν, ταύτῃ λυπηρόν κτέ.* Satis mihi placet Heindorfii coniectura *τοῦτ' εἴη λυπηρόν.* Certe, quod nunc legitur, *ταύτῃ* corruptum est.

5. *πολὺ δὲ μέγιστον (ἀπατεῶνα ἐκάλει) ὅστις μηδενὸς ἄξιος ὢν ἐξηπατήκει πείθων ὡς ἱκανὸς εἴη τῆς πόλεως ἡγεῖσθαι.* Plusquamperfectum *ἐξηπατήκει* vix concoquo (opponitur enim in praecedentibus optativus imperfecti *ἀποστεροίη*), neque tamen, quid Xenophon scripserit indagare potui.

LIBER II.

Caput I, 3. *τὸ μαθεῖν εἴ τι ἐπιτήδειόν ἐστι μάθημα πρὸς τὸ κρατεῖν τῶν ἀντιπάλων ποτέρῳ ἂν προςεῖναι μᾶλλον πρέποι.* Nullam causam video, quin et hic legatur *προςθεῖναι*, quod verbum in praecedentibus tam frequens est. Nam quod nunc Socrates rogat, non minus absurdum est, quam si rogaret: „utrum sapientem an stultum decet doctum peritumque esse?"

7. *ἐπειδὴ καὶ τούτων ἑκατέρου τοῦ φύλου τὴν τάξιν οἶσθα κτέ.* Eximenda videtur particula *καί*: nihil enim est, quod pro-

nomini τούτων opponatur, neque ergo illud cum emphasi enuntiandum est.

13. Dixerat Aristippus: „nulli civitati me adscribi patior, sed ubique hospes sum". Respondet Socrates τοῦτο μέντοι ἤδη λέγεις δεινὸν πάλαισμα, τοὺς γὰρ ξένους ἐξ οὗ ὅ τε Σίνις καὶ ὁ Σκείρων καὶ ὁ Προκρούστης ἀπέθανον οὐδεὶς ἔτι ἀδικεῖ. Tum sic fere pergit: „cives, quamquam moenibus, armis, legibus defenduntur, non possunt pericula a se propulsare; tu vero qui, quum ubique hospes sis, nulla huiuscemodi propugnacula habeas, et in quavis urbe civibus sis inferior, tamen speras te nullas accepturum iniurias?" Mireris ergo ab eo praemitti istud τοὺς γὰρ ξένους — οὐδεὶς ἀδικεῖ, quum praesertim ad pericula, quae Aristippo, quum hospes sit, subeunda sint, et hoc referat „quod tantum temporis degat in viis, ubi tam multi iniuriam accipiant." Non credo tam sibi obloquentem a Xenophonte induci Socratem, nam lenissima emendatione quod nunc in eius verbis est vitium tolli potest. Transpositione enim opus est, ita ut sententia τοὺς γὰρ ξένους — οὐδεὶς ἔτι ἀδικεῖ Aristippo tribuatur, statimque post verba ξένος πανταχοῦ εἰμί sequatur: ita demum, ut opinor, responsum nascetur homine paulo leviori, qualis Aristippus fuit, dignissimum, et Socrates παύσεται φλυαρῶν, amicique iocum admodum scurrilem, qua par est, severitate exagitabit. Deinde et ἀλλὰ νῦν in νῦν γάρ mutandum erit: semel turbato sententiarum ordine, illud quoque vitium accessisse facile est ad intelligendum.

22. ὥστε ἐρυθροτέραν τοῦ ὄντος δοκεῖν φαίνεσθαι. Verba δοκεῖν et φαίνεσθαι ita inter se iuncta ferri non possunt, sed alterutrum delendum est.

24. Voluptates, quas Herculi sit praebitura, ita ἡ Κακία enumerare incipit: σκοπούμενος διοίσει τί ἂν κεχαρισμένον ἢ σιτίον ἢ ποτὸν εὕροις κτέ. Verbum διοίσει multas criticis inter-

pretibusque exhibuit molestias: equidem, nisi paulo arrogantius id esset, certo me scire dicerem, quid sit legendum. Scripsit enim Xenophon, ut opinor, διάξεις: semper considerabis, nullam praeter hanc per totam vitam curam habebis. E magno locorum numero hunc Cyropaediae conferas: ἡ ψυχή μου σκοποῦσα διῆγεν (L. V. c. 4, 35).

Caput II, 8. σὺ δὲ πόσα οἴει ταύτῃ (τῇ μητρί) δυςάνεκτα καὶ τῇ φωνῇ καὶ τοῖς ἔργοις ἐκ παιδίου δυσκολαίνων καὶ ἡμέρας καὶ νυκτὸς πράγματα παρασχεῖν; Admodum contorta est huius sententiae structura, risumque movet istud ἐκ παιδίου δυσκολαίνειν. Eiecto participio δυσκολαίνων, quod credibile est explicandi gratia in margine scriptum fuisse, omnia recte et ordine procedent.

Caput III, 17. κινδυνεύσεις ἐπιδεῖξαι σὺ μὲν χρηστὸς εἶναι, ἐκεῖνος δὲ φαῦλος. Non possum mihi persuadere hoc bene Graecum esse; post verbum ἐπιδεῖξαι non infinitivus ponendus erat, sed participium ὤν; deinde eiusmodi sententia est, ut pro aoristo ἐπιδεῖξαι perfectum exspectes potius: credo ergo illud ἐπιδεῖξαι non Xenophonti deberi, sed alicui grammatico. Verbi κινδυνεύειν usus quamquam nemini ignotus esse potest, tamen unum e Platone locum citabo, quia nostro tam similis est: Symp. p. 174 C: κινδυνεύσω καὶ ἐγὼ οὐχ ὡς σὺ λέγεις, ὦ Σώκρατες, ἀλλὰ κατὰ Ὅμηρον φαῦλος ὢν ἐπὶ σοφοῦ ἀνδρὸς ἰέναι θοίνην ἄκλητος.

Caput IV. Bis §o 2, semel §o 4 eiicienda sunt verba ὁρᾶν ἔφη, quo facto paulo minus taedii movebit huiusce capitis oratio.

4. ἔτι δὲ τοὺς πολλοὺς τῶν μὲν ἄλλων κτημάτων .... τὸ πλῆθος εἰδότας, τῶν δὲ φίλων — οὐ μόνον τὸ πλῆθος ἀγνοοῦντας, ἀλλὰ καὶ — καταλέγειν ἐγχειρήσαντας, οὓς ἐν τοῖς φίλοις ἔθεσαν πάλιν τούτους ἀνατίθεσθαι. Ne Graecum quidem hoc est; legendum ἀνατιθεμένους, quia non minus cum ὁρᾶν ἔφη coniungen-

dum est hoc verbum, quam praecedentia εἰδότας et ἀγνοοῦντας. Librarii et grammatici non concoquere potuisse videntur participium a participio pendens.

6. Verbum συνεπισχύειν sensu activo hic positum argumentis adnumerandum est, quibus hoc caput a Xenophonte scriptum non esse appareat.

Caput V, 3. Utrum interpolatori an librario tribuendum sit istud πρὸ πάντων χρημάτων πριαίμην ἂν haud facile dicas. Ipse Xenophon aut praepositionem πρό omisisset, aut alio verbo (e. gr. εὔχεσθαι) usus esset.

Caput VI, 4. Soloecum est εἰ δέ τις τούτων μὲν μηδὲν ἔχοι, εὖ δὲ πάσχων ἀνέχεται. Lege ἔχει. Idem vitium recurrit § 14, sed ibi minus etiam ferendum est. Legitur enim: δοκεῖς μοι λέγειν ὡς, εἰ μέλλοιμεν ἀγαθόν τινα κτήσεσθαι φίλον, αὐτοὺς ἡμᾶς ἀγαθοὺς δεῖ γενέσθαι, pro εἰ μέλλομεν.

25. εἰ δέ τις .... ἄρξας ἀγαθόν τι ποιεῖν τὴν πατρίδα πειρᾶται. Ne quis in participio ἄρξας (cuius sensus est: postquam imperio potitus est) haereat, hunc e Lysia (XIV, 36) locum adscribam: ἐπειδὴ πολλῶν ἦρξε τριήρων.

27. πολὺ δὲ κρεῖττον τοὺς βελτίστους ἐλάττονας ὄντας εὖ ποιεῖν ἢ τοὺς χείρονας πλείονας ὄντας. Multo rectius hoc dictum esset, si pro ἐλάττονας legeretur ὀλίγους vel ἐλαχίστους. Sed hoc quidem Xenophontis vitium videtur; aliud his verbis inest, quod ei imputare vereor. Ex paucitate enim proborum amicorum non apparet *melius* esse, illos afficere beneficiis, quam improbos, sed *facilius* esse. Legendum ergo censeo ῥᾷον, quod facile in ρειτον abire potuit, idque librarius aliquis suo Marte correxit scilicet.

28. ὥρμημαι ἐπὶ τὸ φιλῶν τε αὐτοὺς ἀντιφιλεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν καὶ ποθῶν ἀντιποθεῖσθαι καὶ ἐπιθυμῶν ξυνεῖναι καὶ ἀντεπιθυμεῖσθαι τῆς ξυνουσίας. Quid dicere velit Socrates eius culpa obscurum factum est, qui ante ἀντεπιθυμεῖσθαι inseruit particulam καί.

Sententia enim est: vehementer operam dare soleo ut, si cuius familiaritate uti cupiam, ab illo et mea expetatur familiaritas. Ne cui autem molestiam pariat verbum impersonale *ἀντεπιθυμεῖσθαι* post personale *ἐπιθυμῶν*, eandem et alibi observet varietatem. Legitur, ut hoc exemplo utar, II, 1, 8: *καὶ ἑαυτῷ μὲν πολλὰ ἐλλείπειν — τῆς δὲ πόλεως προεστῶτα, ἐὰν μὴ πάντα ὅσα ἡ πόλις βούλεται καταπράττῃ, τούτου δίκην ὑπέχειν, τοῦτο πῶς οὐ πολλὴ ἀφροσύνη ἐστί;*

36. *ἔφη γὰρ* (Aspasia) *τὰς ἀγαθὰς προμνηστρίας μετὰ μὲν ἀληθείας τὰ ἀγαθὰ διαγγελλούσας δεινὰς εἶναι συνάγειν ἀνθρώπους εἰς κηδείαν, ψευδομένας δὲ οὐκ ἐπαινεῖν.* Bonae *προμνηστρίαι* non *ψεύδονται*; illas autem bonas esse, quae veritate utuntur, etiam nullo adiectivo addito, satis apparet. Delendum ergo videtur *ἀγαθάς*.

Caput VII, 2. *οὐδὲ δανείσασθαι οὐδαμόθεν ἔστιν ἀργύριον, ἀλλὰ πρότερον ἄν τίς μοι δοκεῖ ἐν τῇ ὁδῷ ζητῶν εὑρεῖν ἢ δανειζόμενος λαβεῖν.* Verbum *δανείζεσθαι* facile obiecto *ἀργύριον* carere potest, verba *ζητεῖν* et *εὑρίσκειν* sine obiecto posita sensu cassa sunt. Quapropter substantivum *ἀργύριον* post *ὁδῷ* ponendum erit. Conferatur quod legitur § 11 huius capitis: *πρόςθεν μὲν οὐ προςιέμην δανείσασθαι, εἰδὼς ὅτι ὃ ἂν λάβω οὐχ ἕξω ἀποδοῦναι,* et c. VIII § 1: *ἄλλως τε καὶ μηδὲν ἔχοντα ἐφ' ᾧ ἂν δανειζοίμην.*

Caput VII, 5. De nonnullis rebus a Socrate interrogatus, utilesne essent, respondit Aristarchus *σφόδρα γε* et *μάλιστά γε.* Rogare pergit Socrates: *τί γάρ; ἱμάτιά τε ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα καὶ χιτωνίσκοι καὶ χλαμύδες καὶ ἐξωμίδες;* Respondet Aristarchus: *σφόδρα γε, καὶ πάντα ταῦτα χρήσιμα.* Frigere hoc responsum quicunque aures consuluerit mihi lubenter concedet. Languidum enim est, quum responderis usitatissima formula *πάνυ γε* vel *σφόδρα γε,* novam addere sententiam eamque illi coniunctione *καί* annectere. Sed facillime huic loco pristinus nitor restitui potest: dempta enim virgula, transponantur

vocabula *πάντα* et *ταῦτα*; ita enim e duabus sententiis una fiet, respondebitque Aristarchus: *σφόδρα γε καὶ ταῦτα πάντα χρήσιμα*: utilissima et illa sunt omnia.

Caput VIII, 3. *προςελθόντα τῳ τῶν πλείονα χρήματα ἐχόντων, τῷ δεομένῳ τοῦ συνεπιμελησομένου .... ὠφελοῦντα ἀντωφελεῖσθαι.* Haud dubie articulus *τῷ* delendus est, nam non de certo quodam homine sermo est, verum de tempore, quo homines divites adeundi sunt, iisque auxilium est ferendum.

6. *καὶ τῶν μὲν πραγμάτων ὅσα μὲν δύνασαι ποιεῖν ὑπομένειν, ὅσα δὲ μὴ δύνασαι φυλάττεσθαι.* Absurda haec sunt. Transponantur verba *ποιεῖν* et *ὑπομένειν*: non enim labor, quem facere possis, sustinendus est, verum faciendus quem possis sustinere. Frequenter hoc confusionis vitium in Memorabilibus occurrere Schenklius quoque observavit.

Caput IX, 6. *οὐκ ἀπηλλάττετο ἕως τὸν Κρίτωνα ἀφῆκε.* Haud iuutile, ut opinor, erit duplicem coniunctionis *ἕως* praecedente negatione structuram indicare. Eandem, quam hic, reperies III, 11, 14: *εἰ τοῖς κεκορεσμένοις μήτε προςφέροις μήτε ὑπομιμνήσκοις, ἕως ἂν τῆς πλησμονῆς παυσάμενοι πάλιν δέωνται.* Sed contrariam e. gr. Plato Rep. I: *οὐκ ἀποκνητέον — ἕως ἄν σε ὑπολαμβάνω λέγειν ἅπερ διανοεῖ.*

8. *καὶ οὐχ ὅτι μόνος ὁ Κρίτων ἐν ἡσυχίᾳ ἦν.* Rectissime Ernestus *ὅτι* expellendum esse iudicavit.

LIBER III.

Caput I, 8. Comparavit Socrates exercitum bene instructum cum domo recte et ex artis legibus aedificata. Tum iuvenis, quocum colloquitur: *ἀλλὰ πάνυ ὅμοιον, ὦ Σώκρατες*

εἴρηκας. Post ὅμοιον inserendum videtur pronomen τοῦτο; sententia enim est: rectissima est *ista tua* comparatio.

Caput II, 2. „Quid est" inquit Socrates „quod Homerus Agamemnonem tam laudaverit eum appellans: ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής? An forte ideo, ὅτι αἰχμητὴς κρατερὸς ἂν εἴη, οὐκ εἰ μόνος αὐτὸς εὖ ἀγωνίζοιτο πρὸς τοὺς πολεμίους κτἑ". Necessario addendum pronomen impersonale τις (οὐκ εἴ τις μόνος αὐτός). Non enim iam de solo Agamemnone sermo est.

Caput III, 11. ὅσα νόμῳ μεμαθήκαμεν. Quid sit νόμῳ μανθάνειν obscurissimum mihi est. Nullis enim, ut opinor, Athenienses tenebantur et vexabantur legibus de institutione publica.

Caput IV, 2. Indignantem Nicomachidem, quod non ipse sed adversarius Antisthenes στρατηγός creatus sit, Socrates et alia et hoc rogat: nonne Antisthenes, quotiescunque ἐχορήγει victoriam reportavit? Respondet: Μὰ Δία, ἀλλὰ οὐδὲν ὅμοιόν ἐστι χοροῦ τε καὶ στρατεύματος προεστάναι. Ex altera responsi parte, ut opinor, apparet, concedere Nicomachidem, illas ab Antisthene victorias reportatas esse. Legendum ergo, non Μὰ Δία, verum Νὴ Δία. Saepius haec inter se permutantur in codicibus.

Caput VI, 4. „Dic mihi Glauco!" Socrates inquit „a qua re initium facturus sis beneficiis afficiendi Rempublicam". ἐπεὶ δὲ διεσιώπησεν ὁ Γλαύκων, ὡς ἂν τότε σκοπῶν ὁπόθεν ἄρχοιτο κτἑ. Supra (p. 141) iam dixi, suspectum mihi esse ὡς ἂν apud Xenophontem. Deinde et hoc vitium verbis citatis inest, quod excidit vocabulum, quo minime carere possumus. Requiritur enim: quippe qui *tum primum* de ea re cogitare coepisset. Ergo particulae ἂν loco adverbium temporis πρῶτον ponendum erit. Fortasse pro eo in vetusto codice litera α scripta erat.

Ineptissimum grammatici additamentum deprehendimus § 13, ubi nunc legitur: ἀλλ' ἐκείνου γέ τοι οἶδα ὅτι οὐκ ἠμέλη-

κας (ἀλλὰ ἔσκεψαι). Quantocius verba inclusa expungenda sunt.

16. „Nonne vides" Socrates Glauconem rogat „quam sit periculosum τὸ ἃ μὴ οἶδέ τις ταῦτα ἢ λέγειν ἢ πράττειν; ἐνθυμοῦ δὲ καὶ τῶν ἄλλων, ὅσους οἶσθα τοιούτους, οἷοι φαίνονται καὶ λέγοντες ἃ μὴ ἴσασι καὶ πράττοντες". Non possum credere ipsum Xenophontem istud οἷοι — πράττοντες addidisse: multo enim elegantius illorum verborum sententia simplici vocabulo τοιούτους significatur.

Caput X, 4. Cum Parrhasio pictore disputans de imitandis animi affectibus, Socrates et alia et haec rogat: ἐπὶ δὲ τοῖς τῶν φίλων ἀγαθοῖς καὶ τοῖς κακοῖς ὁμοίως σοι δοκοῦσιν ἔχειν τὰ πρόσωπα, οἵ τε φροντίζοντες καὶ οἱ μή. Ultima verba οἵ τε φρ. κ. οἱ μή addita videntur ab eo, qui non intelligeret, sententiae subiectum esse οἱ ἄνθρωποι, quod facillime e praecedenti ἀνθρώπῳ sumi potest. Namque isto additamento interrogationem corrumpi, facile e Parrhasii apparet responso: Μὰ Δία, οὐ δῆτα· ἐπὶ μὲν γὰρ τοῖς ἀγαθοῖς φαιδροί, ἐπὶ δὲ τοῖς κακοῖς σκυθρωποὶ γίγνονται: neutrum enim horum τῶν μὴ φροντιζόντων est.

Caput XI, 1. Pudoris aliquid se Theodotae tribuere arbitratus est, qui primus scripsit eam ἐπιδεικνύναι (sc. pictoribus) ἑαυτῆς ὅσα καλῶς ἔχοι, sed in ea re a scopo aberravit. Non enim illud significat: „monstrabat quantum decebat", sed „quantum satis erat". Legendum videtur ὅσα καλὰ ἔχοι „quaecunque haberent pulchritudinis commendationem": sic enim recte pravam lectionem vertit Hindenburgius.

4. ὁρῶν αὐτήν τε πολυτελῶς κεκοσμημένην καὶ μητέρα παροῦσαν αὐτῇ κτέ. Aut ante μητέρα inserendus est articulus τήν, aut ipsum illud μητέρα corruptum est.

7. Certe hic locus articulo carere non potest: οὐχ ὁρᾷς ὅτι καὶ τὸ μικροῦ ἄξιον τοὺς λαγῶς θηρῶντες κτέ. Obtemperatum oportuit Heindorfio corrigenti οἱ καὶ τὸ μ. ἄξ.

Caput XII, 7. εἰκὸς δὲ μᾶλλον πρὸς τὰ ἐναντία τῶν διὰ τὴν καχεξίαν γιγνομένων καὶ τὴν εὐεξίαν χρήσιμον εἶναι. Non con-

coquo istud *καὶ*, quod tum demum recte positum esset, si eiusmodi sententia esset, ut pro *εὐεξίαν* legeretur *καχεξίαν*: conferri enim posset notissimum illud *ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται.*

8. Epigenem corporis sui nullam curam habentem neque exercitationibus gymnasticis operam dantem et aliis verbis reprehendit Socrates, et hisce: *αἰσχρὸν δὲ καὶ τὸ διὰ τὴν ἀμέλειαν γηρᾶσαι πρὶν ἰδεῖν ἑαυτὸν ποῖος ἂν κάλλιστος καὶ κράτιστος τῷ σώματι γένοιτο.* Una litera deleta restitui potest quod mihi Xenophon voluisse videtur. Requiritur enim: priusquam se ipsum viderit ea praeditum corporis forma, quae sit praestantissima, ad quam strenuis exercitationibus possit pervenire. Legendum ergo *οἷος* est pro *ποῖος*; nam *οἷος ἂν κάλλιστος γένοιτο* fere idem est, quod *αὐτὸν αὐτοῦ κάλλιστον.*

Caput XIII, 6. Amicum querentem de itineris, quod perfecerit, molestiis Socrates rogat, an et onus portaverit. Respondet ille: *μὰ Δία οὐκ ἔγωγε, ἀλλὰ τὸ ἱμάτιον.* Quidni cum Weiskio scribamus: *ἀλλ' ἢ τὸ ἱμάτιον*?

Caput XIV, 1. „Quum ad coenam" Xenophon narrat „alii multum, alii paululum obsonii afferrent, Socrates servum suum iubere solebat paululum illud aut in medio ponere, aut inter convivas distribuere. Qui ergo multum attulerant *ᾐσχύνοντο τό τε μὴ κοινωνεῖν τοῦ εἰς τὸ κοινὸν τιθεμένου καὶ τὸ μὴ ἀντιτιθέναι τὸ ἑαυτῶν*". Haud dubito, quin legendum sit *τὸ κοινωνεῖν τε τοῦ εἰς τ. κ. τ. καὶ μὴ ἀντιτιθέναι τ. ἑ.*, atque idem fere coniecisse „Leisnerum apud Ernestum" docet me Schneiderus a. h. l.

LIBER IV.

Caput II. Audito Euthydemum magnam librorum copiam collegisse atque ideo putare sibi magistro opus non esse,

quin etiam anxie cavere, ne cuiusquam disciplina uti videretur, Socrates cum amicis suis eodem, quo ille, convenire solebat, ibique cum iis eiusmodi colloquia instituere, e quibus discere Euthydemus posset, stultam ridiculamque suam *αὐθάδειαν* esse, nihilque sibi Socratis familiaritate esse posse utilius. Quae illa colloquia fuerint exponitur §§ 2—7. Tum § 8 ita narrare pergit Xenophon: *κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν ἀ κ ο ύ ο ν τ ο ς Εὐθυδήμου τοιούτους λόγους ἔλεγε Σωκράτης.* Sicine vero? Quo modo ergo postea locutus est Socrates? Utrum absente Euthydemo, an submissa voce, ne ille quidquam audire posset? Neutrum horum, ut opinor. Sequitur enim: *ὡς δὲ ᾔσθετο αὐτὸν ἑτοιμότερον ὑπομένοντα, ὅτε διαλέγοιτο, καὶ προθυμότερον ἀκούοντα.* An tam inepte scribere solebat Xenophon, ut inter se opponeret verbum *ἀκούειν*, nullo addito adverbio, et *προθυμότερον ἀκούειν*? Ne hoc quidem probabile videtur. Restat ergo, ut *ἀκούοντος* corruptum esse censeamus, neque quid Xenophon scripserit diu est quaerendum. Legendum enim est *ἄκοντος*, quod et toti narrationi egregie convenit, et aptissime opponitur verbis sequentibus *ἑτοιμότερον ὑπομένοντα* et *προθυμότερον ἀκούοντα.* Conferantur praeterea haec verba e narratione de Glaucone a Socrate confutato (III, 6, 2 sq.): *πρῶτον μὲν ἐς τὸ ἐθελῆσαι ἀκούειν, τοιάδε λέξας, κατέσχεν* et *ταῦτα οὖν ἀκούων ὁ Γλαύκων ἐμεγαλύνετο καὶ ἡδέως παρέμενε.*

Caput IV, 12 sq. Cum Hippia disputans Socrates dicit *τὸ νόμιμον δίκαιον εἶναι.* Rogat Hippias *ἆρα τὸ αὐτὸ λέγεις νόμιμόν τε καὶ δίκαιον εἶναι*, et *ἔγωγε* respondet Socrates. Tum Hippias: *οὐ γὰρ αἰσθάνομαί σου ὁποῖον νόμιμον ἢ ποῖον δίκαιον λέγεις.* Recte procedet disputatio, si pro *οὐ γὰρ αἰσθάνομαι* scriptum erit *οὐκ ἄρ' αἰσθάνομαι.*

Atque haec quidem hactenus.

CAPUT SEPTIMUM.

De Xenophontis Oeconomico.

Quicumque a se impetrare potuit, ut disputationem meam de Memorabilium fatis perlegeret, facile perspiciet, quare mihi illorum virorum doctorum sententia minime probetur, qui Oeconomicum contendunt olim Memorabilium librum quintum fuisse. Nam si cum aliqua vel minima probabilitate demonstravi, non uno eodemque tempore Memorabilia in lucem prodiisse, sed satis longis intervallis Xenophontem, quotiescunque oblata esset occasio, colloquiorum a magistro suo habitorum collectiones haud ita magnas evulgasse, hoc si non nimis inepte et absurde demonstravi, ne illud quidem constat, ipsum scriptorem tandem aliquando omnia illa colloquia collegisse, ordinasse, disposuisse, in lucem edenda curasse, id est eius libri exstitisse auctorem, qui, adiectis nonnullis interpolatorum ineptiis et turbato hic illic pristino ordine, Memorabilium nomine ad nos pervenit. Qua de re si vel levissima restet dubitatio, absurdum profecto sit credere, aliquem Xenophontis librum ad illud corpus referendum esse, a quo componendo ipse Xenophon fuerit alienus. Nolo tamen, quo melius procedat disputatio, quidquam ipse meae

tribuere sententiae; non hoc mihi sumam, recte me de Memorabilium fatis iudicasse: quod si facerem nulla iam restaret disputandi materia, sed profligata esset et ad exitum perducta haec de Oeconomico controversia. Non ita rem agere audeo ut, si unum recte demonstrarim, totam causam vicisse censendus sim, si in una re errarim victus refutatusque abeam: lubenter illam demonstrandi rationem summis suaeque sibi consciis doctrinae viris relinquo; ipse, qui quidquid scribam coniiciamque ne in turpem errorem incidam nunquam non verear, meo iudicio meisque argumentis non tam confido, ut si plures mihi sententiae defendendae sint, eas ab uno quasi filo pendere patiar; cavebo potius, ne omnes simul concidant corruantque, operamque dabo ut, quamvis multa prave iudicarim, tamen paucissima quaedam eaque levissima restent, in quibus verum me vidisse aequi censores agnoscere possint.

Faciam ergo revera ipsum Xenophontem Memorabilia fere talia edidisse, qualia ad nos pervenerunt, id est, omissis illis ineptiis, quas interpolatores inseruerunt, suoque loco colloquiis quibusdam positis, quae nunc longe a pristina sede aberrant. Tantum tamen abest, ut hac re concessa Oeconomicum Memorabilium libris addendum esse censeam, ut hoc statuam: Xenophon si ipse illud Memorabilium corpus, quod cum nonnullis additamentis et turbato hic illic ordine ad nos pervenit, collegit edendumque curavit, liquido apparet, eum non solum Oeconomicum illi corpori non adiecisse, sed operam dedisse, ne unquam cum illo iungeretur, et eiusmodi in eo libello conscribendo habuisse consilium, ut nullo modo pati posset, adiectis aliis colloquiis librisve propriam eius naturam pessumdari et corrumpi, propriasque eius virtutes evanescere et obscurari. Quatuor argumenta sunt, quibus hoc me demonstrare posse credam:

I. Satis multi Memorabilium loci propter elegantiam orationisque nitorem haud exigua laude digni sunt, eosque sedulo indicavi addita nonnunquam causa, quare mihi tam placerent. Omnibus tamen illis Oeconomicus longe praestat: vivunt enim in eo libello spirantque omnia. Audire tibi videris ipsum Ischomachum uxorem suam lepide docentem, quae matrem familias discere oportet, ad curam rei familiaris habendam egregiis exemplis incitantem, leniter luxum nimiumque corporis ornatum ei obiicientem, vitae sobriae frugalisque et strenui laboris laudes apte prudenterque extollentem: vides virum sapientem laboriosumque de die operi rustico incumbentem, servos suos laudantem monentem reprehendentem, exemplo suo iis praeeuntem, quid faciendum quid vitandum sit sano et vere philosophico iudicio statuentem. Sed quid meis opus est verbis? Quaecumque ad Xenophontis Oeconomicum laudandum conferri possunt, ea omnia collegit elegantissimoque et lectu iucundissimo sermone exposuit Croisetus p. 164—184: ipsas ei Musas Gratiasque adfuisse dicas illud caput scribenti. Unum addo, cum Oeconomico nullum e Xenophonteis libris praeter Anabasin recte conferri posse: duo illi libri sunt, qui prae ceteris omnibus lectorem delectent et tamquam vinctum narrationis praestantia teneant. Quod autem Roquettius dicit (p. 75): „Oeconomicus non modo epilogo caret, sed etiam nulla fere arte compositus est; nam cum initio scriptor Socratem cum Critobulo disputantem fecerit, inde a septimo capite Socrates ipsius cum Ischomacho colloquium narrat, quod usque ad finem libri continuatur, neque quomodo discesserint commemoratur, neque Critobuli iam ratio habetur", verum id quidem est, sed poterat aliquanto lenius enuntiari. Nam aegre quidem et ipse fero, absoluta narratione de suo cum Ischomacho colloquio, Socratem se non denuo ad Critobulum

convertere atque ita finem imponere confabulationi, quam cum illo instituerat, sed non illud Xenophonti vitio vertere aequum censeo, quod illum epilogum omiserit, sed potius, quod iusto longius Socratis cum Critobulo disputationem protraxerit; illam enim brevissimam esse oportebat neque excedere mensuram proöemii ad narrationem de Ischomacho. Et quoniam verissima mihi sententia videtur praeclari Germanorum poetae philosophique, quo nemo rectius subtiliusque de arte eiusque legibus iudicavit, haud graviter illud esse scriptori imputandum vitium, quod semel vertendo stilo corrigi possit, Xenophonti quoque huiusce vitii veniam dandam esse existimo. Quod si quis censet, eo quoque nomine improbandum esse Oeconomicum, quod nimis laxo vinculo inter se cohaereant disputatio cum Critobulo et narratio de Ischomacho, illa quoque reprehensione Xenophontem liberabo filum quoddam demonstrationis indicando, quod, quamquam per totum librum percurrit neque admodum est obscurum, tamen non dubito quin multos lectores paulo negligentiores fugerit. Capite 3 § 6 Socrates significat, esse quoddam hominum genus, qui quum agriculturae se operam dare dicant, tamen ne tantum quidem ex agris suis percipiant, ut sibi parare possint, quae ad vitae usum sint necessaria. Rogat Critobulus quae sit istius rei causa. Non statim ad eam quaestionem respondet Socrates, sed post multas ambages capite demum 6 § 11 ad illos homines revertitur, et narratione de Ischomacho demonstrare conatur illorum inopiae miseriaeque nullam aliam quam ἀμέλειαν causam esse. Hoc inter se vinculo utramque libri partem cohaerere haud difficile cognitu est. Capite enim XV, § 3 ab Ischomacho petit Socrates, ut se ipsam agriculturae artem doceat, et cur illam discere velit his verbis significat: „haec enim fortasse facit, ut qui eam calleat dives fiat, qui eius sit imperitus inopia

prematur", in quibus omnis emphasis vocabulo „fortasse" tribuenda est: illo enim Socrates indicat, se diu frustra quaesivisse, cur agricultura alios opulentos, alios egenos redderet, et nunc demum sibi illam coniecturam in mentem venisse, agricolarum inopiam ex artis imperitia nasci. Tum ita de agriculturae arte disserit Ischomachus, ut dicat eam tam facilem tam parum reconditam esse, ut nemo, qui semel agricolam opus suum facientem viderit, vel secum accurate de ea deliberaverit, ullius partis possit esse ignarus. Qua re audita mirabundus rogat Socrates (XX, 1): „Si ergo nemo quomodo ager colendus sit ignorat, qui tandem, quaeso, fieri potest, ut alii agricolae omnibus rebus abundent, alii iis etiam careant, quae ad victum quotidianum requirantur?" Tum Ischomachus docet, non e peritia sed ex ἐπιμελείᾳ divitias nasci, non imperitiam sed ἀμέλειαν paupertatis causam esse.

Unum compositionis vitium in Oeconomico est, quod neque defendere neque occultare conabor. Illud tamen non Xenophonti verum temporis iniquitati imputandum videtur. Capite VI, 6 sq. ἀνακεφαλαίωσις quaedam τῶν ὡμολογημένων instituitur. Ibi id quoque inter Critobulum et Socratem iam convenisse narratur, quo indicio demonstrari possit, agriculturam utilissimam esse ad virtutem bellicam excitandam, sed nullum unquam hominem bonum fore militem, qui τέχνην βαναυσικήν exerceat: si quis enim hic considere agricolas, illic τοὺς τεχνίτας iuberet, et utrosque interrogaret essetne ager defendendus an intra moenia quaerenda salus, illud agricolas, hoc τεχνίτας praelaturos esse. Illius autem indicii, quod *antea* demonstratum esse significatur, (6 ἔφαμεν, 7 ᾠόμεθα) in praecedentibus ne vestigium quidem superest; neque licet φαμέν et οἰόμεθα scribere, nam statim sequitur ἐδοκιμάσαμεν, ἐδόκει multaque alia, quae quin ad disputationem ante habitam pertineant, non est dubium.

Elocutione quoque Oeconomicum haud leviter a Memorabilibus discrepare, nemo, qui ab alterius libri lectione recens ad alterum transeat, non sentit; nam sentiuntur eiusmodi differentiae, demonstrari vix possunt. Unum tamen afferre hic lubet, quod obiter quidem adspicienti leviusculum et contemnendum videri possit, accurate vero rem perpendentibus haud spernendi argumenti vim habere existimandum sit. Interrogatus Ischomachus iterum iterumque respondendi initium facit a verbis τί δέ, εἰ μή, eaque ergo formula saepius in Oeconomico recurrit: frustra eandem in ceteris Xenophontis libris quaeres. Noli tamen putare, mi Lector, nunc me ad statisticam artem confugere. Non enim ea verba quae citavi ex illorum sunt numero, quae aut necessario requirantur, aut prorsus nulla ratione adhiberi possint, qualia sunt μήν, γοῦν alia. Permultae sunt respondendi formulae, quarum vis prorsus eadem est, et e quibus scriptor igitur optionem facere potest pro suo arbitrio, vel potius pro indole hominum, quos loquentes inducit. Quod ergo Ischomachus Xenophonteus tam saepe istud τί δέ, εἰ μή in ore habet, in ea re, quamvis exigua nulliusque pretii nonnullis videatur, ea scriptoris virtus cernitur, quae quamquam omnibus bonis scriptoribus communis est, tamen prae ceteris in Lysia oratore laudatur: τὴν ἠθοποιΐαν dico. Si quis enim hominibus, quos loquentes inducit, verba praebere vult ipsorum moribus quam maxime accomodata, istiusmodi brevium formularum ei ante omnia est habenda ratio. Exemplo utar, quod ne pueris quidem ignotum est. Responsum „affirmativum", ut nunc loquimur, multis modis enuntiari potest. Idem est ναί, καὶ μάλα, πάνυ γε et multa alia sunt eiusdem generis. Quod autem Aristophanes in Pluto fabula probo homini, quem in scenam producit, semper tribuit formulam κομιδῇ μὲν οὖν, id non sine causa fecit, sed ideo eam elegit,

quod ceterae viri orationi maxime convenire videretur.

II. Totus Oeconomici liber dimidia parte Memorabilium non est brevior, idque eorum Memorabilium, quae nunc habemus, omni additamentorum genere aucta et amplificata; sola narratio de Ischomacho illum paginarum implet numerum, qui tertiam Memorabilium partem excedit. Iam supra vidimus, vel eo nomine credibile non esse, Memorabilia ad certum quendam hominem refutandum eiusque calumnias refellendas scripta editaque esse, quod liber quartus fere totus constaret ex colloquiis cum uno Euthydemo habitis: in libro enim tam certo consilio scripto grave illud videri debere neque ferendum dispositionis vitium. Demonstrare deinde conati sumus, non hoc sibi proposuisse Xenophontem, quum Memorabilia scriberet, sed colloquia quaedam aut ficta, aut revera a Socrate habita literis mandasse, eaque ita collegisse et ordinasse, ut pro argumento suum cuique locum assignaret, et quamquam nonnulla eorum sede sua mota sint, tamen facile etiamnunc pristini ordinis agnosci vestigia. Quis autem unquam vel scripsit vel legit librum, quo in unum colligerentur vel potius temere coniicerentur et permulta de variis argumentis brevia colloquia et unum ceterorum omnium dimidia parte longius, in qua non quidem de una tantum re ageretur, quod tamen per se absolutum esset et perfectum, et cum nullo breviorum illorum vel cohaereret vel apte iungi posset? Nam siquis rogat, quid tandem sit Oeconomici Xenophontei argumentum et consilium, breviter respondere ita possumus: Ischomachi exemplo Xenophon docet, ei qui rem suam familiarem bene administrare et dives fieri velit, duabus rebus opus esse, quarum altera facillime acquiratur, quippe quae sit posita *ἐν μέσῳ, τῷ βουλομένῳ λαμβάνειν*, altera illi tantum possit contingere, qui ceteris hominibus praestet. Qui enim bonus

velit fieri oeconomus, eum et ἐπιμέλειαν habere demonstrat necesse esse, et illam ei esse artem appetendam, quae rarissima sit in vita, id est artem homines sibi devinciendi.

III. Tertium argumentum, quare ego non credam, Oeconomicum olim fuisse Memorabilium partem, eiusmodi est, ut si omnibus philologis probaretur, ceteris facile carere possemus. Contendo enim nullam esse causam cur putemus, quinti libri loco Oeconomicum a Xenophonte Memorabilibus esse adiectum. Video quidem a multis prima Oeconomici verba ἤκουσα δὲ αὐτοῦ afferri, et mirum quantum particulae illi δέ tribui: contendunt enim nullum librum, qui non cum praecedenti aliquo cohaereat, in prima sententia eam particulam habere posse, sed quis, quaeso, credat tam tenui argumento magnas res confici posse: quis istiusmodi minutiis fretus de cuiusquam libri natura et indole iudicare audeat? Accedit quod hic particulae usus variis modis facile et explicari potest et defendi. Aut enim Roquettii argumento uti possumus, qui de hac re et alia prudenter docteque disputat, et hoc dicit: „Sed omnino eum" (Schenklium: huius enim sententiam Roquettius impugnat) „Oeconomici et Symposii prooemiis tantum auctoritatis tribuisse mirum est, qui omnium fere Memorabilium librorum prooemia adulterina et ab interpolatore addita esse existimat [1]). Nonne illorum quoque librorum prima verba, si non addi at retractari et mutari potuerunt a grammatico, qui Xenophontis dialogos Socraticos uno corpore lectos voluit?" Aut rem sic fere explicare licebit: Xenophon, postquam iam nonnullos dialogos Socraticos in lucem ediderat, quibus magistri sui memoriam renovaret, Oeconomici quoque et Convivii prooemium, quamquam horum librorum neutrum cum

1) atque hanc quidem Schenklii sententiam haud pauci, ut opinor, probabunt. Vide huiusce libri capitis V ultima verba.

illis iungendum esse censebat, et Oeconomici prorsus aliud ab illisque diversum erat consilium, tamen iis verbis composuit, ut videri possent ad idem scriptorum genus esse referendi, quod lectoribus iam notum probatumque esset. Verum ut libere quid sentiam proloquar: indigna mihi ista particula δέ videtur, quae diu nos moretur molestiasve nobis facessat.

IV. Gravissimum vero omnium illud argumentum est, quod iam multi attulerunt, quodque nemini ignotum esse possit, qui accurate Oeconomicum legerit, aut ex magna librorum, qui de Xenophonte scripti exstant, copia unum et alterum inspexerit. Loquitur quidem in Oeconomico Socrates, magnaque disputationis pars illi tribuitur, verum ea, quae docet non Socratica sunt, sed Xenophontea. Suam doctrinam, suamque peritiam magistro praebet Xenophon: de illis eum rebus inducit disputantem, in quibus ipse diu multumque est versatus, sed in quibus Socratem hospitem fuisse nemo ignorabat. Iam eo nomine vix illa Memorabilium capita (praesertim L. III, 5, 6) probare possumus, ubi Socrati illarum artium tribuitur notitia, in quibus ipse quidem Xenophon regnabat, sed quas Socrates neque callebat neque discere poterat. An tibiis canere ideo nesciebat Socrates, quod neque unquam ipse tibias possederat, neque quisquam ei suas commodaverat, hoplitarum peltastarumque usum perspiciebat, quamquam ipse nullo unquam functus erat imperio? Quid vero de Memorabilibus iudicandum esset, si totus quidem liber scriptus esset in Socratis honorem, tertia autem eius pars nihil contineret, quod non e Xenophontis magis quam e Socratis ingenio esset dictum demonstratumque?

Quod autem dicebam Xenophontis non Socratis sapientiam esse, quae Oeconomico traditur, id verum esse ita optime apparebit, si duas illius libri virtutes hic indicavero, quae

maximae sunt summoque artifice dignae, sed simul eiusmodi, ut adversarius paulo pertinacior illis argumentis uti possit, quibus meum plerorumque aliorum de Oeconomico iudicium callidius quam verius impugnet.

A. Altera est quod Socratem ita tamquam in scenam inducit, ut lector sibi ipsum Xenophontis magistrum disputantem audire videatur, et tum demum verum Oeconomici cognoscere possit consilium veramque naturam, quum secum accurate consideraverit, non quibus verbis, quibusque exemplis et argumentis utatur Socrates, verum de quibus rebus et de quibus artibus disserat. Semel tantummodo ab hoc proposito aberravit Xenophon et levem commisit errorem: Cyri enim *demortui* laudes praedicantem facit Socratem. Sed praeterea semper tam fideliter magistri sui repraesentat imaginem; tanto artificio praestantissimi viri ἦθος depingit, tam praeclaris ex ipsiusque disciplina desumptis sententiis observationibusque eum utentem fingit, ut ad optimos scriptores referre Xenophontem non dubites, doleasque fere eum quidquam praeter Anabasin Oeconomicumque scripsisse.

Sed iuvat insigniora quaedam huiusce rei afferre exempla:

1. Quae capite 7 § 42 leguntur ea iam supra laudavi (c. II huiusce libri), locum ex Convivio Xenophonteo (II, 9) attuli, et ex comparatione cum Platone probabile esse significavi, ipsum Xenophontis Platonisque magistrum saepe leni irrisione perstrinxisse illos viros, qui mulieres natu maiores, easque, quibus parum natura favisset, non semper ea, qua par esset, observantia revererentur, sed despicerent riderentque interdum, amicosque suos docuisse: „quod in hominibus pulchrum et honestum est, non corporis forma, sed mentis virtutibus alitur et augetur."

2. Lepidissimus locus est (XI, 3—5), ubi Socrates ipse convitia, quibus homines in ipsum utantur, commemorat,

deque sua paupertate queritur; suavissima vero omnium narratio est, qua exponit, qui factum sit, ut tandem aliquando confidere coeperit, fas esse et pauperem hominem, dummodo bona sit indole praeditus, probum honestumque fieri.

3. Quicunque in Platone non plane hospes est, scire potest Socratem verborum lusus non contempsisse, sed saepius iis usum esse ad colloquium illustrandum hominesque, quibuscum confabularetur, exhilarandos; novimus omnes non semper ex ea loquendi ratione admodum lepidos nasci iocos, sed interdum satis insulsos frigidosque. Duo in Oeconomico reperiuntur exempla eaque haud improbanda. Alterum est c. XVII, 8, ubi Socrates, audito verba *λεπτοτέρα γῆ* idem significare, quod *ἀσθενεστέρα γῆ* rogat: *εἰ δὲ ἡ ἀσθενεστέρα γῆ ἰσχυροτέρα γίγνεται, ἤν τις πλείονα καρπὸν αὐτῇ ἐμβάλῃ ὥσπερ τὰ ὑποζύγια, τοῦτο σύ με δίδασκε.*

4. Eiusdem generis est, quod legitur c. XX, 27. Ibi enim postquam Ischomachus narravit, patrem suum agrum aliquem magno interdum pretio vendidisse, sed semper ea pecunia usum esse, ut pro illo agros neglectos incultosque emeret, quos labore suo meliores redderet, itaque saepe haud parvum ex iis lucrum percepisse, Socrates observat: *λέγεις τῷ ὄντι φύσει τὸν πατέρα φιλογέωργον εἶναι, οὐχ ἧττον ἢ οἱ ἔμποροι φιλόσιτοι· καὶ γὰρ οἱ ἔμποροι διὰ τὸ σφόδρα φιλεῖν τὸν σῖτον, ὅπου ἂν ἀκούσωσι πλεῖστον εἶναι, ἐκεῖσε πλέουσιν ἐπ' αὐτόν·. . . . καὶ ὅταν δεηθῶσιν ἀργυρίου, οὐκ εἰκῇ αὐτὸν ὅπου ἂν τύχωσιν ἀπέβαλον, ἀλλ' ὅπου ἂν ἀκούσωσι τιμᾶσθαί τε μάλιστα τὸν σῖτον καὶ περὶ πλείστου ποιῶνται αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι* [1]).

5. Suam ipse docendi methodum Socrates laudat XIX, 15, ubi haec Ischomachum rogat: „*ἆρα ἡ ἐρώτησις διδασκαλία ἐστίν; ἄρτι γὰρ δὴ καταμανθάνω ᾗ με ἐπηρώτησας ἕκαστα· ἄγων*

---

1) Haec et quae § 29 extr. leguntur egregie afferri possunt ad Platonis Lysidem illustrandum.

γάρ με δι' ὧν ἐγὼ ἐπίσταμαι, ὅμοια τούτοις ἐπιδεικνὺς ἃ οὐκ ἐνόμιζον ἐπίστασθαι, ἀναπείθεις οἶμαι ὡς καὶ ταῦτα ἐπίσταμαι. Conferas et alios Platonis dialogos et prae ceteris Menonem.

6. Egregie Socratem decet haec exclamatio (XII, 10): πῶς πρὸς τῶν θεῶν; τοῦτο γὰρ δὴ ἐγώγε παντάπασιν οὐ διδακτὸν ᾤμην εἶναι.

7. Veritati convenienter cum admiratione rogans inducitur Socrates: καὶ πῶς δὴ πρὸς τῶν θεῶν τὸ ἀρχικοὺς εἶναι ἀνθρώπων παιδεύεις;

8. Capite VI, § 15 haec leguntur: πρῶτον μὲν ὅτι προσέκειτο τὸ καλὸς τῷ ἀγαθῷ, ὅντινα ἴδοιμι καλόν, τούτῳ προςῇα καὶ ἐπειρώμην καταμανθάνειν εἴπου ἴδοιμι προςηρτημένον τῷ καλῷ τὸ ἀγαθόν. Ipsum Socratem ita egisse aliunde haud difficile est cognoscere.

9. Demonstratur c. I, 8 sqq. neque armenta neque greges neque agros χρήματα dici posse, quin etiam ne pecuniam quidem eo dignam esse nomine nisi is, qui eam habeat et uti ea sciat. Permultos haec demonstratio locos e Platone lectori in mentem revocat, sed prae ceteris pulcherrimum illum ex Euthydemo (290 B), ubi Clinias, optimae spei adolescens, postquam Socrates dixit, praestantissimam omnium artium sibi τὴν στρατηγικήν videri, illam quidem artem non tanti faciendam esse observat, quoniam pars sit τῆς θηρευτικῆς, et deinde ita pergit: illa ars (θηρευτική) nihil potest nisi θηρεῦσαι καὶ χειρώσασθαι· ἐπειδὰν δὲ χειρώσωνται τοῦτο, ὃ ἂν θηρεύωνται, οὐ δύνανται τούτῳ χρῆσθαι, ἀλλ' οἱ μὲν κυνηγέται καὶ οἱ ἁλιεῖς τοῖς ὀψοποιοῖς παραδιδόασι κτἑ.

10. Ischomacho quoque in sua de eo narratione locutionem quandam praebet Socrates, quam ipsum in ore habuisse verisimile est. Dicit enim Ischomachus (XIV, 7 sq.) se probos servos omni beneficiorum genere afficere solere, ut illi qui lucri sint cupidi cognoscant probitatem quam

iniuriam potiorem esse; additque haec: *οὓς δ' ἂν αἰσθάνωμαι ὅμως καὶ εὖ πάσχοντας ἔτι ἀδικεῖν πειρωμένους, τούτους ὡς ἀνηκέστους πλεονέκτας ἤδη καὶ τῆς χρήσεως ἀποπαύω.* Cui enim haec legenti non Platonis in mentem venit; quis non cum Ischomachi servis *ἀνηκέστοις* comparat illos homines, qui propter gravissima flagitia, quae in terris commiserunt, apud inferos dicuntur summis poenis extremisque cruciatibus affici, non ut ipsi corrigantur — *ἀνίατοι γάρ εἰσιν* — sed ut aliis exemplo sint? (Gorg. 525 c.).

B. Virtutum, quibus excellere Oeconomicum dicebam, alteram nunc in clara luce ponere conabor. Quin Scillunte Oeconomicum scripserit Xenophon nemo dubitare potest: Ischomachi vitam describens suam describit [1]); quavis pagina sentis eum quotidie illis laboribus illisque exercitationibus delectari, de quibus Ischomachum tam iucunde narrantem facit; mane surgit de lecto, longisque itineribus seque equumque exercet, et ita domum ad coenam redit, ut cibi condimentum ei fames sit; integra est valetudine, integris corporis animique viribus; summum ex opere rustico capit gaudium; quotidie agros inspicit, servos admonet, laudat, castigat, cum uxore de tuenda administrandaque re familiari deliberat; in dies melius fertiliusque praedium suum fieri laetus cognoscit; crescere numerum ovium boumque omnesque bene curatos laetosque esse cernit; augeri opes suas intelligit, quique ante aliquot annos vix tantum nummorum haberet, ut pro vectura in patriam pretium solvere posset, iamiam se divitem fore sperat. Profecto si Oeconomicum

---

1) Non tamen Ischomachi personam finxit Xenophon; revera inter Socratis amicos aliquis eo nomine fuisse videtur. Vide Plut. Mor. III, 1 pag. 79 (Wytt.): *καὶ Ἀρίστιππος Ὀλυμπίασιν Ἰσχομάχῳ συμβαλὼν ἠρώτα, τί Σωκράτης διαλεγόμενος οὕτω τοὺς νέους διατίθησι.* Paulo supra (p. 77) Oeconomici brevis datur conspectus.

scripsisset postquam ab Eleensibus de praedio Scilluntiano esset deiectus, liber ipse amissorum bonorum desiderium significaret magis quam praesentis felicitatis gaudium. Tamen tanto artificio Oeconomicus scriptus est, ut verissime de eo praedicare possimus, quod in dramatum hypothesibus toties legimus: *ἡ σκηνὴ ὑπόκειται ἐν Ἀθήναις* vel potius *ἐν τῇ Ἀττικῇ*. Atticus enim agricola ille Ischomachus est: Scilluntianum eum agrum colere lector ne suspicatur quidem, sed si quando ei in mentem venit rogare, ubi illo tempore esset Xenophon, quum Ischomachi sui vitam narraret, vel potius depingeret, non potest non admirari scriptoris praestantiam, qui quum diu inter Peloponnesios vixisset, tamen non solum patriae sed ne artis quidem quae ibi floreret eiusque praeceptorum unquam esset immemor.

Iuvat huius quoque virtutis exempla quaedam hic apponere:

1. Levius est neque magni momenti, quod Socrates ab Ischomacho rogatus, possitne oculis cognoscere, quis ager siccus, quis humidus sit, ita respondet, ut utriusque generis exemplum afferat a solo Attico sumptum (XIX, 6): *ξηρὰ μὲν γοῦν μοι δοκεῖ εἶναι ἡ περὶ τὸν Λυκαβηττὸν καὶ ἡ ταύτῃ ὁμοία, ὑγρὰ δὲ ἡ ἐν τῷ Φαληρικῷ ἕλει καὶ ἡ ταύτῃ ὁμοία.* Insigniora et ad meum propositum utiliora sunt exempla, quae sequuntur.

2. Lepidissime iocans queritur Ischomachus de incommodis molestiisque quibus in democratia Atheniensi expositus est quicunque aliquid valere pecunia existimatur. Rogatus enim a Socrate, cur ei cognomen *καλὸς κἀγαθός* datum sit, respondet (VII, 3): „sintne nonnulli, qui mihi istud cognomen tribuere soleant, equidem ignoro; *οὐ γὰρ δὴ ὅταν γέ με εἰς ἀντίδοσιν καλῶνται τριηραρχίας ἢ χορηγίας, οὐδεὶς ζητεῖ τὸν καλόν τε κἀγαθόν, ἀλλὰ σαφῶς ὀνομάζοντές με Ἰσχόμαχον πατρόθεν προσκαλοῦνται*".

3. Non tam leniter de calumniatorum iniuriis queritur Ischomachus, sed ita, ut eum Athenis vivere sentias, ibique iam saepe expertum esse, quam improbum istud hominum genus sit, et quotidie metuere ne novae sibi ab iis struantur insidiae, ideoque operam dare, ut in foro apud iudices sibimet ipse auxilium ferre possit. Postquam enim Socrates dixit (XI, 21): „tu ex agricultura illos percepisti fructus, ut et valido sis corpore, et inter eos numereris, qui equitandi peritissimi et locupletissimi sunt", „atqui" inquit „ea ipsa causa est, cur tam multi me omni genere criminum circumveniant: an putas me ideo *καλὸν κἀγαθόν* nominari?" Rogatus deinde a Socrate: „nonne ergo aliquam contra istas calumnias meditaris defensionem?" responsum dat egregium quidem et Socratis amico dignissimum, sed librariorum incuria graviter corruptum. Nunc enim legitur *οὐ γὰρ δοκῶ σοι αὐτὰ ταῦτα διατελεῖν μελετῶν, ἀπολογεῖσθαι μὲν ὅτι οὐδένα ἀδικῶ, εὖ δὲ ποιῶ πολλοὺς ὅσον ἂν δύνωμαι.* Nemo, ut opinor, credet tam inconcinne scripsisse Xenophontem; quapropter legendum censeo *ἀπολογεῖσθαι μὲν* (sc. *μελετῶν*) *οὐδένα ἀδικῶν, εὖ δὲ ποιῶν ὅσους ἂν δύνωμαι.* Deinde lepidissime narrat, quomodo et eloquentiae forensi operam dare soleat, estque ille locus (usque ad capitis finem) lectu iucundissimus et *Ἀττικώτατος,* sed ibi quoque vitium latet, quod facillime tolli possit. Narrat enim Ischomachus (§ 25): *ἤδη δὲ καὶ διειλημμένως πολλάκις ἐκρίθην ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι.* Nihili est *διειλημμένως*; legendum *διειλημμένος* (*κατὰ τὸ Καννώνου ψήφισμα,* de quo vide interpretes ad Hell. I, 7, 20).

4. Exposuit Ischomachus, quam ob causam agricola illud instrumentum adhibeat, quod *σκαλεύς* appellatur; eo enim exstirpantur herbae inutiles (Gr. *ὕλη*), quae frugibus nocent; comparavit illas herbas cum fucis (Gr. *κηφῆνες*), qui dum apes strenue laborant, ipsi nihil agunt, sed cibum ab illis

collectum comedunt. Tum Socratem rogat (XVII, 15): „ergone intelligis, qui sit τῶν σκαλέων usus?" isque respondet: „πάνυ γε. ἀτὰρ ἐνθυμοῦμαι ὦ Ἰσχόμαχε οἷόν ἐστι τὸ εὖ τὰς εἰκόνας ἐπάγεσθαι. πάνυ γάρ σύ με ἐξώργισας πρὸς τὴν ὕλην τοὺς κηφῆνας εἰπών, πολὺ μᾶλλον ἢ ὅτε περὶ αὐτῆς τῆς ὕλης ἔλεγες". Egregie haec decent colloquium *Athenis* habitum: illic enim vivevat florebatque *hominum* genus, fucorum illorum simillimum, qui dum alii foris rem gerebant, ipsi otiosi desidebant in comitiis iudiciisque, atque ita non solum nihil agendo τὸ τριώβολον accipiebant et aerarium publicum exhauriebant, sed etiam bonorum virorum indignationem movebant, quod de strenuis bellatoribus eorumque ducibus arroganter iudicare non verebantur, sed illis praesertim omne calumniarum periculorumque creabant genus. Conferendi enim sunt hi versus ex Aristophanis Vespis (1114 sqq.):

ἀλλὰ γὰρ κηφῆνες ἡμῶν εἰσὶν οἳ καθήμενοι
τὸν πόνον κατεσθίουσιν, οὐ ταλαιπωρούμενοι.
τοῦτο δ' ἔστ' ἄλγιστον ἡμῖν, ἤν τις ἀστράτευτος ὢν
ἐκροφῇ τὸν μισθὸν ἡμῶν, τῆσδε τῆς χώρας ὕπερ
μήτε κώπην μήτε λόγχην μήτε φλύκταιναν λαβών.

Ex Ischomachi dicto apparet, quantos plausus illa Aristophanis tulerit comparatio, quamque in hominum memoria haeserit et in quotidianum sermonem transierit istud „fucorum" nomen. Xenophonti autem imprimis Aristophaneam imaginem placuisse minime est mirandum [1]).

---

1) Vix opus est ut dicam mihi non satisfacere Croisetum, qui de nostro loco ita disputat (p. 235): „c'est là une curieuse remarque, et une idée fort juste. Xenophon ne se borne pas à enoncer cette loi du style; il donne souvent l'exemple de l'observer et d'en faire son profit". Cf. etiam Cyrop. II, 2, 25.

Iam quare de Oeconomici virtutibus tam multa disputarim, lectori spero non obscurum esse: nolebam locos, quibus tamquam earum indiciis usus sum, mihi obiici ab iis, quibus Oeconomicus videretur aliquo modo ad libros de Socrate referri posse, neque igitur absurdum esse suspicari, eum olim cum Memorabilibus coniunctum fuisse, quippe quae et ipsa ad Socratem laudandum eiusque memoriam recolendam scripta essent. Haec est causa, cur demonstrare conatus sim, ex illis locis id quidem apparere, egregio artificio Oeconomicum compositum esse, sed illud artificium ornamentum externamque speciem libri efficit, ad primarium libri argumentum eiusque consilium minime pertinet. Quis enim dubitare potest, quin in Oeconomico scribendo hoc sibi proposuerit Xenophon, ut se suamque sapientiam lectoribus commendaret? Rusticum laborem, quem ipse in deliciis habet, laudibus extollit; quam egregiae utilesque eae sint artes, quarum ipse est peritus, accurate demonstrat, sed ante omnia semet ipsum laudat. Totius enim libri vis una sententia continetur, eaque, ne quis dubitare possit, quid ante omnia scriptor spectarit, in clarissima luce, id est in fine, collocatur. Quam quo melius lectoribus indicem, coniectura utar, quae in libro Teichmülleri, iam saepius citato, reperitur. Quod enim in Convivio Platonis legitur (p. 209 sq.): *ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐρωτικὰ ἴσως ὦ Σώκρατες, κἂν σὺ μυηθείης· τὰ δὲ τέλεα καὶ ἐποπτικὰ, ὧν ἕνεκα καὶ ταῦτα ἔστιν, ἐάν τις ὀρθῶς μετίῃ, οὐκ οἶδ' εἰ οἷός τ' ἂν εἴης,* illorum verborum altera parte semet ipsum Platonem significare Teichmüllerus censet; Platonem enim esse divinum illum virum, *τὸν τὰ μεγάλα τῆς φιλοσοφίας μυστήρια μεμυημένον* [1]). Sagacissima profecto ea

---

1) Cff. C. F. Hermann. Gesch. u. System der Platon. Phil. p. 523. Alb. Schwegler. über die composition des Platon. Symp. p. 17.

coniectura est: num tamen vera sit, quamquam mihi sane egregie placet, aliquis possit dubitare. Sed quis, quaeso, dubitabit, quin ad Xenophontem spectent haec ex Oeconomico verba, quae Platonicis illis sunt simillima: „*οὐ μέντοι μὰ Δία, τοῦτό γε (τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν) ἔτι ἐγὼ λέγω, ἰδόντα μαθεῖν εἶναι, οὐδὲ ἅπαξ ἀκούσαντα, ἀλλὰ καὶ παιδείαν δεῖν φημὶ καὶ φύσιν ἀγαθὴν ὑπάρξαι καὶ τὸ μέγιστον δὴ θεῖον γενέσθαι*"? Quis enim Xenophonte melius hominibus imperare, id est homines sibi devincire, poterat, quis unquam huius artis tam praeclarum dederat documentum? Quumque in una illa sententia totus fere Oeconomicus insit, eaque tam eximiam efficiat eius perorationem, quis credere possit illum librum aut Memorabilibus a Xenophonte esse additum aut, quod etiam absurdius est, Convivium, cuius tam diversum est consilium, ei tamquam pannum a scriptore assutum esse?

CAPUT OCTAVUM.

Ad nonnullos Oeconomici locos annotationes criticae.

Non facile est in Oeconomico artem criticam exercere: ea enim libri natura eaque est elocutionis praestantia, ut homines, qui loquentes inducuntur, egregie colloquium revera habitum imitentur. Ita factum est, ut non semper ad severas grammaticae leges sententiae conformentur, sed satis multae reperiantur anacoluthiae aliaeque ἀνωμαλίαι. Periculum ergo est, ne quis ipsius Xenophontis verba corrumpat, dum librariorum errores corrigere, grammaticorumve ineptias tollere studet. Mihi tamen permulti Oeconomici loci post multas longasque deliberationes ferendi non esse visi sunt; illos ergo indicabo, et aut meas proponam coniecturas, aut viam monstrare conabor, quae ad veritatem inveniendam ducere videatur. Quodsi ipse nonnumquam in illum incidi scopulum, de quo supra dixi, ignoscat benevolus lector, meque ea redarguat humanitate, quae viros philologos, illarumque artium amantes, quae semper ceteris humaniores dictae habitaeque sunt, imprimis decet.

Caput I, 3. Postquam dixit Critobulus *οἰκονόμου εἶναι εὖ οἰκεῖν τὸν ἑαυτοῦ οἶκον*, Socrates rogat: „num ergo alienam rem familiarem, si ei committeretur, non posset administrare? *ὁ μὲν γὰρ τεκτονικὴν ἐπιστάμενος ὁμοίως ἂν καὶ ἄλλῳ δύναιτο ἐργάζεσθαι ὅ τι περ καὶ ἑαυτῷ, καὶ ὁ οἰκόνομός γ' ἂν ὡςαύτως*". Respondet Critobulus: „*ἔμοιγε δοκεῖ, ὦ Σώκρατες*". Neque quod rogatur, neque quod respondetur mihi placet; inepte enim Socrates exemplo a se allato ipse conclusionem addit, et quo modo verba *καὶ ὁ οἰκόνομός γ' ἂν ὡςαύτως* cogitatione sint supplenda haud facile dicas; certe non possunt eo trahi quae proxime praecedunt *καὶ ἄλλῳ δύναιτο ἐργάζεσθαι ὅ τι περ ἑαυτῷ*. Non enim *οἰκονόμου* est *ἐργάζεσθαί τι*. Neque ad utram partem eorum, quae a Socrate dicta sunt, Critobuli pertineat responsum satis apparet. Multo melius ergo, ut opinor, Critobulo tribuemus verba *καὶ ὁ οἰκόνομός γ' ἂν ὡςαύτως*, ut haec respondeat: *ἔμοιγε δοκεῖ, ὦ Σώκρατες, καὶ ὁ οἰκόνομός γ' ἂν ὡςαύτως*. Hanc enim responsi brevitatem minus improbandam censeo, quam illam interrogationis inconcinnitatem, quoniam facile appareat, quid omittat Critobulus. Ex priore enim parte verborum, quae a Socrate dicta sunt, haec praesertim ante oculos habet: *τὸν ἄλλον οἶκον δύναιτο εὖ οἰκεῖν*.

I, 14. Pecunia non potest dici *χρήματα* esse nisi illi, qui uti ea potest. „Sed quid" ita Socrates rogat „de amicis dicendum est? Quid amici sunt ei, qui amicis uti potest?" Respondet Critobulus: „*χρήματα νὴ Δία, καὶ πολύ γε μᾶλλον ἢ τοὺς βοῦς, ἢν ὠφελιμώτεροί γε ὦσιν ἢ οἱ βόες*." Haeccine in libro Xenophonteo legi et tolerari! Quid enim absurdius est quam istud *ἢν ὠφ . . . . βόες*? Ferri aliquo modo posset: *ἐπειδήπερ ὠφελεμώτεροί εἰσιν ἢ οἱ βόες* vel *ὅσῳπερ . . . . εἰσιν*, sed et haec satis inutiliter et languide essent addita. Particula *γε* post *ὠφελεμώτεροι* facit, ut suspicer, totam sententiam olim

in margine fuisse adscriptam a lectore, cui eiusmodi observatio acuta lepidaque videretur.

I, 16. *ἐκεῖνο δὲ ἡμῖν τί φαίνεται ὁπόταν ὁρῶμέν τινας ἐπιστήμας μὲν ἔχοντας καὶ ἀφορμάς, ἀφ' ὧν δύνανται ἐργαζόμενοι αὔξειν τοὺς οἴκους, αἰσθανώμεθα δὲ αὐτοὺς ταῦτα μὴ θέλοντας ποιεῖν, καὶ διὰ τοῦτο ὁρῶμεν ἀνωφελεῖς οὔσας αὐτοῖς*.... Post haec verba legitur, id quod haud dubie perversum est: *τὰς ἐπιστήμας*. Istius modi enim hominibus non solum *αἱ ἐπιστῆμαι*, sed etiam *αἱ ἀφορμαί* inutiles sunt. Recte ergo sequitur: *ἄλλο τι ἢ τούτοις αὖ οὔτε αἱ ἐπιστῆμαι χρήματά εἰσιν οὔτε τὰ κτήματα*, in quibus *τὰ κτήματα* prorsus idem est quod *αἱ ἀφορμαί*. Quoniam vero deletis verbis *τὰς ἐπιστήμας* sententia paulo fieret obscurior, pro iis legendum esse censeo *ταύτας* vel *ἐκείνας*: facile enim fieri potuit, ut eiusmodi vocabulum annotatione aliqua loco moveretur.

1, 18. Quid hoc loco faciam ingenue fateor me nescire. Certe verba *ποιεῖν βουλόμενοι ἀφ' ὧν ἔχοιεν ἀγαθά* (lege *τἀγαθά*) certare videntur cum praecedentibus: satis enim perspicue significavit Critobulus, se de hominibus cogitare, qui opus facere *nolint* (§ 16 *ταῦτα μὴ θέλοντας ποιεῖν*, § 17 *ταύτας οὐκ ἐθέλοντας ἐργάζεσθαι*). An censeamus Socratis verbis eam sententiam subesse, ut ea, quae Critobulus dixit, dum iis utitur, simul corrigat, et ita fere loquatur: „tu quidem Critobule istos homines opus facere *nolle* dicebas: at ego eos *velle* sed *non posse* affirmo"? Non absurdum id quidem est.

I, § 19—23. Cupiditates pravosque mores Socrates primum *δεσπότας* appellat, propterea quod et Critobulus in interrogando masculini generis vocabulo usus erat. Sed rectius in cetera demonstratione eas cum *δεσποίναις* comparat: rectius dico, dummodo sibi constet. Nunc § 20 legitur *ἄλλαι δὲ εἰσί τινες ἀπατηλαὶ δέσποιναι*, § 23 *αἱ δὲ τοιαῦται δέσποιναι*, sed § 22 *πάνυ γε χαλεπῶν δεσποτῶν* et, quod minus etiam

ferendum est: ἃ οὕτω χαλεπῶς ἄρχει ὧν ἂν ἐπικρατήσωσιν, § 23 δεῖ πρὸς ταῦτα διαμάχεσθαι. Non tamen tam inconstanter locutum esse Socratem liquido apparet ex iis, quae initio capitis II leguntur: ὑπὸ τούτων ὧν σὺ δεσποινῶν καλεῖς. Atque facilis quidem est emendatio verborum ταῦτα (23) et δεσποτῶν (22), nam neque improbabile est illud e ταύτας natum esse, et facilius etiam ad credendum est, hoc stupido librario deberi, quem vocabula οἱ μὲν .... οἱ δὲ, quae statim sequuntur, in errorem induxerint. Sed quid sententia ἃ οὕτω χαλεπῶς ἄρχει τῶν ἀνθρώπων ὧν ἂν ἐπικρατήσωσιν faciendum sit non video: corruptam esse numeri varietas declarat.

Caput II, 1 ἀρκούντως πάνυ μοι δοκῶ τὰ λεγόμενα ὑπὸ σοῦ ἀκηκοέναι. Non dicit Critobulus: ego te loquentem satis attente audivi, neque hoc si dicere voluisset, verbis ἀρκούντως σου ἀκήκοα uti potuisset. Sed hoc vult: sufficere mihi videntur, quae ex te audivi, i. e.: ἀρκοῦντα πάνυ μοι δοκῶ τὰ λεγόμενα ὑπὸ σοῦ ἀκηκοέναι, quod reponendum videtur. Ἀρκούντως ἀκήκοά σου is respondere potest, qui rogatur: satisne bene audire me potuisti, an tibi strepitus molestus fuit?

II, 3. ἐγὼ μὲν οἶμαι, εἰ ἀγαθοῦ ὠνητοῦ ἐπιτύχοιμι, εὑρεῖν ἄν μοι τὴν οἰκίαν καὶ τὰ ἐνόντα πάντα πάνυ ῥᾳδίως πέντε μνᾶς. Ita Cobetus pro absurdo σὺν τῇ οἰκίᾳ καὶ τὰ ὄντα, quod codices praebent. Sed levis quaedam difficultas remanet. Videntur enim inter se pugnare ἀγαθοῦ ὠνητοῦ et πάνυ ῥᾳδίως. Nam si bona πάνυ ῥᾳδίως εὑρίσκει πέντε μνᾶς, isto certe pretio, et aliquanto maiore, omnium opinione haud dubie digna sunt: non igitur ad eam rem „bono" emptore opus est; is enim tanti emit, quanti praeter ipsum nemo emere velit. Videndum ergo sitne legendum οὐ vel οὐδὲ πάνυ ῥᾳδίως: sic enim de suis divitiis ὡς εἰρωνικώτατα loquetur Socrates, et hoc dicet: „mea bona si venirent quinque minis fortasse eme-

rentur, dummodo in licitatione ἀγαθός τις ὠνητὴς adesset; sed et hic vix atque dubitanter tantum daret". Multo melius nunc opponetur quod de Critobuli opibus iudicat Socrates: τὰ μέντοι σὰ ἀκριβῶς οἶδα ὅτι πλέον ἢ ἑκατομπλάσια τούτου, in quibus verba ἀκριβῶς οἶδα significant: *multos lubenter* tantum pro iis daturos esse.

II, 7. ὁρῶ σε .... παιδικοῖς δὲ πράγμασι προςέχοντα τὸν νοῦν. Quid sit παιδικὰ πράγματα nescio, suspicorque vocabulum πράγμασι delendum esse: novimus enim Critobulum eorum fuisse, qui παιδικοῖς τὸν νοῦν προςέχουσι.

II, 8. οἱ δὲ σοὶ φίλοι πολὺ ἀρκοῦντα σοῦ μᾶλλον ἔχοντες τῇ ἑαυτῶν παρασκευῇ ἢ σὺ τῇ σῇ. Grammaticae sanaeque rationi repugnat pronomen σοῦ quod ante μᾶλλον positum est: quis enim unquam sic locutus est: σοῦ μᾶλλον ἢ σύ? Eiiciendum ergo istud σοῦ est. Ceterum cum collocatione verborum πολὺ ἀρκοῦντα μᾶλλον cf. § 16: πολὺ ἄλλους ἐμοῦ δεινοτέρους.

II, 3. Rogatus a Critobulo quid obstet, quominus et ipse oeconomiae sit peritus, Socrates respondet: idem quod effecit, ut nunquam tibiis canere didicerim: nunquam enim mihi tibiae fuerunt, neque unquam quisquam suas mihi tibias commodavit. Eadem est causa cur oeconomiae quoque imperitus sim: οὔτε γὰρ αὐτὸς ὄργανα χρήματα ἐκεκτήμην ὥστε μανθάνειν κτέ. Quis non videt vocabulum χρήματα a sciolo esse insertum, ut ὄργανα interpretaretur?

II, 14. προθύμως γε ἀποφεύγειν μοι πειρᾷ μηδέν με συνωφελῆσαι κτέ. Verborum μοι πειρᾷ alterutrum corruptum esse mihi constat: probabilem tamen emendationem nullam repperi.

II, 15. εἰ ἐπὶ πῦρ ἐλθόντος σου καὶ μὴ ὄντος παρ' ἐμοὶ ἄλλόσε ἡγησάμην ὁπόθεν σοι εἴη λαβεῖν οὐκ ἂν ἐμέμφου μοι. Huic quoque loco vitium illud obtrusum est, de quo iam saepe monui. Non enim passi sunt librarii participium a participio pendere,

ergo sententiae structuram pessumdederunt inserendo coniunctionem *καί*.

Ib. Statim sequitur *καὶ εἰ ὕδωρ παρ' ἐμοῦ αἰτοῦντί σοι αὐτὸς μὴ ἔχων ἄλλοσε καὶ ἐπὶ τοῦτο ἤγαγον κτέ.* Dativus *αἰτοῦντί σοι* qua ratione explicandus sit nescio. An scripsit Xenophon *αἰτοῦντά σε*?

Caput III, 2. „Monstrabo tibi" Socrates ait „alios tam negligentes esse, ut quum divitiarum supellectilisque omni genere affluant, tamen ex illis rebus nullum percipiant fructum, quia, si quando iis opus est, ubi positae sint nesciant, *τοὺς δὲ οὐδὲν πλέον ἀλλὰ καὶ μείονα τούτων κεκτημένους ἔχοντας εὐθὺς ἕτοιμα, ὅταν ὧν ἂν δέωνται χρῆσθαι.* Corrupta haec esse quivis sentit. Dindorfius vocabulum *ὅταν* inclusit, sed ne sic quidem mihi verba Xenophontea restituta videntur: male enim abverbium *εὐθύς*, quod ad *χρῆσθαι* pertinet, cum adiectivo *ἕτοιμα* iungitur, et nimis laxo vinculo ab eodem adiectivo infinitivus *χρῆσθαι* pendet. Ne diu lectorem teneam: credo Xenophontem scripsisse: *τοὺς δὲ οὐδὲν πλέον ἀλλὰ καὶ μεῖον κεκτημένους ἔχοντας εὐθὺς ὧν ἂν δέωνται χρῆσθαι*: non enim solum *ὅταν* sed etiam *ἕτοιμα* interpolatori deberi censeo, qui sententiae structuram non perspiceret. Cum structura a me restituta cf. VIII, 10 *μὴ ἀπορεῖν χρῆσθαι*, quod idem est ac: *εὐθὺς ἔχειν χρῆσθαι.*

III, 5. *ἣν δὲ (ἐπιδεικνύω σοι) καὶ παραπλησίους γεωργίας γεωργοῦντας, τοὺς μὲν .... τοὺς δὲ ....* Quid potest significare *παραπλησίους γεωργίας γεωργεῖν* nisi hoc: in agro colendo eadem vel simili fortuna uti? Id autem ab hac sententia quam alienissimum est: agitur enim de hominibus, quorum alii ad divitias, alii ad egestatem ex agro colendo perveniunt. Quid ergo pro *γεωργίας* est legendum? *ἀγρούς* ut opinor, nam otiosum est quaerere de causa, ob quam tam diversus illorum hominum in agricultura sit successus, antequam scia-

mus agrum utrorumque similem et eadem fertilitate esse. Causam corruptelae haud difficile invenias; aut enim ex *ἀγροὺς γεωργοῦντας* aurium culpa natum est quod nunc legitur, aut librarii oculi aberrarunt ad vocem *γεωργίας*, quam in exemplari, quod describebat, sub *ἀγρούς* scriptum fuisse minime improbabile est. Recepta autem mea emendatione simul tollitur inconstantia quaedam, quam equidem aegre fero. Hic enim adiectivum *παραπλήσιος* communis generis esse videtur, sed An. I, 3, 18 feminina forma *παραπλησία* legitur.

ib. Rogat ergo Critobulum Socrates quae causa sit, cur nonnulli agricolae pauperes fiant, dum alii, quorum agri nihilo meliores sunt, divitias opesque colligant. Respondet Critobulus .... sed prius videamus quosnam homines Socrates cogitet. Quo modo colloquium cum Critobulo et narratio de Ischomacho inter se cohaereant supra demonstrare conatus sum. Docere enim vult agricolarum miserias ex nulla alia re quam ex incuria nasci, eosque, qui illo vitio laborent, iam statim significat tam inopes fieri, ut ne victum quidem quotidianum habeant; dicit enim: *ἀλλ' ἐγὼ οὐ τούτους λέγω, ἀλλὰ οἳ οὐδὲ εἰς τὰ ἀναγκαῖα ἔχουσι δαπανᾶν*. Sed antea Critobulo coniecturam facere permittit de illius inopiae causa, eumque ita interrogat, ut supra vidimus. Quid autem Critobulo respondendum est? Nempe id, quod et nostrum unicuique statim in mentem veniat, i. e.: illos homines, qui, quum agrum satis bonum colant, tamen pauperes fiant, extrema esse mentis perversitate et omnibus modis bona sua dilapidare, non solum ad res inutiles sed etiam ad res, quae damnum afferant. Responsum ergo Critobuli, quod nunc in codicibus legimus, ita corrigendum censeo, ut dicat: *ναὶ μὰ Δία, ἴσως γὰρ ἀναλίσκουσιν οὐκ εἰς ἃ μὴ δεῖ μόνον ἀλλὰ καὶ εἰς ἃ βλαβὴν φέρει αὐτοῖς καὶ τῷ οἴκῳ*. Egregie, hoc est: quam

maxime *ἀπροςδοκήτως*, eum nunc docet Socrates illos homines *οὐδὲ εἰς τὰ ἀναγκαῖα ἔχειν δαπανᾶν* [1]).

III, 9. Reprehendit Critobulum Socrates, quod operam non det, ut discat quo modo equi educandi sint, *ἄλλως τε καὶ τῶν αὐτῶν* (sc. *ἵππων*) *ὄντων ἀγαθῶν εἴς τε τὴν χρῆσιν καὶ κερδαλέων εἰς πώλησιν ὄντων*. Quis unquam sic Graece locutus est? Quantocius emenda: *ἄλλως τε καὶ τῶν αὐτῶν ἀγαθῶν τε εἰς τὴν χρῆσιν καὶ κερδαλέων εἰς πώλησιν ὄντων*, deleto priore *ὄντων* et transposita particula *τε*, quae nunc praepositionem *εἰς* sequitur.

III, 12. *πάντως δὲ, ὦ Κριτόβουλε, φίλοι γάρ ἐσμεν οἱ παρόντες, ἀπαληθεῦσαι πρὸς ἡμᾶς*. Quin infinitivus *ἀπαληθεῦσαι* vitio natus sit, nemo dubitat. Non tamen placet Sauppii coniectura legentis *πάντως δεῖ*, nam particula *δέ* carere non possumus. Quidni *ἀπαλήθευσον* scribamus?

III, 16. *οἶμαι δέ σοι καὶ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν τοὺς ἀξίως λόγου ἑκάστην ἐργαζομένους ἔχειν ἂν ἐπιδεῖξαί σοι*. Verbo admonuisse, ut opinor, satis est alterum *σοι* (quod post *ἐπιδεῖξαι* legitur) abiiciendum esse.

Caput IV, 1. „Non cupio", Critobulus ait, „te de omnibus artibus audire disputantem: *ἀλλὰ αἳ δοκοῦσι κάλλισται τῶν ἐπιστημῶν καὶ ἐμοὶ πρέποι ἂν μάλιστα ἐπιμελομένῳ κτέ*. Gravem contra notissimam syntaxis Graecae normam errorem commisit summus ille Heindorfius coniiciendo, post *ἐμοί* inserendum esse *ὤν*. Si clarissimi doctrina viri ita interdum falluntur, quid mihi ignosci non poterit? Inserendum enim est pronomen *αὐτῶν* post *ἐπιμελομένῳ*.

IV, 3. *αἱ τέχναι αἱ βαναυσικαί* et hoc habent, quod *ἀσχο-*

---

1) Cf. Dem. Ol. III, p. 33 extr.: *ἀλλὰ θαυμάζω εἴ τῳ ποτε ἀνθρώπων ἢ γέγονεν ἢ γενήσεται, ἂν τὰ παρόντα ἀναλώσῃ πρὸς ἃ μὴ δεῖ, τῶν ἀπόντων εὐπορῆσαι πρὸς ἃ δεῖ.*

λίας μάλιστα ἔχουσι καὶ φίλων καὶ πόλεως συνεπιμελεῖσθαι. Immo παρέχουσι, ut opinor.

IV, 6. Narrans, quo modo Persarum rex simul rei militaris et rei rusticae curam habeat, et alia et haec dicit Socrates: κατ' ἐνιαυτὸν ἐξέτασιν ποιεῖται τῶν μισθοφόρων καὶ τῶν ἄλλων οἷς ὡπλίσθαι προςτέτακται. Non militibus imperat rex, ut arma capiant, sed τὸν τῆς χώρας ἄρχοντα iubet certum quendam militum armatorum numerum habere. Legendum ergo est: οὓς ὡπλίσθαι προςτέτακται.

Sequuntur haec: καὶ πάντας ἅμα συνάγων πλὴν τοὺς ἐν ταῖς ἀκροπόλεσιν ἔνθα δὴ ὁ σύλλογος καλεῖται καὶ τοὺς μὲν ἀμφὶ τὴν ἑαυτοῦ οἴκησιν αὐτὸς ἐφορᾷ, τοὺς δὲ πρόσω ἀποικοῦντας πιστοὺς πέμπων ἐπισκοπεῖ. Obtemperandum erat Schneidero coniunctionem καί delenti: ea enim remanente sententiae structura perturbatur. Ceterum conferendus est hic locus e Cyropaedia (VI, 2, 11), ubi de Croesi copiis haec dicuntur: προιέναι μέλλειν αὐτοὺς εἰς Θύμβραρα, ἔνθα καὶ νῦν ὁ σύλλογος τῶν ὑπὸ βασιλέα βαρβάρων τῶν κάτω Συρίας.

Tum narratio de Persarum rege imperium suum obeunte sic continuatur: καὶ οἳ μὲν ἂν φαίνωνται τῶν φρουράρχων καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ τῶν σατραπῶν τὸν ἀριθμὸν τὸν τεταγμένον ἔκπλεων ἔχοντες .... τούτους μὲν καὶ ταῖς τιμαῖς αὔξει κτἑ. Aut Xenophontem male intellexit aut oscitanter legit, qui primus καὶ τῶν σατραπῶν inseruit. Ex iis enim, quae § 10 sq. narrantur, cognoscimus in una regione esse φρούραρχον et ἄρχοντα, quorum hic potestatem habet et ante omnia agriculturae praeest, ille cum imperio est; interdum et unum hominem utroque fungi munere eumque satrapam appellari (§ 11). Ergo antequam expositum sit, quid illud satrapae nomen significet, de satrapis aliquid narrare absurdum est, recteque § 8 legitur: καὶ οὓς μὲν ἂν αἰσθάνηται τῶν ἀρχόντων συνοικουμένην τε τὴν χώραν παρεχομένους .... τούτοις μὲν χώραν

τε ἄλλην προςτίθησι κτέ., nulla satraparum mentione facta.

IV, 8. Verba, quorum modo partem citavi, sic in codicibus circumferuntur: καὶ οὓς μὲν ἂν αἰσθάνηται τῶν ἀρχόντων συνοικουμένην τε τὴν χώραν παρεχομένους καὶ ἐνεργὸν οὖσαν τὴν γῆν καὶ πλήρη δένδρων .... τούτοις μὲν κτέ. Quis non verbo admonitus intelligit, verba τὴν γῆν non solum inutiliter addi, sed etiam structuram sententiae iis pessumdari? Prorsus enim idem est in hac narratione γῆ et χώρα. Vide § 8: ἀργόν τε τὴν χώραν οὖσαν καὶ ὀλιγάνθρωπον et 10: ὀλιγάνθρωπόν τε παρέχηται καὶ ἀργὸν τὴν χώραν.

IV, 13. ἐπιμελεῖται τούτων (τῶν χωρῶν) ὅπως κῆποί τε ἔσονται οἱ παράδεισοι καλούμενοι πάντων καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν μεστοί. Absurdissime haec dicta sunt: an nisi operam daret Rex, οἱ παράδεισοι non essent κῆποι? Quantocius istud κῆποι eiiciendum est, quod iam loco, ubi positum est, arguitur.

IV, 21. ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη. Nullus hic pronomini αὐτόν locus est.

Caput V, 4. Agricultura τοὺς μὲν αὐτουργοὺς διὰ τῶν χειρῶν γυμνάζουσα ἰσχὺν αὐτοῖς προςτίθησι, τοὺς δὲ τῇ ἐπιμελείᾳ γεωργοῦντας ἀνδρίζει κτέ. Satis perspicue, ut opinor, is loquitur, qui inter se opponit τοὺς αὐτουργούς et τοὺς τῇ ἐπιμελείᾳ γεωργοῦντας, nam αὐτουργοί sunt qui ταῖς χερσὶ γεωργοῦσι. Deleantur ergo verba διὰ τῶν χειρῶν, quae et prorsus inutiliter addita et perverso loco posita sunt.

V, 7. παρορμᾷ δέ τι καὶ εἰς τὸ ἀρήγειν σὺν ὅπλοις τῇ χώρᾳ καὶ ἡ γῆ τοὺς γεωργούς. Certe coniunctio καί, quae ante ἡ γῆ legitur, delenda est; sed mallem totum istud τῇ χώρᾳ καί abesset: absurdum enim videtur: ἡ γῆ παρορμᾷ ἀρήγειν τῇ χώρᾳ. Vidimus ne umbram quidem differentiae esse inter γῆ et χώρα.

V, 13. „Si bellum impedit, quominus agricolae ex agris suis fructus percipiant, illi homines, quoniam sunt et cor-

pore firmo et animo ad labores perferendos egregie instituto, possunt *ἰόντες εἰς τὰς τῶν ἀποκωλυόντων λαμβάνειν ἀφ' ὧν θρέψονται.* Quo tandem referendum est istud *εἰς τάς*? An forte ad *τῇ γεωργίᾳ* quod praecedit, sed satis longe abest? At nemo *καρποὺς λαμβάνει ἀπὸ τῶν γεωργιῶν,* verum *ἀπὸ τῶν ἀγρῶν.* Legendum videtur *ἰόντες ἐπὶ τὰ τῶν ἀποκωλυόντων*: possunt *expeditionem facere in terram hostium*, inde praedam agere et sic habere unde vivant.

VI, 6. Rogatus a Socrate, lubeatne ea, de quibus iam inter eos in disputando convenit, breviter memoria repetere et sic ad reliqua transire, Critobulus respondet: *ἡδὺ γοῦν ἐστίν, ὥςπερ καὶ χρημάτων κοινωνήσαντας ἀναμφιλόγως διελθεῖν, οὕτω καὶ λόγων κοινωνοῦντας περὶ ὧν ἂν διαλεγώμεθα συνομολογοῦντας διεξιέναι.* Aut istud *διελθεῖν* corruptum est, aut in *χρημάτων κοινωνήσαντας διελθεῖν* aliquis verborum lusus latet. Certe probari non potest Schneideri explicatio, qui haec annotat: „intelligo *τόν λόγον*, rationes pecuniarias": eam enim explicationem participium *praeteriti temporis κοινωνήσαντας* non admittit.

Caput VII, 5. „Uxor mea" Ischomachus narrat „antequam mihi nupsit *ἔζη ὑπὸ πολλῆς ἐπιμελείας* (an *πολλῇ ἐπιμελείᾳ*?) *ὅπως ἐλάχιστα μὲν ὄψοιτο, ἐλάχιστα δὲ ἀκούσοιτο, ἐλάχιστα δὲ ἔροιτο.* Pro corrupto *ἔροιτο* Cobetus scribi iussit *ἐροίη*. Num recte dubito. Puella enim, quae tam severe custoditur, non multa narrare potest, sed hoc anxie curabant ne quidquam cognoscere posset eorum, quae puellae cognitu parum utilia essent. Atqui cognoscimus audiendo, videndo, aut si libere oculis auribusque uti prohibemur, rogando alios. Rogandi ergo verbum remanere debet, sed pro aoristo futurum legendum est, emendandumque *ἐρήσοιτο.* De forma futuri vide ex multis locis Oec. XI, 22: *ἔμελλον ἐρήσεσθαι.*

VII, 8. Indicabo tantummodo vitium, quo hic locus laborat.

Rogat Socrates: *οὐκοῦν καὶ ἡ γυνή σοι συνέθυε καὶ συνηύχετο τὰ αὐτὰ ταῦτα;* Respondet Ischomachus: *καὶ μάλα γε πολλὰ ὑποσχομένη μὲν πρὸς τοὺς θεοὺς γενέσθαι οἵαν δεῖ.* Neque promittendi verbum cum infinitivo aoristi iungi potest, neque *ὑπισχνεῖσθαι* poni pro *εὔχεσθαι.*

VII, 10. „Dic mihi" Socrates inquit „quo modo uxorem tuam docere coeperis". Respondet ille: *τί δέ, ὦ Σώκρατες, ἐπεὶ ἤδη μοι χειροήθης ἦν . . . . ἠρόμην αὐτήν κτέ.* Suspectum videtur *τί δὲ* sic nude positum: rogantis id est, non respondentis. Inserendum videtur *εἰ μή* ante *ἐπεί,* ut hic quoque respondendi ponatur formula, qua Ischomachum tam saepe uti supra monui.

VII, 30. „Deus" Ischomachus ait „statuit quid viro, quid mulieri faciendum sit: *καὶ καλὰ δὲ εἶναι ὁ νόμος ἀποδείκνυσιν ἃ ὁ θεὸς ἔφυσεν ἑκάτερον μᾶλλον δύνασθαι.* Ante *ὁ νόμος* excidisse credo *ἑκατέρῳ*: cui operi faciendo virum aptiorem deus fecit, illud lex et consuetudo hominum virum magis decere decrevit, atque de muliere idem statuit.

VII, 31. *εἰ δέ τις παρ' ἃ ὁ θεὸς ἔφυσε ποιεῖ, ἴσως τι καὶ ἀτακτῶν τοὺς θεοὺς οὐ λήθει κτέ.* Corruptum esse *ἴσως τι καὶ ἀτακτῶν* nemo est quin videat. Requiritur aliquid quod recte opponi possit verbis *τοὺς θεοὺς οὐ λήθει.*

VII, 35. „Te domi manere" ad uxorem dicit Ischomachus „oportebit, *καὶ οἷς μὲν ἂν ἔξω τὸ ἔργον ᾖ τῶν οἰκετῶν τούτους συνεκπέμπειν κτέ.*". Compositum *συνεκπέμπειν* non placet; fortasse legendum est: *σὺν ἐμοὶ ἐκπέμπειν* (sc. in agrum.).

VII, 38. *οὕτω διατίθενται αἱ μέλιτται πρὸς αὐτὴν* (sc. *τὴν ἡγεμόνα*), *ὥστε, ὅταν ἐκείνη ἐκλίπῃ, οὐδεμία οἴεται ἀπολειπτέον εἶναι, ἀλλ' ἕπονται πᾶσαι.* Suspectum mihi est verbum *ἐκλίπῃ*: certe admodum invenusta est ista repetitio: *ἐκλίπῃ . . . . ἀπολειπτέον.* Quid tamen scripserit Xenophon pro certo dicere non possum. An forte *ἐξίῃ ποι*?

Caput VIII, 2. *ἀλυποτέρα δὲ αὕτη ἡ ἔνδεια τὸ ζητοῦντά τι μὴ δύνασθαι λαβεῖν ἢ τὴν ἀρχὴν μηδὲ ζητεῖν.* Syntaxis flagitat, ut et infinitivus *ζητεῖν* suum sibi articulum habeat. Legendum ergo: *τὸ τὴν ἀρχὴν μηδὲ ζητεῖν.* Haud rarum istud vitium in Oeconomico esse postea videbimus.

VIII, 10. *ὦ γύναι, εἰ τοῦ μὲν ταράχου τούτου μὴ δέοιο, βούλοιο δ' ἀκριβῶς διοικεῖν τὰ ὄντα εἰδέναι κτἑ.* Nihili est: *ἀκριβῶς διοικεῖν τὰ ὄντα εἰδέναι.* Quodsi aliquis sensus ex iis elici posset (id quod ego nego), non alio modo possent explicari quam sic: „si accurate omnia scire vis, quae ad rei familiaris administrationem pertinent." Sed in illa scientia omnia simul insunt, parumque recte eius commemorationi adderentur verba, quae nunc sequuntur, quaeque *partes* illius scientiae significant. Suspicor sic fere legendum esse: *ἀκριβῶς τὰ οἴκοι ὄντα εἰδέναι.* Id enim si scriptum esset, elegantissime aptissimeque tres res enumerarentur quae ad rem familiarem administrandam maxime necessariae sunt: 1. *ἀκριβῶς τὰ οἴκοι ὄντα εἰδέναι,* 2. *τῶν ὄντων ὅτῳ ἂν δέῃ χρῆσθαι,* 3. *τῷ αἰτοῦντί τι διδόναι.*

ib. „Si omnia suo loco posita erunt, *ἡ χώρα αὐτὴ τὸ μὴ ὂν ποθήσει, καὶ δεόμενον θεραπείας ἐξετάσει ἡ ὄψις.*" Haud dubie legendum est: *τὸ δεόμενον θ.*: ipse locus vacuus desiderabit id, quod abest, ipse domini oculus inspiciet id, quod resarciendum est. In sequentibus: *τὸ εἰδέναι ὅπου ἕκαστόν ἐστι ταχὺ ἐγχειριεῖ* infinitivus *εἰδέναι* subiectum est futuri *ἐγχειριεῖ.*

VIII, 12. „Omnia vasa, quibus domi homines utuntur, navis *τῇ συσσιτίᾳ ἑκάστῃ κομίζει.*" Verba *τῇ συσσιτίᾳ ἑκάστῃ* neque explicare possum, neque emendare.

VIII, 17. *Πάνυ ἂν ἡμῶν εἴη βλακικὸν εἰ οἱ μὲν ἐν τοῖς πλοίοις καὶ μικροῖς οὖσι χώραν εὑρίσκουσιν . . . . ἡμεῖς δὲ* (qui domum satis magnam et egregie instructam habitamus), *εἰ μὴ εὑρήσομεν καλὴν καὶ εὐεύρετον χώραν ἑκάστοις αὐτῶν, πῶς οὐκ ἂν πολλὴ ἡμῶν ἀσυνεσία εἴη;* Structuram sententiae magnam partem

sanavit Cobetus alterum *εἰ* (in *εἰ μὴ εὑρήσομεν*) delendo. Sed simul abiicienda sunt verba *πῶς .... εἴη*, quae et supervacanea sunt et inepte enuntiata.

VIII, 19. *ὡς δὲ καλὸν φαίνεται ἐπειδὰν ὑποδήματα ἐφεξῆς κέηται κτέ.* Absurde haec sententia ab *ὡς* incipit: nullus enim hic exclamationi locus est.

Caput IX, 2. *τὰ οἰκήματα ᾠκοδόμηται πρὸς αὐτὸ τοῦτο ἐσκεμμένα ὅπως ἀγγεῖα ὡς συμφορώτατα ᾖ τοῖς μέλλουσιν ἐν αὐτοῖς ἔσεσθαι.* Observandum est, substantivum *ἀγγεῖα* non subiectum esse, sed praedicatum.

IX, 3. *καὶ διαιτητήρια δὲ τοῖς ἀνθρώποις ἐπεδείκνυον αὐτῇ κεκαλλωπισμένα τοῦ μὲν θέρους ἔχειν (τὴν οἰκίαν) ψυχεινὰ κτέ.* Quid verbo *κεκαλλωπισμένα* faciam nescio, sed corruptum esse video, nam sobrietas, quae in Ischomachi domo regnat, id verbum, quod et sententiae structuram perturbat, non admittit.

IX, 11. *Τὴν δὲ ταμίαν ἐποιησάμεθα ἐπισκεψάμενοι ἥτις .... πρὸς τούτοις δὲ ᾗ τὸ μνημονικὸν μάλιστα ἐδόκει ἔχειν καὶ τὸ προνοεῖν μή τι κακὸν λάβῃ παρ' ἡμῶν ἀμελοῦσα, καὶ σκοπεῖν ὅπως χαριζομένη τι ἡμῖν ὑφ' ἡμῶν ἀντιτιμήσεται.* Non est, ut opinor, dubium, quin ante *σκοπεῖν* articulus *τὸ* ponendus sit. Obiectum enim est verbi *ἔχειν* non minus quam praecedens *προνοεῖν*.

IX, 12. *καὶ τὸ προθυμεῖσθαι δὲ συναύξειν τὸν οἶκον ἐπαιδεύομεν αὐτήν* (sc. *τὴν ταμίαν*), *ἐπιγιγνώσκειν αὐτὴν ποιοῦντες καὶ τῆς εὐπραγίας αὐτῇ μεταδιδόντες.* Graviter hunc locum interpolatum esse existimo; nullum enim sensum praebet verbum *ἐπιγιγνώσκειν* sic sine obiecto positum. Ne multa: credo Xenophontem scripsisse: *ἐπιγιγνώσκειν αὐτὴν ποιοῦντες τὴν εὐπραγίαν*, faciebamus ut et ipsa prosperam nostram fortunam experiretur, i. e. participem eam faciebamus. Admodum enim probabile est, aliquem in margine annotasse: *τῆς εὐπραγίας αὐτῇ μεταδιδόντες*, deinde ea ita in textum irrepsisse ut verba *τῆς εὐπραγίας* verba *τὴν εὐπραγίαν* loco pellerent.

IX, 16. „Servo nullam rem in suum usum convertere licet, nisi dedit dominus: *δεσπότου δὲ ἅπαντά ἐστιν ᾧ ἂν βούληται ἕκαστα χρῆσθαι.*" Soloeca et corrupta esse Graeca verba, quae citavi, negari non potest: unde enim pendet accusativus *ἕκαστα*? Omnia recte procedent, si pro *ἕκαστα* scripserimus *ἑκάστοτε*, et comparari poterunt haec e Convivio (I, 14): *ὧνπερ ἕνεκα ἐκαλεῖτο ἑκάστοτε ἐπὶ τὰ δεῖπνα.*

IX, 18. „Falli me uxor dicebat, si sibi nimis grave me onus imponere putarem iubendo rei familiaris curam habere. *χαλεπώτερον γὰρ ἄν, ἔφη φάναι, εἰ αὐτῇ ἐπέταττον ἀμελεῖν τῶν ἑαυτῆς κτέ.* In veteribus editionibus *φάναι* recte abest, sed eius loco scribendum videtur *νομίζειν*: aut enim hoc aut *εἶναι* verbo *ἔφη* addendum est. Sed probabilius est Xenophontem scripsisse *ἔφη νομίζειν*, propterea quod mox eadem verba inepte inserta videntur, neque tamen de nihilo nata, sed repetita e praecedentibus. Sequuntur enim haec:

IX, 19. *πεφυκέναι γὰρ δοκεῖ, ἔφη, ὥσπερ καὶ τέκνων ῥᾷον τὸ ἐπιμελεῖσθαι τῇ σώφρονι τῶν ἑαυτῆς ἢ ἀμελεῖν, οὕτω καὶ τῶν κτημάτων, ὅσα ἴδια ὄντα εὐφραίνει ἥδιον τὸ ἐπιμελεῖσθαι νομίζειν ἔφη εἶναι τῇ σώφρονι τῶν ἑαυτῆς ἢ ἀμελεῖν.* Graviter interpolatum hunc locum esse, et ita ut obscurissimum sit, quo modo verba cohaereant, nemo non sentit. Xenophontem nihil scripsisse opinor praeter haec: *πεφυκέναι γὰρ δοκεῖ, ἔφη, ὥσπερ τέκνων τῶν ἑαυτῆς, οὕτω καὶ τῶν κτημάτων, ὅσα ἴδια ὄντα εὐφραίνει, ἥδιον τὸ ἐπιμελεῖσθαι τῇ σώφρονι ἢ τὸ ἀμελεῖν*, reliqua omnia interpolatori deberi.

Caput X, 3. „Utrum me" Ischomachus uxorem rogat „magis laudares, si tibi bonorum meorum statum ita monstrarem, ut neque te celarem quidquam neque mentiendo quidquam adderem, *ἢ εἰ ἐπειρώμην σε ἐξαπατᾶν, λέγων τε ὡς πλείω ἔστι μοι τῶν ὄντων, ἐπιδεικνύς τε ἀργύριον κίβδηλον καὶ ὅρμους ὑποξύλους καὶ πορφυρίδας ἐξιτήλους φαίην ἀληθινὰς εἶναι*; Ipsa par-

ticipia *λέγων* et *ἐπιδεικνύς*, quae pendent a verbo *ἐπειρώμην* et particulis *τε-τε* inter se iuncta sunt, satis declarant, verba *φαίην ἀληθινὰς εἶναι* ferri non posse et invito Xenophonte esse inserta.

X, 10. „Uxorem meam admonebam ne semper ancillae in modum sederet, *ἀλλὰ σὺν τοῖς θεοῖς πειρᾶσθαι δεσποτικῶς πρὸς μὲν τὸν ἱστὸν προστᾶσαν κτἑ.*" Neque *προστᾶσαν* neque, quod nonnulli coniecerunt, *προσστᾶσαν* aptum huic loco sensum praebet. Emendationem frustra quaesivi.

X, 12. Inter Ischomachi ad uxorem admonitiones et haec leguntur: *καὶ ὄψις δὲ ὁπόταν ἀνταγωνίζηται διακόνῳ, καθαρωτέρα οὖσα πρεπόντως τε μᾶλλον ἠμφιεσμένη, κινητικὸν γίγνεται κτἑ.* Sensu cassum esse vocabulum *ὄψις* haud opus est demonstrare. Suspicor olim in margine annotatum fuisse *ὄψιν* ad explicandum *καθαρωτέρα*, id autem leviter mutatum in textum irrepsisse, et sententiae subiectum expulisse.

Caput XI, 1. „Tua mihi opera, Ischomache," Socrates rogat „expone *ἵνα σύ τε ἐφ' οἷς εὐδοκιμεῖς διηγησάμενος ἡσθῇς, κἀγὼ.. . διακούσας — πολλήν σοι χάριν εἰδῶ.*" Praestaret, ut opinor, *διηγούμενος*. Non enim postquam narravit, sed *dum narrat* gaudium capit Ischomachus.

XI, 5. *ὁ δὲ προςβλέψας με ὡς οὐδὲ ὑγιαίνοντα τῷ ἐρωτήματι κτἑ.* Vel locus, ubi positum est, arguit non a Xenophonte ipso additum esse istud *τῷ ἐρωτήματι*, verum a grammatico quodam, qui causam indicare vellet, ob quam Niciae servus Socratem insanire putaret.

XI, 11. „Quo modo" Socrates rogat „curam corporis tui viriumque tuarum habes? *πῶς θέμις εἶναί σοι καὶ ἐκ πολέμου καλῶς σώζεσθαι κτἑ;*" Nihil intelligebat, qui primus infinitivum *εἶναι* addidit. Sententia enim est: quomodo fit (i. e. qua tua cura efficitur) ut fas sit, te etiam e bello salvum abire?

XI, 12. *ἐπεὶ γὰρ ἐσθίειν τις τὰ ἱκανὰ ἔχοι* (an *ἔχει*?) *ἐκπο-*

νοῦντι μὲν μᾶλλον δοκεῖ μοι ἡ ὑγίεια παραμένειν ἐκπονοῦντι δὲ μᾶλλον ἡ ῥώμη προςγίγνεσθαι. Labore et modicis exercitationibus valetudo conservatur, sed *nova* robora accedunt: non *ἡ ῥώμη προςγίγνεται* sed *ῥώμη* (sine articulo).

XI, 18. „Perfecto opere rustico" Ischomachus ait „*τὰ μὲν βάδην τὰ δὲ ἀποδραμὼν οἴκαδε ἀπεστλεγγισάμην*". Quicunque paulo accuratius haec adspexerit, videbit post *βάδην* participium *ἰών* esse inserendum. Si non viderit, auctor ei sum, ut paulisper vocabula *βάδην* et *ἀποδραμών* inter se transponat et sic de toto loco deliberet.

Caput XII, 2. Roganti Socrati „ecquid te moror Ischomache?" ille respondet: „minime! opperiar enim eos, quibuscum in forum convenire constitui, neque hinc abibo *πρὶν* (*ἂν* recte inserit Dindorfius) *παντάπασιν ἡ ἀγορὰ λυθῇ*". Tum Socrates: *Νὴ Δία φυλάττει γὰρ ἰσχυρῶς μὴ ἀποβάλῃς τὴν ἐπωνυμίαν* (sc. *καλός τε κἀγαθός*). Non dubito quin pro *γάρ* legendum sit *γε*. Admirabundus enim haec exclamat Socrates, cognita Ischomachi erga amicos fide et religione, non causam affert cur Ischomachus sic agat: absurdum id quidem esset.

XII, 8. „Omnes homines sibimet ipsis *εὖνοί εἰσιν*. Tamen multi eorum operam dare nolunt, *ὅπως αὐτοῖς ἔσται ταῦτα ἃ βούλονται εἶναί σφισι*". Satis inepte in codicibus adduntur verba *τὰ ἀγαθά*.

XII. 14. „Qui sunt *τῶν ἀφροδισίων δυσέρωτες* illi nequaquam discere possunt, quae ad opus rusticum sunt necessaria. *οὔτε γὰρ ἐλπίδα οὔτε ἐπιμέλειαν ἡδίονα ῥᾴδιον εὑρεῖν τῆς τῶν παιδικῶν ἐπιμελείας, οὐδὲ μὴν ὅταν παρῇ τὸ πρακτέον, τιμωρίαν χαλεπωτέραν εὐπετές ἐστι τοῦ ἀπὸ τῶν ἐρωμένων κωλύεσθαι*". Non recte hanc sententiam decurrere iam multi observarunt. Omnis tamen remota erit molestia si expunxerimus adiectivum *ῥᾴδιον*, quippe quod ad explicandum *εὐπετές* adscriptum

sit. Ita enim et sententiae partes bene inter se cohaerebunt, et accusativus τιμωρίαν verbum habebit, unde pendeat.

XII, 17. Ἴθι ὦ Ἰσχόμαχε καὶ τόδε μοι παρατραπόμενος τοῦ λόγου δήλωσον περὶ τοῦ παιδεύεσθαι, εἰ οἷόν τέ ἐστιν ἀμελῆ αὐτὸν ὄντα ἄλλους ποιεῖν ἐπιμελεῖς. Ille λόγος, unde ut digrediatur ab Ischomacho petit Socrates, erat περὶ τῶν παιδευομένων εἰς τὴν ἐπιμέλειαν (cf. § 10). Sed neque opus erat ea verba hic addere — nemo enim tam infirma est memoria, ut non meminerit, quod fuerit argumentum brevissimi loci, qui proxime praecedit — et si iam addenda essent certe omitti non poterat articulus τοῦ. Nunc et illius articuli defectus et ipsae aures (quid enim inelegantius est quam ista brevissimo intervallo repetitio: περὶ τῶν παιδευομένων .... περὶ τοῦ παιδεύεσθαι?) declarant verba περὶ τῶν παιδευομένων εἰς τὴν ἐπιμέλειαν sciolo deberi.

Caput XIII, 8. Postquam docuit Ischomachus equos poenis et praemiis ad discendum incitari, ita pergit: καὶ τὰ κυνίδια δὲ πολὺ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῇ γνώμῃ καὶ τῇ γλώττῃ ὑποδεέστερα ὄντα ὅμως καὶ περιτρέχειν καὶ κυβιστᾶν καὶ ἄλλα πολλὰ μανθάνει τῷ αὐτῷ τούτῳ τρόπῳ. Quis haec legens risum teneat? An unquam bruta animalia ita cum hominibus comparantur, ut illa dicantur πολλῷ ὑποδεέστερα εἶναι τῶν ἀνθρώπων? Ita enim hominem de plebe cum aliquo Demosthene conferre licet. Deinde quid opus est linguae facultate πρὸς τὸ περιτρέχειν καὶ τὸ κυβιστᾶν? Et tam mirum est animalia, quae sint hominibus τῇ γνώμῃ multo inferiora, ista discere? An ad eiusmodi res fere humana opus est sapientia? Sed totus ille locus πολὺ τῶν ἀνθρώπων — ὄντα ὅμως καί quid sibi velit, obscurum est. Non enim canum exemplum affertur ad rem fide maiorem narrandam, sed ut et illi testimonio sint, nullam meliorem esse institutionem, quam praemii spem poenaeque metum. Unde tamen locus a me notatus originem traxerit nescio. An verba τῶν ἀνθρώπων et καὶ τῇ γλώττῃ ab

interpolatore sunt addita? Reliqua enim non nimis absurda sunt, neque admodum mirum videtur Xenophontem, rei equestris paulo magis etiam quam venationis amantem fuisse, ideoque τὰ κυνίδια dixisse τῶν ἵππων πολλῷ τὴν γνώμην εἶναι ὑποδεέστερα.

XIII, 9. τῇ γὰρ γαστρὶ αὐτῶν (sc. τῶν δούλων) ἐπὶ ταῖς ἐπιθυμίαις προςχαριζόμενος ἂν πολλὰ ἂν ἀνύτοις παρ' αὐτῶν. Quid sit ἐπὶ ταῖς ἐπιθυμίαις haud facile dicas. Legendum esse credo καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις.

Caput XIV, 5. γέγραπται γὰρ ζημιοῦσθαι ἐπὶ τοῖς κλέμμασι, καὶ δεδέσθαι, ἤν τις ἁλῷ ποιῶν, καὶ θανατοῦσθαι τοὺς ἐγχειροῦντας. Pristinum huius sententiae ordinem perturbatum esse credo, et locum inter se permutasse ἤν τις ἁλῷ ποιῶν et τοὺς ἐγχειροῦντας. Etenim fur manifestus morte multatur.

Caput XV, 1. 'Αλλὰ μέντοι ἐπειδάν γε ἐμποιήσῃς τινὶ τὸ βούλεσθαί σοι εἶναι τἀγαθά, ἐμποιήσῃς δὲ τῷ αὐτῷ ἐπιμελεῖσθαι ὅπως ταῦτά σοι ἐπιτελῆται. Solito in Oeconomico vitio ante ἐπιμελεῖσθαι articulus τό excidit.

Sequuntur haec: ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἐπιστήμην κτήσῃ αὐτῷ.... Inter peritiam et cetera omnia, quae hic enumerantur hoc interest, quod cetera servus (procurator) a domino discit, sed peritiam sibi ipse acquirit opus faciendo. Suspicor igitur pro κτήσῃ αὐτῷ legendum esse κτήσηται αὐτός. Ferri posset et hic ἐμποιήσῃς αὐτῷ, sed ἐπιστήμην κτᾶσθαι ἄλλῳ τινί absurdum videtur.

Caput XVI, 3. Quaeritur quomodo soli natura cognosci possit: „οὐκοῦν" ait Ischomachus „καὶ ἀλλοτρίας γῆς τοῦτο ἔστι γνῶναι ὅ, τι τε δύναται φέρειν καὶ ὅ, τι μὴ δύναται, ὁρῶντα τοὺς καρποὺς καὶ τὰ δένδρα." Corruptum esse καὶ ἀλλοτρίας γῆς iam Schneiderus statuit et post eum multi observarunt. Requiritur fere: ἀπ' αὐτῆς τῆς γῆς.

XVI, 4. Ipsa ergo ἡ γῆ demonstrat quid ferre possit, quid

non possit: ἣν δ'ἄρα δι' ἀργίαν τῶν ἐχόντων αὐτὴν μὴ ἔχῃ τὴν ἑαυτῆς δύναμιν ἐπιδεικνύναι κτέ. Multo elegantius esset multoque magis ceterae disputationi conveniret, si pro accusativo αὐτήν legeretur nominativus αὐτή, atque ita quin Xenophon scripserit minime dubito.

XVI, 9. „Hoc me primum doceas velim" Socrates ait „ὅπως ἂν ἐγώ, εἰ βουλοίμην, γῆν ἐργαζόμενος πλείστας κριθὰς καὶ πλείστους πυροὺς λαμβάνοιμι." Nemo, ut opinor, unquam agrum coluit, quin ex eo quam plurimum frugum percipere vellet. Ridicule ergo hic positum videtur εἰ βουλοίμην. Verum virgula transposita lege: γῆν ἐργάζεσθαι,: sanata erit sententia, egregieque opposita illi, quae in parenthesi legitur: Φιλοσόφου γὰρ μάλιστά ἐστιν ἀνδρός.

Caput XVII, 2. „ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετοπωρινὸς χρόνος ἔλθῃ" narrat Ischomachus „πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν." Agricolae, qui per obsidionem in urbe manere coacti fuerunt, ubi hostes abierunt et urbs liberata est, dici possunt ἀφίεσθαι σπείρειν. Hic deus dicendus est *agricolis permittere* σπείρειν. Legendum ergo opinor ἐφήσει αὐτοῖς σπείρειν.

His auditis Socrates observat: ἐγνώκασι δέ γε.... καὶ τὸ μὴ ἐν ξηρᾷ σπείρειν ἑκόντες εἶναι πάντες ἄνθρωποι, δῆλον ὅτι πολλαῖς ζημίαις κτέ. Non novum aliquid affert Socrates, quod Ischomacho *opponat* (ea tamen vis est particularum δέ γε et καί), sed significare vult, se *intelligere*, *quam ob causam* ita agant rustici, ut dixit Ischomachus. Legendum ergo: ἐγνώκασι γάρ et delendum καὶ τό.

XVII, 3. „De hac ergo re consentiunt homines" Ischomachus dicit. Respondet Socrates: ἃ γὰρ ὁ θεὸς διδάσκει, οὕτω γίγνεται ὁμονοεῖν. Corrupta esse sentio οὕτω γίγνεται, quid sit legendum nescio. Requiritur fere: ἀνάγκη, vel οὔτοι χαλεπόν, vel οὔτοι θαυμαστόν.

XVII, 7. „Alii serere possunt ὁμαλῶς, alii non possunt." Haec ubi dixit Ischomachus, Socrates observat: οὐκοῦν τοῦτο μὲν ἤδη μελέτης δεῖται ὥςπερ κιθαρισταῖς ἡ χείρ. Ut aliquis his verbis sensus insit, pro τοῦτο μέν legatur τούτοις μέν (sc. τοῖς μὴ δυναμένοις). Atque hoc voluisse Xenophontem mihi pro certo constat.

XVII, 9. „Fortiori equidem homini" Socrates ait „gravius onus imponam, κἂν δέῃ τρέφεσθαί τινας, τοῖς δυνατωτέροις ἂν τοὺς πλείους προςτάξαιμι." Sententia horum verborum est: „maiorem equidem partem divitioribus alendos darem, pauperioribus minorem." Sed si tota civitas in divitiores et pauperiores dividitur, aequum est illos omnia munera ferre, hos immunes esse. Non dubito quin Socrates hoc velit: „quo quisque divitior est, eo plures ei sunt alendi", i. e. πλείους sine articulo.

Caput XVIII, 1. Ceteris agriculturae partibus pertractatis, Socrates Ischomachum rogat, ut se doceat quomodo messis facienda sit. Respondet Ischomachus: ἢν μή γε φανῇς καὶ εἰς τοῦτο τὰ αὐτὰ ἐμοὶ ἐπιστάμενος. Languidum istud φανῇς est, certe multo languidius, quam lepidissimum illud, quod paulo post (§ 3) eodem sensu legitur: ὁρᾷς ὦ Σώκρατες ὡς ἁλίσκει ἐπ' αὐτοφώρῳ εἰδὼς ἅπερ ἐγώ; Quid pro φανῇς legendum censeam facile est ad coniiciendum. Ischomachus enim de sua arte disputans frequenter ea utitur ironia, ut dicat demonstretque illam ad discendum tam facilem esse, ut eius leges discipulus *iam* sciat intelligatque, *priusquam* eum quidquam magister docuerit vel docere potuerit. Scripsisse ergo Xenophontem opinor φθάνῃς. Conferatur quod § 5 legitur: ταῦτα μὲν τοίνυν ο ὐ δ ὲ ν ἐ μ ο ῦ λ ε ί π ε ι γιγνώσκων.

XVIII, 2. Si frumenti calami longi sunt, ita messis facienda est, ut medios incidas calamos ἵνα μήτε οἱ ἀλοῶντες μοχθῶσι περιττὸν πόνον μήτε οἱ λικμῶντες ὧν οὐδὲν προςδέονται. Sententia claudicat: aut enim post λικμῶντες verbum excidit, aut

περιττόν πόνον interpretamentum est verborum ὧν οὐδὲν προς-δέονται, totusque locus, transposito μοχθῶσι, ita refingendus est: ἵνα μήτε οἱ ἀλοῶντες μήτε οἱ λικμῶντες μοχθῶσιν ὧν οὐδὲν προςδέονται.

XVIII, 5. Rogat Ischomachus: ὅπως δὲ τὸ δεόμενον κόψουσι (sc. muli) καὶ ὁμαλιεῖται ὁ ἀλοητός, τίνι τοῦτο; Hic certe verbum aliquod excidit, sive προςτάξεις sive aliud eiusdem generis.

XVIII, 9. Socrates expertus, se nullo magistro usum tamen agriculturam callere, haec dicit: καὶ πάλαι ἐννοῶ εἰ ἄρα λέληθα καὶ χρυσοχοεῖν καὶ αὐλεῖν καὶ ζωγραφεῖν ἐπιστάμενος· ἐδίδαξε γὰρ οὔτε ταῦτά με οὐδεὶς οὔτε γεωργεῖν. Ineptissimo interpretamento hic locus deformatus est. Legendum enim est: ἐδίδαξε γὰρ οὐδὲ ταῦτά με οὐδείς, et abiiciendum οὔτε γεωργεῖν.

XVIII, 10. „Nonne dicebam" Ischomachus rogat „ὅτι καὶ ταύτῃ γενναιοτάτη εἴη ἡ γεωργικὴ τέχνη ὅτι καὶ ῥᾴστη μαθεῖν ἐστί;" Agricultura eo *quoque* nomine laude digna est, quod ad discendum est facillima. Delenda igitur erit coniunctio καί, quae nunc in editionibus ante ῥᾴστη legitur.

Caput XIX, 4. In arborum plantis serendis scrobe opus est non altissima quidem, sed tamen cavendum est ne parum alta fiat; alioquin enim ἐξορύττοιτο ἂν σκαπτόμενα τὰ φυτά. Nihil est, opinor, quod non *fodiendo* possit ἐξορύττεσθαι: ingentes enim arbores, quae altissime radices egerunt saepe effossas vidimus. Neque quisquam tam est imprudens, ut in agro arboribus consito *fodere* non vereatur. Sed nullus ager est, e quo non saepius exstirpandae sint herbae inutiles, idque non fodiendo fit sed *sarriendo*, atque ea quoque res funesta esse potest plantis, quae non satis alte satae sunt. Sarrire autem c. XVII, 12 sqq. appellatur ἐμβαλεῖν σκαλέας, sed est quoque verbum σκάλλειν, idque non solum hoc loco

restituendum arbitror sed etiam bis c. XX § 20 (pro *σκάπτωσιν* et *σκαπτόντων*). Neque quidquam interesse credo, utrum de agro, qui fruges fert, sermo sit (quod c. XVII fit), an de agro arboribus consito. Uterque enim eodem modo purgandus est. Neque quemquam in errorem inducere possunt ea, quae XVI, 15 leguntur, quamquam ibi quoque verbum *σκάπτειν* et substantivum *ὕλη* inveniuntur: illic enim de *novali* faciendo agitur, id autem aut arando fit aut fodiendo.

XIX, 7. In sicca humo altiore scrobe opus est quam in humida: *ἐπεὶ ἔν γε τῇ ὑγρᾷ ὀρύττων βαθύν, ὕδωρ ἂν εὑρίσκοις καὶ οὐκ ἂν δύναιο ἔτι ἐν ὕδατι φυτεύειν.* Quid sibi istud *ἔτι* velit non video. In aqua enim serere nemo ne incipit quidem.

Ib. *ὁπηνίκα δεῖ τιθέναι ἑκάτερα τὰ φυτὰ εἶδες.* Non de plantarum sed de humi duplici genere agitur. Rectissime, ut solet, Weiskius (vir acutissimus, quem miror toties ab editoribus negligi) legendum esse *ἐν ἑκατέρᾳ*, et brevi post lacunam statuendam (non enim de serendi tempore in sequentibus quidquam traditur) censet.

XIX, 8. *πότερον ὑποβαλὼν ἂν τῆς γῆς τῆς εἰργασμένης οἴει τὸν βλαστὸν τοῦ κλήματος θᾶττον χωρεῖν διὰ τῆς μαλακῆς ἢ διὰ τῆς ἀργοῦ εἰς τὸ σκληρόν;* Haud dubito quin verba *διὰ τῆς μαλακῆς* a grammatico sint profecta. Prorsus enim idem est *γῆ εἰργασμένη* et *μαλακή* et elegantissime inter se opponuntur *ὑποβαλὼν τῆς γῆς τῆς εἰργασμένης* et *διὰ τῆς ἀργοῦ*, eaque oppositionis elegantia isto additamento tollitur.

XIX, 10. *εἰ γὰρ μὴ σεσαγμένον εἴη* (sc. humus qua planta circumdatur) *ὑπὸ μὲν τοῦ ὕδατος εὖ οἶδ' ὅτι πηλὸς ἂν γένοιτο ἡ ἄσακτος γῆ, ὑπὸ δὲ τοῦ ἡλίου ξηρὰ μέχρι βυθοῦ, ὥστε τὰ φυτὰ κίνδυνος ὑπὸ μὲν τοῦ ὕδατος σήπεσθαι μὲν δι' ὑγρότητα, αὐαίνεσθαι δὲ διὰ ξηρότητα.* Quis verbo admonitus non videt alterum

istud ὑπὸ μὲν τοῦ ὕδατος (quod post κίνδυνος legitur) inepte ex praecedentibus esse repetitum? Stolidus grammaticus, qui inseruit, oblitus est ante αὐαίνεσθαι addere ὑπὸ δὲ τοῦ ἡλίου. Nunc absurdum in modum brevissimo intervallo bis μέν legitur, quorum prius nil habet, quod ei opponatur.

Caput XX, 3. Nemo pauper factus est ὅτι ἀγνοήσας — τὴν γῆν φέρουσαν ἀμπέλους ἐν ἀφόρῳ ἐφύτευσε. Legendum est τὴν γῆν τὴν φ.: „Nemo pauper factus est eo quod ignorans, quae terra vites ferret, in sterili terra vites sevit."

XX, 5. τοιαῦτά ἐστιν (sc. cura et diligentia et simm.) ἃ διαφέροντες ἀλλήλων οἱ γεωργοὶ διαφερόντως καὶ πράττουσιν. Cobetus pro ἀλλήλων coniicit ἄλλων. Praestaret, ut opinor, ἄλλοι ἄλλων. Vid. οἱ μὲν — οἱ δέ quod sequitur.

XX, 7. Norunt omnes duces ὅτι διὰ πολεμίας πορευομένους βέλτιον τεταγμένους πορεύεσθαι οὕτως ὡς ἂν ἄριστα μάχοιντο, εἰ δέοι. Nimirum si milites sic iter faciunt, ut, si opus est, etiam proelium committere possint, τεταγμένοι iter faciunt. Nemo ergo verbum τεταγμένους, si abesset, desideraret, nemo idem inepto loco positum (quis enim unquam ita vocabula disposuit: τεταγμένους πορεύεσθαι οὕτως?) ferre debet.

XX, 16. Admodum totus hic locus usque ad ἐπιμελῆται τούτου displicet, nunquamque eum a Xenophonte sic scriptum esse credam. Absurde enim colloquium oratione indirecta interrumpitur, neque suo loco posita sunt verba ὄντων ἐργαστήρων καὶ πλεόνων. Sed et sequentia habent in quo offendam: non enim recte dictum est εἷς παρὰ τοὺς δέκα διαφέρει, idque e § 18 desumptum arbitror, ubi παρὰ στάδια διακόσια significat: in itinere ducentorum stadiorum percurrendo. Totam paragraphum 16 ad lacunam supplendam compositam esse censeo.

XX, 20. Hunc locum ita edidit A. Jacob (in nitidissima Oeconomici editione, Parisiis Hachette 1886): τὸ δὲ δὴ κακῶς

ἐργάζεσθαι ἢ κακῶς ἐπιμελεῖσθαι καὶ τὸ καλῶς, ταῦτα δὴ τοσοῦτον διαφέρει ὅσον ἢ ὅλως ἐργάζεσθαι ἢ ὅλως ἀργὸν εἶναι. Οἷον σκαπτόντων ἵνα ὕλης καθαραὶ αἱ ἄμπελοι γένωνται οὕτω σκάπτειν ὥστε πλείω καὶ μὴ μείω τὴν ὕλην γενέσθαι, πῶς οὐκ ἀργὸν ἂν φήσαις εἶναι. Haec lectio quanto vulgatae praestet, quisque comparando statuere potest. Pauca tamen restant parvaque vitia. Primum non verbum σκάπτειν huic loco convenire sed σκάλλειν, supra demonstrare conatus sum. Deinde post οἷον, quod rectissime Jacob edidit pro ὅταν, inserendus est articulus τό, et pro ἀργόν legendum ἀργεῖν.

XX, 23. „Pater mihi suadere solebat ut agros neglectos emerem: ex nulla enim re maiorem laetitiam percipi dicebat, quam ex ea quae nostro labore melior fieret: οὐδὲν οὖν ἔχει πλείονα ἐπίδοσιν ἢ χῶρος ἐξ ἀργοῦ πάμφορος γενόμενος.'' Absurde Graeca verba, quae citavi, addita sunt: aut enim inepta ea conclusio est (nam concludere aliquid interpolatorem voluisse propter particulam οὖν dicas), aut quod interpolator volebat sic enunciandum erat: οὐδὲν δέ (vel ἀλλὰ μὴν οὐδὲν) πλείονα ἐπίδοσιν ἔχει ἢ χῶρος ἀργός. Nam ἐπίδοσιν ἔχειν significat aliquam rem adeo vel neglectam vel vitiosam esse, ut multa emendari et corrigi possint, ipsaque res multis nominibus possit augeri, crescere, melior fieri.

XX, 24. „Illud autem patris mei ἐνθύμημα'' (ita Ischomachus pergit) „non solum utilissimum est, sed etiam ad discendum tam facile, ὥστε νυνὶ ἀκούσας σὺ τοῦτο ἐμοὶ ὁμοίως ἐπιστάμενος ἄπει''. Ex tempore, quo Socrates didicit parum, ut opinor, apparet facile illud ἐνθύμημα esse, sed ex eo quod *semel* auditum tamen totum perspicit. Inserendum ergo inter νυνὶ et ἀκούσας adverbium πρῶτον, quod olim litera α designatum fuisse credibile est.

XX, 26. „Ubi pater meus labore suo aliquem agrum fertilem reddiderat, eum vendebat, ἀλλ' ἄλλον εὐθὺς ἀντεω-

νεῖτο, ἀργὸν δὲ [*διὰ τὴν φιλεργίαν*]. Audisne stridulam magistelli vocem?

XX, 29. Lacuna indicanda erat post haec: *ἐγὼ δὲ καὶ φιλοικοδόμους νομίζω οὐδὲν ἧττον οἵτινες ἂν ἀποδιδῶνται ἐξοικοδομοῦντες τὰς οἰκίας, εἶτ' ἄλλας οἰκοδομῶσι.* Non enim sequitur aliud genus hominum, quod his opponatur.

XXI, 11. Hominibus imperare non, hercle, facile esse dico, *ἀλλὰ καὶ παιδείαν δεῖν φημι τῷ ταῦτα μέλλοντι δυνήσεσθαι καὶ φύσιν ἀγαθὴν* (sic enim cum Schneidero legendum pro *παιδείας — φύσεως ἀγαθῆς*) *ὑπάρξαι καὶ τὸ μέγιστον δὴ θεῖον γενέσθαι. οὐ γὰρ πάνυ μοι δοκεῖ ὅλον τουτὶ τὸ ἀγαθὸν ἀνθρώπινον εἶναι* [*ἀλλὰ θεῖον*] *τὸ ἐθελόντων ἄρχειν.* Quis verba a me inclusa pulchram sententiam corrumpere ferat?

CAPUT NONUM.

De Xenophontis Convivio disputatio.

Haud defuturos credo, quibus ridiculus videar, quod, quae inter Xenophontis Platonisque Convivium intercedat ratio, satis superque demonstratum esse non intelligam. Et profecto tot iam de illa quaestione scriptae editaeque sunt paginae, ut viros doctos multorum librorum multarumque literarum, qui praecipuam Xenophonti Platonique operam navant nihil novi, quod ad eam pertineat, me docere posse persuasissimum mihi sit. Ut tamen brevem de ea hoc loco instituam disputationem duabus praesertim adducor causis. Quarum altera est, quod — id quod mihi admodum mirum videtur — nondum diremptam controversiam esse, sed etiamnunc aliquam restare dubitationem cognovi; altera quod plerique eorum, qui Xenophontem legere solent, hoc tantum consilio eius libros, atque .prae ceteris Anabasin et Memorabilia, pervolvunt, ut eos quam accuratissime discipulis suis explicent et interpretentur, sed in remotiores de scriptore controversiarum recessus penetrare neque volunt neque necessarium esse opinantur. Satis multos ergo literarum Graecarum prae-

ceptores esse suspicor, qui, quae sit illa de utroque Convivio deliberatio, iuxta cum ignarissimis ignorent; quumque in eorum quoque manus librum meum perventurum esse sperem, haud inutilem me operam facturum esse credo, si cuiusmodi controversia de Platonico Xenophonteoque Convivio diu ante nostram aetatem nata sit neque tamen prorsus profligata esse videatur, quam brevissime hic enarravero. Id ergo primum faciam, omnibus remotis ambagibus, omnibusque rebus, quae mihi leviores videntur, omissis quo magis perspicua sint reliqua. Deinde quid de ipsa quaestione ipse censeam explicabo.

Satis multi in utroque Convivio leguntur loci, qui alterum legenti alterum in memoriam non possint non revocare. Aut enim utrobique eadem res narratur vel demonstratur, sed ita, ut scriptores haud leviter inter se dissentire cognoscas, aut quod in altero libro legitur plane est oppositum rei alicui sententiaeve, quam ex altero didicimus. Illos locos primus aut observavit aut saltem indicavit Cornarius in praefatione ad versionem latinam utriusque Convivii, eiusque disputationem Schneiderus in „Quaestionibus de Convivio Xenophonteo" repetiit. Quatuor res sunt, quae Cornario maximi momenti visae sunt:

I. Apud Platonem graves et seriae solum habentur orationes, tibicinaque recens ingressa eiicitur et ad mulieres ablegatur. Xenophon tamen et tibicinam et saltatricem per totum Symposium exhibet, et ipsarum magistrum non solum colloquentem inducit, sed etiam Socrati illudentem atque convitiantem.

II. Apud Platonem Phaedrus contendit exercitum, qui ex amatoribus et amatis constaret, invictum fore; apud eundem Pausanias affirmat, apud Eleos Boeotiosque hanc legem esse: *καλὸν τὸ χαρίζεσθαι ἐρασταῖς*. Sed apud Xenophontem ipse

Socrates graviter invehitur in Pausaniam, quod eorum, qui in intemperie simul volutentur, causam defenderit, dicendo fortissimum fore exercitum, qui ex amatoribus et amatis esset compositus, afferendoque Boeotiorum Eleorumque exemplo.

III. Apud Xenophontem Socrates docet Achillem Homericum Patrocli mortem non tamquam amati sed tamquam amici ultum esse; sed in Platonico Convivio Phaedrus Aeschylum exagitat eumque nugari dicit, quod Achillem Patrocli fuisse amatorem finxerit: multo enim et aliis heroibus et ipso Patroclo fuisse formosiorem Achillem, deinde imberbem etiam natuque minorem.

IV. Apud Platonem Pausanias satis longa oratione demonstrat duas esse Veneres duosque Amores; Xenophonteus vero Socrates se nescire dicit utrum duae Veneres sint an una.

Non tamen omittendae Cornario tres res fuerant, quae aut maioris etiam momenti sunt, aut certe non minoris:

I. Apud Platonem Socrates inducitur ex ingenti φιάλῃ (c. XXXIX) per totam noctem mirum quantum vini bibens, neque magnum illum ψυκτῆρα Alcibiadis iussu oblatum metuens. Contra Xenophonteus Socrates minuta et rorantia pocula sapientium convivium magis decere quam capacia illa affirmat.

II. Apud Platonem sex de Amore habentur orationes, apud Xenophontem unus Socrates Amorem laudans inducitur, primaque eius verba simillima sunt iis, quae apud Platonem Phaedro tribuuntur, ut ad totum illud eloquentiae certamen, quod in Agathonis convivio habitum narrat, introductio paretur (p. 177 A—C).

III. Apud Xenophontem Critobulus a Socrate rogatus: „num me formosior esse tibi videris," respondet: „profecto, ni essem, omnibus essem Silenis turpior", et post pauca ipse Socrates, Silenos sibi quam Critobulo similiores esse conten-

dit. Satis frigidus uterque est iocus. In Platonico vero Convivio eadem comparatione usus Alcibiades eam habet Socratis laudationem, qua nihil unquam scriptum est magis divinum atque coeleste.

Hae tres res sunt, quas Cornario non omittendas fuisse dicebam; quas si suae enumerationi addidisset, mihi e multis locis illos elegisse videretur, quibus prae ceteris tota deliberatio de ratione, quae inter Platonicum Xenophonteumque Convivium intercedit, niti debet. Eiusmodi enim illi loci sunt, ut dubitari non possit, quin de eadem re uterque scriptor agat, sed ita, ut alter ab altero haud parum recedat, alter alterum suppleat corrigatque. Sed simul eiusmodi illae differentiae sunt, ut nemo credere possit, illas inconsulte et fortuito natas esse, id est neutrum, dum scriberet, libri a condiscipulo suo compositi rationem habuisse. Nemo enim, qui cum sano iudicio utrumque Convivium perlegerit, dubitare potest, quin aut Plato Xenophontis librum in manibus habuerit, eiusque tamquam censuram egerit, aut Xenophon Platonico Convivio suum opposuerit. Quis — ut hoc utar — credere potest, casu factum esse, ut apud Xenophontem coena exhilaretur a tibicina, saltatrice, scurra, apud Platonem ne una quidem tibicina admittatur? Nonne consulto inter se oppositi sunt Platonicus ille Socrates immanem capacissimumque ψυκτῆρα exhauriens, et Xenophonteus minuta et rorantia pocula commendans? Num, si neque Xenophon Platonem, neque Plato Xenophontem legisset, apud hunc poenas daret Pausanias eorum, quae apud illum Phaedrus et Pausanias dixerunt? Possum sic reliqua persequi, sed haec sufficere opinor, ut sic statuam: aut Plato suo libro Xenophonteum improbare et corrigere studuit, aut suum Convivium Xenophon opposuit Platonico. Quaeritur ergo: uter utrius censuram egit? Sive: utrius liber prius scriptus

est? Olim viri docti, in quorum numero honoris causa nominandi sunt Schneiderus et Weiskius, Xenophontem Platonis Convivio usum esse communi sententia affirmabant; nostro tempore plerisque Hugius persuasit, Xenophontis librum Platonico aetate maiorem esse; quamquam non defuerunt, qui contrarium defenderent, quorum unum nominabo, qui *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων* est, C. F. Hermannum, praestantissimum Platonis editorem. Multine etiamnunc supersint, qui in neutram partem inclinent nescio, sed neque cum Hugio, neque cum Hermanno facere unum cognovi, estque is nulli eorum, qui unquam Platoni et Xenophonti operam dederunt inferior; celeberrimum illum dico historiae Graecae scriptorem, Anglorum gloriam decusque Groteum. Iam haec de quaestionis, ut ita dicam, historia sufficere opinor. Ad ipsam quaestionem transeundum est.

Ante tres fere annos Gustavus Teichmüllerus alterum volumen in lucem edidit libri „de litibus literariis", cuius nemini licet esse ignarum, qui sedulo Platonem legere soleat. Nam et scriptor homo est, qui supra vulgus virorum doctorum sapiat, et argumentis utitur ad persuadendum aptissimis, et cum summa sagacitate ac diligentia undique collectis: accedit his rara hodie in terris virtus eleganter perspicueque scribendi. Contendit autem Teichmüllerus, Platonem intelligi non posse, nisi lector rationem habeat litium, quas ille cum aequalibus suis exercuerit: eam enim fuisse indolem Platonis, tamque eum suae sibi fuisse praestantiae conscium, ut ferre vix posset, alios docendae instituendaeque iuventutis munus suscipere, pessime vero odisset, contemneret, pro nihilo duceret omnes, qui doctrinam Socraticam discipulis suis tradere quum auderent, ad ipsius fastigium eniti non possent, ideoque non solum eam Socratis imaginem proponere non valerent, in qua omnes eius virtutes conspiceren-

tur, sed etiam summum virum ad se suamque mensuram detraherent, eumque suae stultitiae et imbecillitatis maculis aspergerent. Ingentem deinde locorum numerum indicat, neglectorum antea, ubi haud dubie illud Platonis studium alicuius adversarii exagitandi cernatur, omnesque Platonis dialogos docet non solum ideo scriptos esse, ut quae vera esset philosophia Socratica appareret, sed etiam simul alius refutaretur scriptor, qui Socratem aut male aut prorsus non intellexisset; in illoque bello gerendo specie quidem lenem esse et urbanum Platonem, revera tamen acerbissimum, cui nihil potius sit quam adversarium suum funditus evertere atque conficere. Quae omnia quum satis probabiliter demonstrarit Teichmüllerus, tamen nescio an de nullo Platonis dialogo rectius ita iudicarit, quam de Convivio. Quis enim accurate Platonicum Convivium legens et cum Xenophonteo comparans non quavis fere pagina sentit, illud conscriptum esse ab eo, qui cum summa indignatione cognoverit, ab homine aliquo de plebe scurriliter nugantem in quoddam convivium introductum esse Socratem, quem nemo nisi et ipse divina sit indole praeditus intelligere, et tamquam patrem summae caelestisque philosophiae admiranti humano generi proponere possit? Sentiuntur autem eiusmodi res; lectorem, qui non sentiat, nemo convincere poterit. Quid de utriusque Convivii tempore censeam, iam satis ex iis, quae dixi, apparet, satisque firma argumenta me afferre posse opinor, quibus sententiam meam defendam.

Credo ergo Xenophontis Convivium ante Platonicum editum esse, Platonemque suum librum scripsisse, ut Xenophontem refutaret, derideret, in aequalium contemptionem adduceret.

Sed antequam cur ita credam exponam, significare volo, me satis mirari non posse, clarissimum virum Groteum non

sentire, quod supra unumquemque sentire dicebam. Haec enim illius verba sunt (ex libri de Platone ceterisque Socratis familiaribus iterum editi Vol. III p. 26): „utrum Xenophontis an Platonis Convivium tempore sit posterius certo statui non potest, sed hoc certum videtur, illud quod postea scriptum est, non ad imitationem alterius esse compositum. Quae apud Xenophontem Pausaniae tribuuntur minime referenda sunt ad ea, quae apud Platonem Phaedrus Pausaniasque dicunt: quidni enim aliam Xenophon, aliam Plato Pausaniae sententiam praebeat? Dubito ergo utrum prior librum suum ediderit Plato an Xenophon. Conferatur Schneideri ad Xenophonteum Convivium praefatio." Non intelligo summum virum ita iudicare potuisse, sed ne eius quidem auctoritate a sententia mea depellor, quam nunc argumentis defendere conabor. Nam quod Groteus dicit fere eo redit, ut affirmet, nullam inter utrumque Convivium intercessisse rationem, idque cur prorsus incredibile videatur iam supra significavi. Aut ergo post Xenophontem scripsit Plato, et demonstrare studuit, maiorem fuisse Socratem, sublimioremque philosophiam docuisse, quam ut ab homine indocto imperitoque, qualis Xenophon esset, recte et pro meritis laudari posset, aut Xenophon, Platonico Convivio lecto, exemplo ex historia petito significare voluit, quam ridiculum istud fuerit Platonis studium divinae cuiusdam sapientiae Socrati tribuendae, et, quemadmodum Socrates dicitur philosophiam de coelo ad terras avocasse, sic ipsum Socratem, quocum Plato in altum evolaverat, ad homines reducere conatus est. Hoc si Xenophontem neque fecisse, neque facere voluisse demonstraverimus, unum illud restabit, quod de Platone statuimus. Operam igitur dabo, ut lectores meos convincam, Xenophontem neque Platonico Convivio suum opposuisse, neque omnino cognitum illud habuisse, videorque

mihi eius rei sex argumenta haud spernenda afferre posse

I. Apud Xenophontem convivae de variis rebus confabulantur, seria ridiculaque miscent, omni iocorum genere se invicem petunt, tandem solus Socrates de Amore orationem habet, eamque satis exilem ieiunamque; apud Platonem vero de nulla alia re agitur; pro suis quisque facultatibus ingenioque de uno illo argumento dicit, in Amore laudando inter se certant, omnes vincit Socrates docendo, qui sit verus philosophicusque Amor, atque artificio, quod humanum modum excedit, perfectae felicitatis et sapientiae statum describit, quo ille Amor homines sibi penitus deditos ducere possit. Quis autem unquam ita alieno libro suum opponere ausus est, ut leviter raptimque illud argumentum attingeret, in quo tota adversarii mens versata esset, quodque tam feliciter ille pertractasset, ut summis laudibus summaque admiratione nemini non dignus videretur? Nonne tamen id fecisset Xenophon, si Socratem de Amore disputantem inducendo Platonicum Convivium perstringere conatus esset?

II. Apud Platonem haec leguntur: *καὶ μαχόμενοί γε ἂν μετ' ἀλλήλων οἱ τοιοῦτοι νικῷεν ἂν ὀλίγοι ὄντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντας ἀνθρώπους*; verbis autem *οἱ τοιοῦτοι* significantur *ἐρασταί τε καὶ παιδικά*. Hic locus statim unicuique in mentem venire debet, qui apud Xenophontem legit: *καίτοι Παυσανίας γε ὁ Ἀγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστὴς ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ συγκαλινδουμένων* (Cobetus: *ἐγκαλ.*) *εἴρηκεν ὡς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν τε καὶ ἐραστῶν* (c. VIII, § 32). Olim, cum Xenophon Platonem reprehendere suo Convivio voluisse vulgo crederetur, viri docti dicere solebant (neque enim aliter explicare poterant, quae inter locos, quos citavi, intercederet ratio) non Pausaniam, sed ipsum Platonem a Xenophonte perstringi. Id verum si esset, miraculi instar esset, in nomine adducendo a Xenophonte errorem

esse commissum; quae enim apud Xenophontem Pausaniae tribuuntur, apud Platonem leguntur in Phaedri oratione. An forte consulto nomen mutavit Xenophon? Ut recte intelligas, planeque perspicias, ad quantas sit confugiendum ineptias ei, qui Platonico Convivio Xenophonteum oppositum fuisse credit, audi haec Cornarii verba, quem olim sequebantur omnes: „Quod autem non hanc Pausaniae opinionem eo loco reprobare voluerit, cuius scriptum etiam Athenaei saeculo ignotum fuit, et qui etiam apud nullum alium quam Platonem, de amatoribus et amatis loquens inducitur, sed ipsum Platonem per hoc notare instituerit, ex hoc clarum fit, quod ea Pausaniae verba apud Platonem habentur, non quidem in Pausaniae attributa oratione, sed in ea, quam Phaedro adscripsit: ut vel sic, ***ne Platonem reprehendere ab omnibus deprehenderetur***, ***Xenophon aliquatenus caverit***, (nam hoc certe neque apud Athenaeum animadversum est, apud quem nihil quidem horum Pausaniam dixisse habetur, non tamen in Phaedri oratione ea haberi indicatur), vel aliter scriptum Platonis Symposium habuisse iudicandus sit." Risum movet ista Cornarii coniectura de Xenophonte cavente, ne Platonem reprehendere ab omnibus deprehendatur. Quasi vero ipsa rerum natura vetaret, Platonem et Xenophontem apertas inter se exercuisse inimicitias et simultates! id quod et Athenaeus testatur et per se perquam est credibile. An forte summus philosophus egregiusque scriptor invidia iraque non tangitur? Corrumpitur historia ab iis, qui ita loquuntur: „quis hoc de tanto viro credere possit". Tamen ne nostro quidem tempore desunt qui, historici dum haberi volunt, istiusmodi locos in ore habeant.

III. Accedit aliquid, quod omnem de Xenophontis errore vel dissimulatione coniecturam tollat evertatque. Sequuntur enim apud Xenophontem haec (§ 34): *καὶ μαρτύρια δὲ*

ἐπήγετο ὡς ταῦτα ἐγνωκότες εἶεν καὶ Θηβαῖοι καὶ Ἠλεῖοι. Istud autem Eleorum Thebanorumque testimonium apud Platonem revera Pausanias affert, cui totum de amatoribus amatisque locum tribuit Xenophon. Ergo si Platonem perstringere voluisset Xenophon, ne in errore quidem sibi constitisse dicendus esset. An tam stupidum fuisse Xenophontem censendum est, ut quum, quem tandem reprehensione sua peteret, dissimulare vellet, alteram partem turpis cuiusdam sententiae, quam apud Platonem Phaedrus defendit Pausaniae assignaret, in altera parte afferenda consilii sui oblivisceretur? Explodenda quoque illa videtur de duplici Symposii Platonici recensione sententia, quam nunc etiam defendunt nonnulli. Qui enim nodum in scirpo quaerere nolit, is sic statuere non dubitabit: „unde ista nominum differentia nata sit, coniicere possumus, pro certo affirmare non possumus, sed hoc constat: Xenophontem, quum suum Convivium in lucem ederet, nullamdum Platonici Symposii paginam legisse vel legere potuisse."

IV. Apud Xenophontem haec leguntur (VIII, 9): *εἰ μὲν οὖν μία ἐστὶν Ἀφροδίτη ἢ διτταί, Οὐρανία τε καὶ Πάνδημος, οὐκ οἶδα· καὶ γὰρ Ζεὺς ὁ αὐτὸς δοκῶν εἶναι πολλὰς ἐπωνυμίας ἔχει.* Satis aperte, ut opinor, his verbis testatur Xenophon, se revera nescire, utrum duae sint Veneres, an una tantum, neque multum diuve de ea quaestione secum deliberasse, suamque ignorantiam Socrati tribuit. Simulque addit, qua re tandem aliquando adductus sit, ut paulisper ad eam rem animum suum adverteret. Sequuntur enim haec: *ὅτι γε μέντοι χωρὶς ἑκατέρᾳ βωμοί τε καὶ ναοί εἰσι καὶ θυσίαι, τῇ μὲν Πανδήμῳ ῥᾳδιουργότεραι, τῇ δὲ Οὐρανίᾳ ἁγνότεραι, οἶδα.* Nihil ergo, quod ad scientiam de duplici Veneris natura attinet, supra vulgus sapit Xenophonteus Socrates. Quis enim non de plebe homo, visis simulacris arisque, observatisque hominum in Venere

colenda ritibus, ad eiusmodi cogitationem adduci possit, quum praesertim cum ignorantiae confessione coniuncta ea sit? Tamque parum totam illam de duplici Venere quaestionem curat Xenophonteus Socrates, ut non tecte sed quam maxime perspicue significet, se, nisi inter convivas duo adfuissent, quorum amicitia sibi occasionem ansamque praeberet hunc locum tamquam ornamentum rhetoricum orationi suae inserendi, ne verbum quidem de illa dicturum fuisse. Ita enim pergit: *εἰκάσαις δ' ἂν καὶ τοὺς ἔρωτας τὴν μὲν Πάνδημον τῶν σωμάτων ἐπιπέμπειν, τὴν δ' Οὐρανίαν τῆς ψυχῆς τε καὶ τῆς φιλίας καὶ τῶν καλῶν ἔργων. ὑφ' οὗ δὴ καὶ σὺ, ὦ Καλλία, κατέχεσθαί μοι δοκεῖς ἔρωτος. τεκμαίρομαι δὲ τῇ τοῦ ἐρωμένου καλοκἀγαθίᾳ καὶ ὅτι σε ὁρῶ τὸν πατέρα αὐτοῦ παραλαμβάνοντα εἰς τὰς πρὸς τοῦτον συνουσίας.* Apud Platonem vero convivarum duo docte et copiose de utraque Venere disputant, et quid sibi duplex ista Deae natura velit, philosophice exponunt. Ergo *post* Platonem, *lectoque* eius Convivio Xenophontem ingenue suam esse confessum ignorantiam de ea re, cui explicandae ille tantum operae dederit, nemo, ut opinor, credere poterit. Absurdissimum vero omnium est arbitrari, Xenophontem nuda illa simplicique confessione se Platonem *refutare* putasse.

V. Quintum argumentum subtilius quibusdam videri possit; est vero tam grave, ut illo solo tota controversia dirimi posse videatur, dummodo eius vis satis accurate exponatur, quod ego facere conabor. Apud utrumque scriptorem locus est de Achille Patrocloque, sed alter ab altero diversa docet. Ipsa igitur verba citabo, quibus uterque utitur:

Xenophon: *Ἀχιλλεὺς Ὁμήρῳ πεποίηται οὐχ ὡς παιδικοῖς Πατρόκλῳ ἀλλ' ὡς ἑταίρῳ ἀποθανόντι ἐκπρεπέστατα τιμωρήσας.*

Plato: *Αἰσχύλος δὲ φλυαρεῖ φάσκων Ἀχιλλέα Πατρόκλου ἐρᾶν, ὃς ἦν καλλίων οὐ μόνον Πατρόκλου ἀλλὰ καὶ τῶν ἡρώων*

ἁπάντων, καὶ ἔτι ἀγένειος, ἔπειτα νεώτερος πολύ, ὥς φησιν Ὅμηρος.

Plato ergo docet, narrationem de Achille Patrocli amatore impudenter fictam esse a tragicis, qui ne res ab Homero quidem traditas corrumpere et in suum usum convertere religioni habuerint, indignaturque quod etiamnunc homines inveniantur tam indocti tamque inepti, qui istiusmodi tragicorum mendaciis quidquam tribuant. Ipsam enim rerum naturam obstare demonstrat, quominus credamus Patroclum fuisse Achillis amasium: imberbem enim etiam fuisse Achillem, multoque quam Patroclum minorem natu. Xenophon vero suam ipse ignorantiam prodit: apparet enim ei prorsus ignotum esse gravissimum illud et invictum argumentum, quod attulit Plato. Ergo tamquam si Patroclo natu maior fuisset Achilles, ideoque Patrocli amator *esse potuisset*, revera tamen non fuisse e rebus ab Achille post Patrocli mortem gestis demonstrare studet. Quis autem unquam tam ridiculus fuit, ut operam perderet argumentis afferendis, quare *improbabile* esset veram esse eam rem, quam iam alius quidam liquido demonstrasset, propter rerum naturam veram esse *non posse*, praesertim quum illius librum manibus teneret, illumque refutare et redarguere conaretur?

VI. Ultimum pono illud argumentum, quod nemini ignotum esse possit, quodque omnibus aeque grave et maximi momenti videri debeat. Postquam apud Platonem dixerunt omnes convivae, Alcibiades Bacchi plenus intrat, eamque Socratis, dum eum cum Marsya Satyro comparat, habet laudationem, quae et Socrati et Platoni aeterno sit futura honori. Nihil enim postea scriptum est, quod cum illa comparari possit. Quis autem Platonis aequalis tam ineptus esse potuit, ut *illa laudatione lecta* denuo aliquem, eumque ignotum hominem, induceret *in convivio* Socratem

laudantem, vel tam impudens et ab omni humanitatis sensu remotus, ut qua imagine Platonicus Alcibiades usus esset, quam tamquam monumentum aere perennius in Socratis honorem exigeret, eandem vel eius similem Critobulo, vano homini, tribueret, ad insulsos de Socrate movendos cachinnos? Tamen et apud Xenophontem, postquam Socrates dixit, eum ita laudat Autolyci pater: *νὴ τὴν Ἥραν, ὦ Σώκρατες, καλός γε κἀγαθὸς δοκεῖς μοι ἄνθρωπος εἶναι,* et Critobulus, a Socrate rogatus: „an et me formosior tibi esse videris", respondere non veretur: „*Νὴ Δία, ἢ πάντων Σειληνῶν τῶν ἐν τοῖς σατυρικοῖς αἴσχιστος ἂν εἴην.*"

Inde a renatis studiis humanioribus vix ullam inter philologos credo ortam esse controversiam, quae tot tamque gravibus posset dirimi et profligari argumentis, quam haec de Xenophonteo Platonicoque Convivio. Nam non solum sex illa argumenta, quae modo enumeravi, eiusmodi sunt, ut quo diutius tecum de iis deliberes, eo plus ponderis iis inesse penitus sentias, sed etiam hoc accedit, quod profecto rarissimum est, ut e neutro Convivio ullus iis locus opponi possit. Novi quidem saepissime argumentum quoddam afferri, quod cum mea sententia pugnare videatur, sed specie tantummodo illud alicuius est momenti, revera prorsus nihil valet.

Leguntur enim apud Xenophontem haec verba, quorum partem iam supra citavi: *καίτοι Παυσανίας γε ὁ Ἀγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστὴς ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ ἐγκαλινδουμένων εἴρηκεν ὡς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν τε καὶ ἐραστῶν .... καὶ μαρτύρια δὲ ἐπήγετο ὡς ταῦτα ἐγνωκότες εἶεν καὶ Θηβαῖοι καὶ Ἠλεῖοι κτέ.* Concedo quidem, facile fieri

posse ut, qui a Platonis lectione recens in hunc locum incidat, sibi persuadeat, eo ad Platonicum Convivium alludi. Etenim quod Pausaniae verba ita afferuntur, ut eius nomini, ne quis dubitet, de quo Pausania sermo sit, addantur verba „ὁ 'Αγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστής", primo aspectu ideo factum videtur, ut appareat scriptorem ad Platonis librum provocare. Neque mirandum esset, si nostri temporis hominum permulti istud Παυσανίας ὁ 'Αγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστής ita explicarent, quasi hoc dixisset Xenophon: „Pausanias, quem e Platonis Convivio norunt omnes". Hic tamen primum observandum est, Agathonem aequalibus suis notissimum fuisse tragicum poetam; satisque e Thesmophoriazusis Aristophaneis apparet parum faustos de eius pudicitia rumores in ore vulgi fuisse: quid ergo obstat, quominus censeamus, et de eius amatore Pausania famam per totam Graeciam sparsam fuisse? Ipse Plato non in Convivio solum, sed etiam alibi de illo amore loquitur (Prot. 315 E.). Deinde et hoc tenendum, Xenophontis Convivium haud dubie ad Socratem laudandum scriptum esse, ergo Xenophontem, quamquam omnium aequalium suorum posterorumque causa scriberet, tamen prae ceteris illos lectores ante oculos habuisse, qui secum Socratis familiaritate usi essent. In eo autem Socratis contubernio facile fieri potuit, ut Pausanias haud semel sed saepius sententiam aliquam de amore defenderet, ignotam ceteris, sed Socratis amicis notissimam [1]). Haud difficile est e Memora-

---

1) Non multos fore credo quibus magni momenti videatur hoc Schenklii argumentum (p. 45): „Xenophon, si Pausaniae sententiam notam omnibus Socratis amicis indicare voluisset („eine notorische Thatsache"), non perfecto εἴρηκε, verum aoristo εἶπεν usus esset, et haud dubie ποτέ addidisset." Quasi vero non, si locum Platonicum spectasset Xenophon, verbo εἴρηκεν addendum fuisset παρὰ Πλάτωνι, aut saltem adverbium loci που.

bilibus locos colligere, ubi Xenophon ad eas res alludat, quas soli Socratis familiares cognitas habere potuerint. Nam quod turpis sententiae, quam Pausaniae obiicit Xenophon, partem alteram non Pausaniae sed Phaedro tribuit Plato mihi perexigui momenti videtur ad eorum opinionem infirmandam, qui Platonem post Xenophontem Convivium suum scripsisse Xenophontisque Convivium antequam scriberet legisse censent, mirorque viros doctos, qui ita de ratione, quae inter utrumque Convivium intercedat, deque utriusque tempore statuunt, illam differentiam dignam habuisse, cui explicandae operam darent. Quorum Schenklius totum illum de Pausania locum postea a Xenophonte, quum iam Platonicum Convivium in lucem prodiisset, Convivio suo insertum esse coniicit, Roquettius Xenophontis de Pausania verba ad Platonem referenda esse negat ideoque Thierschio assentitur censenti Xenophontem λογὸν ἐρωτικόν a Pausania compositum spectasse. Operam mihi perdere videntur omnes, qui quamcunque tandem illius differentiae quaerunt explicationem. Fac enim verum esse quod dicebam, Platonem Xenophontis Convivium refutare voluisse: nonne ei licebat sententiam, quam Pausaniae tribuerat Xenophon, inter Pausaniam Phaedrumque dividere, nullamque fuisse causam, quare hoc facere Platoni luberet, contendere audebimus propterea quod, quae causa fuerit ignoramus?

Ut ergo in unum contraham, quae modo dicebam, quaeque supra disputavi, non dubito sic statuere: Platonem Xenophontis Convivio quum suum opponeret, quae apud Xenophontem tamquam Pausaniae sententia profertur, eius partem aliqua de causa, quamlibet obscura ignotaque nobis, Phaedro assignasse admodum est credibile; sed miraculi instar esset, Xenophontem Platonis vituperandi causa tamquam Pausaniae sententiam protulisse et improbasse eam, quam apud Plato-

nem in Phaedri oratione legisset, et ne in eo errore quidem sibi constitisse, quum sententiae argumentum ex ipsius Pausaniae oratione peteret.

Nunc ne quis eorum, qui me non norunt, fraudem me commisisse clamet, et aliena compilasse scrinia — suspicax enim nunc est Philologorum gens et ad turpissima quaeque credenda iusto propensior — palam profiteor, sex illa argumenta, quibus meam sententiam defendere conatus sum, iam multo ante nota esse potuisse omnibus, quam ego quidquam de Xenophonte scribere coepissem. Nullum enim eorum omisit Hugius in praeclara illa disputatione, quae in quinto volumine diarii, c. t. Philologus, legitur. Quodsi quis forte miratur, tamen illa me hic repetisse, hanc mei consilii rationem fuisse cognoscat. Hugius, quae est eius impensa doctrina atque ingenii sagacitas, ingentem collegit numerum locorum, e quibus appareret, ante Platonicum Convivium Xenophonteum scriptum editumque esse. Sed quoniam mihi magna illa argumentorum, tam leviorum quam gravissimorum, copia ad persuadendum minus apta videtur — nocent enim gravioribus leviora, iisque virium aliquid demunt — ea mihi potissimum eligenda atque seorsum afferenda esse visa sunt, quae maximi essent momenti: sic enim fore credebam, ut permultum ea valere quam maxime fieret perspicuum. Deinde et hoc demonstrare volebam, me, quum mecum sine ullo alieni libri adiumento de utroque Convivio, deque ratione, quae inter ea intercederet, deliberarem, eodem, quo Hugium, pervenisse idque iisdem praecipue argumentis, quod, quamvis levissimam meam esse auctoritatem sentiam,

tamen lectoribus haud iniucundum cognitu fore spero. Nullas enim in antiquis scriptoribus legendis curare soleo controversias, nisi quae se mihi ipsi offerant: si in legendo et ipse haereo et olim alios haesisse invenio, tamen recentiorum nullius disquisitiones lucubrationesque inspicere volo, priusquam meum ipse iudicium informarim. Quod mihi in Xenophonteo Convivio facienti accidit, quod modo dicebam: illud mecum statuebam, quod mox et Hugium cognovi statuisse, cuius disputationem legens illis fere solis movebar argumentis, quae plurimum valere mihi ipse antea persuaseram. Neque lectorem ea cognoscere cupientem ad Hugium relegare volebam: putabam enim, si paulo copiosius ea explicarem, — nam Hugio propter magnam copiam singula argumenta quam brevissime indicanda fuerunt — paululum iis accessurum roboris; meisque mihi verbis praeterea ideo utendum erat, quod modo Hugii de uno alteroque e sex illis argumentis sententia paulo mihi videbatur obscurior, modo leviter immutanda esse.

„Praeclaram" Hugii disputationem appellabam; et est profecto summis laudibus dignissima. Paucissimae commentationes Philologicae ei pares habendae sunt, praestare ei nullam puto. Duae tamen res sunt, in quibus mihi non prorsus satisfacit:

I. Hugius Platonem censet Xenophontem imitatum esse, et quum Convivium suum scriberet externam libri sui formam a Xenophonte esse mutuatum; artificia quaedam scribendi, quibus ille usus esset, in suum usum convertisse; quae ille obiter tantummodo indicasset cum cura et copiose

elaborasse; ut brevi dicam, Xenophontis Convivium stimulasse Platonem atque incitasse, ut in eodem genere suas experiretur vires, atque ita factum esse, ut duo illi libri praeter nomen tam multa habeant communia; nam paucissimis locis Platonem de industria sententiam aliquam Xenophontis correxisse et ipsum Xenophontem leniter et urbane perstrinxisse. Non satis accurate mihi ita describi videtur ratio, quae inter utrumque Symposium intercessit. Nam primum minime verisimile est Platoni, summo illi artifici, ut novam scribendi formam novumque libri genus excogitaret, cuiusquam exemplo opus fuisse. Non equidem nego Platonem ideo consilium cepisse „Convivium" aliquod scribendi, quum et Xenophontem librum eo nomine eaque forma in lucem edidisse cognovisset; sed hoc addo, eum illo consilio capto hoc sibi ante omnia proposuisse, ut demonstraret, quanto ipse exemplum suum superaret, vel potius quam ridicule et pueriliter Xenophon suo ipse invento usus esset. Non amicum quendam imitatur Plato, sed cum adversario proelium gerit acre et acerbum, eumque omnibus rationibus prorsus devincere et pervertere studet, hominumque contemptioni et derisioni tradere. Quid Platonem impulerit, ut prae ceteris Xenophontem eligeret, quem tam hostiliter aggrederetur, supra iam significavi: indignabatur enim Socratem, summum illum philosophum, cuius egregiam divinamque sapientiam praeter ipsum nemo capere et exponere valeret, tamquam ab inepto poeta sub scurrilis nugatoris persona in rusticorum militumque scenam quandam esse productum. Indignantem Platonem suum Convivium Xenophonteo opposuisse cum quaevis pagina clamat, tum praesertim illi ex utroque libro declarant loci, ubi de deformi Socratis figura facieque sermo instituitur. Qui plura cupiant, iis auctor sum, ut Teichmülleri librum perlegant relegantque: cognoscent

Athenaeum non quidem recte sensisse, quae fuerit inimicitiarum, quas cum Xenophonte exercuerit Plato, ratio, sed inimicitias inter illos *fuisse* veritati convenienter ab eo esse traditum.

II. Nimium, ut mihi quidem videtur, Hugius „historicae fidei", quam vocant, Xenophontis tribuit, vel potius parum recte eum illa Xenophontis virtute usum esse credo. Contendit enim omnia, quae de Calliae convivio narrantur, accurate sic gesta esse, ut Xenophon tradidit, temporumque rationem ab eo fideliter esse servatam. Istam Hugii sententiam non possum non acriter impugnare: si enim vera esset, non solum omnia abiicienda essent, quae capite primo huius libri de Xenophontis aetate disputavi — quae iactura sane levis esset — sed ad ineptissima quaeque delaberemur. Nam si Callias illud convivium in Autolyci honorem a. 422 paravit — quod haud spernendis argumentis Athenaeus demonstrat, neque Schneiderus, si recte eum intellexi, (paulo enim obscurior ea pars Schneiderianae disputationis est) negat — Xenophon, qui se illi convivio adfuisse narrat, post annum 440 natus non est: ergo eo tempore, quo se imperio nondum maturum dicit, annum aetatis quadragesimum agebat! Mirum est viros doctos unquam Convivio usos esse ad Xenophontis vitae annos constituendos: luce enim clarius est, Xenophontem in eo libro scribendo chronologiam minime curasse, siquidem et Socratem inducit semet ipsum πρεσβύτην appellantem, qui tunc temporis 47um aetatis annum agebat. Quanto prudentius rectiusque de historica Convivii fide iudicat Roquettius, cuius hic verba eorum gratia citabo, quibus egregia eius dissertatio de Xenophontis vita prae manibus non est: cognovi enim, neque miror, praestantissimi libelli iam esse divendita exemplaria: „temporum rationem non prorsus servavit, cum et

Niceratum, Niciae filium, rem familiarem administrantem faciat IV, 51, quod ille antequam pater a 413 in Sicilia periisset, non potuit, et Socratem *πρεσβύτην* dicat (II, 18), qui a 422, quadraginta septem annos natus esset. Sed ut haec excusentur equidem necessarium non duco. Omnino enim non Calliae convivium a Xenophonte narratum, sed ut Socratem in vino atque ioco optimum sodalem demonstraret, convivium fictum esse existimo, cui illam occasionem supposuerit. Se ipsum autem iis, quae narrat affuisse testari potuit, cum quae summa libelli est, colloquia de Amore serta ipse audivisset. Itaque argumenta chronologica ex Convivio et omnino ex dialogis philosophorum ducenda non esse puto." Hoc quoque Roquettio libentissime assentior, iniuria vulgo sperni haec Athenaei verba (V, 56 Mein.): *οὐδὲ ὁ καλὸς Ξενοφῶν* (sc. *παρὰ τοὺς χρόνους γράφων αἰσθάνεται*), *ὃς ἐν τῷ συμποσίῳ ὑποτίθεται Καλλίαν τὸν Ἱππονίκου Αὐτολύκου τοῦ Λύκωνος ἐρῶντα καὶ νενικηκότος αὐτοῦ παγκράτιον ἑστίασιν ποιούμενον, καὶ σὺν τοῖς ἄλλοις δαιτύμοσι παρόντα αὐτόν, τὸν ἴσως μηδὲ γεννηθέντα, ἢ περὶ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν ὑπάρχοντα.* Nam sit sane Athenaei iudicio parum fidendum; quare hac in re ei fidem non habeamus non video: non enim Athenaeum primum coniecisse opinor eo anno, quo Autolyci victoria celebrabatur, Xenophontem aut nondum natum aut admodum infantem fuisse, sed id ex aliorum libris, quos secutus est, petiisse. Quod autem de Xenophontis anno natali disputans ad illa Athenaei verba — quae egregie cum mea sententia conspirare quivis sentiet — non provocavi, eius rei haec causa est, quod ipsos illos viros doctos, quibus Athenaeus auctoribus utitur, non alicubi Xenophontis annum natalem traditum repperisse, sed eodem modo quo nos in eo indagando rem suam egisse putabam; i. e. *ex iis praesertim quae ipse Xenophon in Anabasi narrat illum*

annum computasse. Id autem ideo suspicor, quod Athenaeus quoque non pro certo affirmat, Xenophontem tempore convivii apud Calliam habiti nondum natum fuisse, neque ipsum aetatis annum, quem tunc agebat, tradit, sed breve quoddam temporis spatium liberum relinquit. Idem nobis faciendum est: non enim in Anabasi quo anno natus sit Xenophon narrat, sed se, quum Cyri copiarum in se reciperet imperium, admodum iuvenem fuisse tam perspicue significat, ut nulla iam restet dubitatio.

CAPUT DECIMUM.

Ad Convivii Xenophontei locos nonnullos annotationes criticae.

Caput I, 8. *Αὐτόλυκος μὲν οὖν παρὰ τὸν πατέρα ἐκαθέζετο, οἱ δὲ ἄλλοι ὥςπερ εἰκὸς κατεκλίνησαν.* Verba *ὥςπερ εἰκός* iam Ernestio displicuerunt; neque ea probavit Schneiderus, qui Aristidem, a quo hic locus laudatur, eum sic in exemplari suo habuisse credit: *Αὐτόλυκος μὲν οὖν παρὰ τὸν πατέρα ἐκαθέζετο, ὥςπερ εἰκός, οἱ δὲ ἄλλοι κατεκλίνησαν.* Id si Xenophon voluisset, credo eum scripturum fuisse: *Αὐτόλυκος μὲν οὖν ὥςπερ εἰκὸς παρὰ τὸν πατέρα ἐκαθέζετο κτἑ.* Ne hanc quidem lectionem, si editiones praeberent, equidem probarem. Recte quidem inter se opponerentur verba *ἐκαθέζετο* et *κακεκλίνησαν* — quae oppositio etiam in vulgata lectione inest —, puerque *assedisse*, maiores vero natu *accubuisse* dicerentur, sed iniuria totius sententiae emphasis in ea verba caderet. Nam non ante omnia hoc docendi erant lectores, Autolycum assedisse, ceteros accubuisse: de more enim id fiebat, neque quidquam ea res habet, quod non sponte quivis intelligat. Recte quidem ergo sensit Schneiderus, absurdissime verbo *κατεκλίνησαν* istud

ὥςπερ εἰκός addi, estque eius lectio haud dubie vulgata paulo minus inepta. Sed, quod dicebam, Schneideri quoque coniectura displicet, quia ea recepta tantummodo id narraretur, quod omnes Xenophontis aequales scire possent, sileretur autem de ea re, quae in narratione de convivio minime erat omittenda. Non enim lector ante omnia hoc rogat, sitne servatus vetus ille mos, quo pueris sedendum, maioribus natu accumbendum erat, sed *quo loco* hi accubuerint, assederint illi. Nunc Xenophon de uno Autolyco hoc narrat, de ceteris tacet, nihilque verba παρὰ τὸν πατέρα habent, quod iis opponatur. Ernesto ergo potius quam Schneidero assentior: censet enim ille „verba ὡς εἰκός aut corrigenda esse, aut ita interpretanda, quasi ὡς ἔτυχον scriptum fuisset a Xenophonte", non quod non videam, ὡς εἰκός non posse id significare, quod vult Ernestus, sed quia recte intellexisse videtur, quae sententia hoc loco requiratur. Restat ergo, ut verba ὡς εἰκός corrupta esse censeam: pro iis enim legendum existimo εἰκῇ: Autolycus iuxta patrem assedit, ceteri omnes, ubi cuique lubebat, accubuerunt. Nunc demum plane dignus locus est ea laude, quam ei tribuit Aristides: τὸ μὴ ἐπεξεργασίᾳ χρήσασθαι.

I, 12. Post aliquod tempus Philippus ad fores adstat, qui, quum vocatus non sit, a Callia petit ut admittatur. Utitur autem iste homo naturae suae convenienter — est enim γελωτοποιός — non precibus, sed iocis, iisque frigidissimis: συνεσκευασμένος δὲ ἔφη παρεῖναι πάντα τὰ ἐπιτήδεια ὥστε δειπνεῖν τἀλλότρια, καὶ τὸν παῖδα δὲ ἔφη πάνυ πιέζεσθαι διὰ τὸ φέρειν μηδὲν καὶ διὰ τὸ ἀνάριστον εἶναι. Tum Callias ad convivas: ἀλλὰ μέντοι, ὦ ἄνδρες, αἰσχρὸν στέγης γε φθονῆσαι· εἰςίτω οὖν. καὶ ἅμα ἀπέβλεψεν εἰς τὸν Αὐτόλυκον, δῆλον ὅτι ἐπισκοπῶν τί ἐκείνῳ δόξειε τὸ σκῶμμα εἶναι. Multas molestias ultima verba, quae citavi viris doctis exhibuerunt, quorum alii voabulum

σκῶμμα ad Calliae dictum referendum esse censebant, qui ergo diu frustraque quaesiverunt, quis tandem iocus eius verbis inesset, operamque dederunt, ut quocunque tandem modo ex iis aliquid extorquerent, quod σκώμματος simile esset. Ita Langium putasse narrat Schneiderus, verba στέγης γε φθονῆσαι cum vultu misericordiae contemptusque pleno pronunciata fuisse. Magis etiam ridiculum est, quod nescio cui in mentem venit, qui olim Schneiderianae editionis exemplari usus est, quod ego nunc habeo; annotat enim: „latet in hoc σκώμματι aliquid obscoeni". Alii vocabulum σκῶμμα ad Philippi dicta pertinere putarunt. Sed neque singulari numero illa significari potuerunt, neque interiecto Calliae responso omittendum erat Philippi nomen. Et quid tandem Calliae intererat, utrum amasio suo scurrae istius ioci placerent an non placerent? Verum ne Graece quidem dici posse credo: τί σοι δοκεῖ τὸ σκῶμμα εἶναι, hoc sensu: satisne lepidus tibi hic iocus videtur. Credo ergo verba τὸ σκῶμμα εἶναι ab inepto quodam homine adscripta esse, qui non intelligeret, quid sibi vellet τί αὐτῷ δοκοίη, et ne eam quidem sententiam, quam iis verbis subesse falso putaret, bene Graece enuntiare valeret. Aspiciebat enim Autolycum Callias, ut ex eius vultu appareret, quid ei *de admittendo Philippo* videretur, quumque eum non obstare intellexisset, verbis εἰςίτω οὖν servis imperavit, ut Philippo intrare permitterent. Nam, id quod dicebam, non vetasse Autolycum, facile ἀπὸ τοῦ σιωπωμένου intelligitur.

I, 15. Conatur iocosis quibusdam dictis risum movere convivis Philippus: ubi rem parum sibi succedere cognoscit ἐν τῷ μεταξὺ παυσάμενος τοῦ δείπνου συγκαλυψάμενος κατέκειτο. Tum Callias: τί τοῦτο ὦ Φίλιππε; ἀλλ' ἢ ὀδύνη σε εἴληφε; Post σε inserendum esse credo pronomen indefinitum τις.

Caput II, 10. Rogatus ab Antisthene: „quidni et ipse

uxorem tuam educas? Nam nunc quidem uxorem habes omnium quotquot sunt et fuerunt et etiam, ut opinor, futurae sunt, molestissimam." Socrates respondet: „ὅτι ὁρῶ καὶ τοὺς ἱππικοὺς βουλομένους γενέσθαι οὐ τοὺς εὐπειθεστάτους ἀλλὰ τοὺς θυμοειδεῖς ἵππους κτωμένους." Recte *superlativus* εὐπειθεστάτους articulum habet; opponendum est aut τοὺς θυμοειδεστάτους, aut (id quod Xenophontem dedisse opinor) θυμοειδεῖς sine articulo.

II, 14. Νὴ Δί', ἔφη (ὁ Φίλιππος), καὶ μὴν ἔγωγε ἡδέως ἂν θεῴμην Πείσανδρον τὸν δημηγόρον μανθάνοντα κυβιστᾶν εἰς τὰς μαχαίρας, ὃς νῦν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι λόγχαις ἀντιβλέπειν οὐδὲ συστρατεύεσθαι ἐθέλει. Magna pars ioci admodum lepidi perit inepta ista magistelli cuiusdam annotatione τὸν δημηγόρον. Credo enim Philippum tamquam de homine nemini aequalium ignoto locutum esse.

II, 17. Ubi Socrates se a Syracosio saltandi artem discere velle significat, in risum omnes erumpunt. Tum ille: „quid ridetis" rogat „πότερον ἐπὶ τούτῳ εἰ βούλομαι .... ἢ εἰ τοιούτων γυμνασίων ἐπιθυμῶ, μὴ ὥσπερ οἱ δολιχοδρόμοι τὰ σκέλη μὲν παχύνονται, τοὺς ὤμους δὲ λεπτύνονται, μηδὲ ὥσπερ οἱ πύκται τοὺς μὲν ὤμους παχύνονται, τὰ δὲ σκέλη λεπτύνονται, ἀλλὰ παντὶ διαπονῶν τῷ σώματι πᾶν ἰσόρροπον ποιεῖν." Male hanc sententiam cohaerere infinitivus ποιεῖν declarat: nihil enim praecedit, quo ille referatur; exspectes potius: τοιούτων γυμνασίων ἐπιθυμῶ ἵνα .... ποιῶ. Sed illud ipsum τοιούτων γυμνασίων ἐπιθυμῶ absurdum est: non enim ipsius exercitationis cupidus est Socrates, sed bonae valetudinis, robustique corporis ceterarumque rerum, quas exercitatio affert. Lenissima emendatione sententiam, quae primo aspectu lacunosa vel graviter corrupta videri possit, me in integrum restituere posse credo. Legendum enim censeo τοιούτοις γυμνασίοις pro τοιούτων γυμνασίων. Ita infinitivus ποιεῖν recte cum ἐπιθυμῶ iunctus erit

et suum sibi habebit „ablativum instrumenti", ceteraque sententia optime decurret. Nam *μὴ ὥσπερ οἱ δολιχοδρόμοι .... παχύνονται* usitatissima brevitate dictum erit pro: (*ἐπιθυμῶ .... ποιεῖν*) *καὶ μὴ ποιεῖν ὥσπερ οἱ δολιχοδρόμοι .... οἳ παχύνονται*. Quae constructio quamvis sit frequentissima, tamen pauca quaedam exempla adscribere lubet:

Plato Conv. 179 E: *καὶ ἐποίησαν τὸν θάνατον 'Ορφέως ὑπὸ γυναικῶν γενέσθαι, οὐχ ὥσπερ 'Αχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος υἱὸν ἐτίμησαν*, pro: *καὶ οὐχ ὥσπερ τὸν 'Αχιλλέως .... ὃν ἐτίμησαν.*

Xen. Oec. XV, 10: *οὐχ ὥσπερ γε τὰς ἄλλας τέχνας κατατριβῆναι δεῖ μανθάνοντας πρὶν ἄξια τῆς τροφῆς ἐργάζεσθαι τὸν διδασκόμενον οὕτω καὶ ἡ γεωργία δύσκολός ἐστι μαθεῖν*, pro: *οὐχ ὥσπερ αἱ ἄλλαι τέχναι, ἃς κατατριβῆναι δεῖ μανθάνοντας κτέ.*

Lysias XXXI, 9: *οὐδὲ ὥσπερ ἔνιοί τινες τῶν πολιτῶν μετεβάλοντο, ἐπειδὴ ἑώρων τοὺς ἀπὸ Φυλῆς εὐτυχοῦντας, οὐδὲ τούτων τι τῶν εὐτυχημάτων ἠξίωσε μετασχεῖν*, pro *ὥσπερ ἔνιοί τινες τῶν πολιτῶν ἐποίησαν — οἳ μετεβάλοντο.*

II, 20. Socratis deformitatem ita ridet Philippus: *οὕτω τὰ σκέλη τοῖς ὤμοις φαίνει ἰσοφόρα ἔχειν ὥςτε δοκεῖς ἐμοί, κἂν εἰ τοῖς ἀγορανόμοις ἀφιστῴης ὥσπερ ἄρτους τὰ κάτω πρὸς τὰ ἄνω ἀζήμιος ἂν γενέσθαι.* Frustra se exercuerunt viri docti in explicando *ἀφιστῴης*. Barbara enim forma est, neque si legitimam *ἀφισταίης* restituas, ullus aptus sensus ex eo verbo possit elici: minime vero omnium, quid sibi velit dativus *τοῖς ἀγορανόμοις* dicere quisquam possit. Non dubito quin Xenophon scripserit: *ἀφιστάναι δοίης*, quia sic et dativus *τοῖς ἀγορανόμοις* habebit unde pendeat, et aptissima nascetur sententia: fingo enim olim pistoribus panes ad agoranomos ferendos fuisse, ut ex eorum comparatione appareret, panes, qui eodem pretio venirent, etiam eodem esse pondere. Id ipsum enim „duarum rerum pondus inter se comparare" egregie significatur locutione *ἀφιστάναι τι πρός τι.*

II, 21. „Agedum" Philippus inquit „mihi quoque tibicen canat ut et ipse saltem". ἐπειδὴ δὲ ἀνέστη, διῆλθε μιμούμενος τήν τε τοῦ παιδὸς καὶ τὴν τῆς παιδὸς ὄρχησιν. Num sanum sit ἀνέστη vehementer dubito. Nam absurdissime de Philippo dictum esset: quis enim non de lectulo surgit, antequam saltare incipiat? Neque tibicen eius verbi subiectum esse potest, quia non postquam ille *surrexit*, sed postquam *canere coepit*, puer et puella cum iisque Philippus saltandi initium fecerunt. Quid legendum sit nescio.

Caput III, 4. Ubi Callias se homines meliores reddere posse professus est, Antisthenes rogat: „πότερον τέχνην τινὰ βαναυσικὴν ἢ καλοκἀγαθίαν διδάσκων;" Statim nunc sequitur: εἰ καλοκἀγαθία ἐστὶν ἡ δικαιοσύνη. *Calliam* hoc respondisse demonstrant sequentia, ex ipsis verbis id non satis apparet, neque si appareret integrum esset responsum, ut opinor. Ergo locus sic supplendus videtur: καλοκἀγαθίαν, ἔφη, εἰ καλοκἀγαθία ἐστὶν ἡ δικαιοσύνη.

Caput IV, 8. Niceratum, qui ceparum usum laudaverat, sic deridet Charmides: ὦ ἄνδρες, ὁ Νικήρατος κρομμύων ὄζων ἐπιθυμεῖ οἴκαδε ἐλθεῖν, ἵνα ἡ γυνὴ αὐτοῦ πιστεύῃ μὴ διανοηθῆναι μηδένα ἂν φιλῆσαι αὐτόν. Rectissime Cobetus pro μὴ διανοηθῆναι correxit μηδὲ διανοηθῆναι. Sed leve mendum restat: quum enim sententia sit: „ut uxor eius confidat de eo exosculando ne cogitasse quidem quemquam" nullus particulae ἂν locus est. Lubet lepidissimos quosdam ex Aristophanis Thesmophoriazusis (493—496) versus afferre, ubi de eadem re agitur:

.... ὅταν μάλισθ' ὑπό του ληκώμεθα
τὴν νύχθ', ἕωθεν σκόροδα διαμασώμεθα
ἵν' ὀσφρόμενος ἀνὴρ ἀπὸ τείχους εἰσιὼν
μηδὲν κακὸν δρᾶν ὑποτοπῆται.

Nemo enim hic, etiamsi metrum permitteret, lectionem *μηδὲν ἂν δρᾶν* probaret.

Ib. Laudaverat Niceratus verba Homerica: *ἐπὶ δὲ κρόμυον ποτῷ ὄψον*. Observat igitur Socrates: *ὄψον μὲν γὰρ δὴ ὄντως ἔοικεν εἶναι, ὡς κρόμμυόν γε οὐ μόνον σῖτον ἀλλὰ καὶ ποτὸν ἡδύνει.* Locum sensu cassum sic refingendum esse censuit Schneiderus: *ὄψον μὲν γὰρ δὴ οὕτως* (lege *ὄντως*) *ἔοικεν εἶναι τὸ κρόμμυον, ὥςτε οὐ μόνον ποτὸν ἀλλὰ καὶ σῖτον ἡδύνειν.* Hanc sententiam requiri nemo negare potest, sed habent hoc Schneiderianae coniecturae, ut a Xenophontis editoribus negligantur non minus quam Reiskianae ab iis, qui Oratoribus Atticis operam dant. Mira res est sed vera.

In iis quae statim sequuntur: *εἰ δὲ δὴ τοῦτο καὶ μετὰ δεῖπνον τρωξόμεθα, ὅπως μὴ Φήσει τις ἡμᾶς πρὸς Καλλίαν ἐλθόντας ἡδυπαθεῖν*, vocabula *εἰ δὲ δή* sententiam habere videntur Latinorum „quid si?" Non tamen memini me ea et alibi sic posita legere.

IV, 12. *νῦν γὰρ ἐγὼ* (Critobulus inquit) *Κλεινίαν ἥδιον μὲν θεῶμαι ἢ τἄλλα πάντα τὰ ἐν ἀνθρώποις καλά· τυφλὸς δὲ τῶν ἄλλων ἁπάντων μᾶλλον δεξαίμην ἂν εἶναι ἢ ἐκείνου καὶ ἑνὸς ὄντος.* Verbo monuisse satis esse opinor, ferri hic non posse particulam *καί*.

IV, 41. Antisthenes paupertatem suam et aliis laudat argumentis et hoc: *καὶ πολὺ πλεῖον διαφέρει πρὸς ἡδονήν, ὅταν ἀναμείνας τὸ δεηθῆναι προςΦέρωμαι ἢ ὅταν τινὶ τῶν τιμίων χρῶμαι.* Et abundantia et defectu haec verba laborant. Quum enim *πολὺ διαΦέρει* significet: multo praestat, multo melius est, *πολὺ πλεῖον διαΦέρει* nusquam adhiberi potest, nisi ubi *duplex* instituitur comparatio; ergo hoc loco vocabulum *πλεῖον* vitiose abundat. Sed deest pars sententiae, quae recte opponi possit verbis *τινὶ τῶν τιμίων*. Dicit enim Antisthenes: multo mihi ad iucunditatem praestat, quum *exspectata fame* (hoc

enim est ἀναμείνας τὸ δεηθῆναι) προςφέρωμαι, quam quum aliquo cibo exquisito utar. Tum demum aliquid dicet, quod aptum praebeat sensum, si post προςφέρωμαι insertum erit τι τῶν φαύλων, vel τῶν ἀρκούντων, vel eiusmodi aliquid. Nam neque verbum προςφέρωμαι sic sine obiecto poni potest, et hoc vult Antisthenes: „non Siculae dapes dulcem elaborabunt saporem", sed fames etiam quotidianis cibis condimento est.

IV, 45. Ubi Antisthenes finem fecit suam paupertatem laudandi, Callias eum felicem praedicat, et alias ob causas, et quod nemo ei succensurus sit, quod aliquam rem noluerit mutuo dare. Tum Niceratus: „ἀλλὰ μὰ Δία μὴ ζήλου· ἐγὼ γὰρ ἥξω παρ' αὐτοῦ δανεισόμενος τὸ μηδενὸς προςδεῖσθαι. Vulgatam lectionem δανεισάμενος in δανεισόμενος mutavit Schneiderus, sed nescio an vitium, quod corrigere volebat, etiam auxerit. Satis enim, ut opinor, perspicuum est, quum inter se iungenda sint ἥξω et δανεισόμενος, pro παρ' αὐτοῦ requiri πρὸς αὐτόν. Nemo enim dicit: „venio *a te* petitum" pro „venio *ad te* petitum", sive Graece: „ἥκω παρὰ σοῦ αἰτήσων" pro „ἥκω πρὸς σὲ αἰτήσων". Sed Schneiderus vim verbi ἥκειν non recte perspexisse videtur; est enim *redire*; itaque vulgata lectio Schneideri coniecturae multo praestat. Non tamen δανεισάμενος Xenophontem scripsisse credo, sed unice verum videtur participium perfecti δεδανεισμένος. Hoc enim dicit Niceratus: „ego ab Antisthene non redibo (sive, quod fere idem est, non abibo) priusquam mihi mutuo dederit τὸ μηδενὸς προσδεῖσθαι".

IV, 50. Οὗτος μὲν δὴ ὁ λόγος οὕτως ἐσπουδαιολογήθη. ἐπειδὴ δὲ εἰς τὸν Φίλιππον ἧκον, ἠρώτων αὐτὸν τί ὁρῶν ἐν τῇ γελωτοποιίᾳ μέγα ἐπ' αὐτῇ φρονοίη. Qui tandem illi homines sunt, qui ad Philippum *veniebant*? Convivaene? At illi una erant; neque, ut opinor, ei id, quod rogabant, in aurem insusurrabant.

Quantocius corrige ἧκεν (sc. ὁ λόγος): quum ex constituto ordine Philippo dicendum esset.

IV, 60. Rogavit Socrates, uter leno melior esset ὁ ἑνὶ δυνάμενος ἀρεστοὺς ποιεῖν ἢ ὅστις καὶ πολλοῖς. Respondent alii δῆλον ὅτι ὅστις πλείστοις, alii πάνυ μὲν οὖν. Tum sequuntur haec: ὁ δὲ (Socrates) εἰπὼν ὅτι καὶ τοῦτο ὁμολογεῖται ἔφη, εἰ δέ τις καὶ ὅλῃ τῇ πόλει ἀρέσκοντας δύναιτο ἀποδεικνύναι, οὐχ οὗτος παντελῶς ἂν ἤδη ἀγαθὸς μαστροπὸς εἴη; Ex convivarum responsis efficit Socrates, de iis, quae antehac dixit, iam inter omnes constare, i. e. *convenisse* inter omnes, *assensos esse* omnes. Tum illo assensu amicorum usus demonstrare pergit. Totus ergo locus, quem citavi, sic refingendus videtur: ὁ δὲ εἰπὼν ὅτι καὶ τοῦτο ὡμολόγηται, εἰ δέ τις, ἔφη, καὶ ὅλῃ τῇ πόλει ἀρέσκοντας δύναιτο ἀποδεικνύναι, οὐχ οὗτος παντελῶς ἂν ἤδη ἀγαθὸς μαστροπὸς εἴη; Nam praeter vitium, quod in verbo ὁμολογεῖται est, etiam ἔφη loco est motum.

Caput V, 4. Socrates primum demonstrat, permultas res esse, quae quamvis sint diversae, tamen omnes καλαί dici possint; tum rogat: πῶς οἷόν τε ταῦτα μηδὲν ὅμοια ὄντα ἀλλήλοις πάντα καλὰ εἶναι; Respondet Critobulus: ἢν νὴ Δία πρὸς τὰ ἔργα ὧν ἕνεκα ἕκαστα κτώμεθα εὖ εἰργασμένα ᾖ, ἢ εὖ πεφυκότα πρὸς ἃ ἂν δεώμεθα καὶ ταῦτα καλά. Probandum esset hoc responsum, si Socrates certum quoddam rerum genus protulisset, quas pulchras appellari plerisque absurdum videri necesse sit, Critobulumque rogasset num et illae pulchrae essent; quemadmodum ipse Mem. III, 8, 6 ab Aristippo interrogatus esse dicitur: „ἆρ' οὖν καὶ κόφινος κοπροφόρος καλόν ἐστι;" Nam tum demum recte Critobulus uteretur particula καί in verbis καὶ ταῦτα καλά. Nunc, quoniam Critobulo explicandum est, qui fiat, ut res diversissimae tamen omnes καλαί esse possint, Xenophontem ita scripsisse opinor: ἃ ἂν νὴ Δία πρὸς τὰ ἔργα ὧν ἕνεκα ἕκαστα κτώμεθα εὖ εἰργασ-

μένα ᾖ, ἢ εὖ πεφυκότα πρὸς ἃ ἂν δεώμεθα, ταῦτ' ἔφη ὁ Κριτόβουλος καλά.

V, 6 sq. Quid Dindorfium et Schenklium moverit, ut hanc colloquii partem aliter inter colloquentes distribuerent, quam in Schneideriana editione factum est, prorsus me latet. Ita enim Schneiderus edidit (personarum notam ego addidi):

Cr. *εἶεν, ἔφη· τῶν δὲ ῥινῶν ποτέρα καλλίων, ἡ σὴ ἢ ἡ ἐμή;*

So. *ἐγὼ μὲν, ἔφη, οἶμαι, τὴν ἐμήν, εἴπερ γε τοῦ ὀσφραίνεσθαι ἕνεκα ἐποίησαν ἡμῖν ῥῖνας οἱ θεοί. οἱ μὲν γὰρ σοὶ μυκτῆρες εἰς γῆν ὁρῶσιν, οἱ δὲ ἐμοὶ ἀναπέπτανται, ὥστε τὰς παντόθεν ὀσμὰς προσδέχεσθαι.*

Cr. *τὸ δὲ δὴ σιμὸν τῆς ῥινὸς πῶς τοῦ ὀρθοῦ κάλλιον;*

So. *ὅτι, ἔφη, οὐκ ἀντιφράττει, ἀλλ' ἐᾷ εὐθὺς τὰς ὄψεις ὁρᾶν ἃ ἂν βούλωνται· ἡ δὲ ὑψηλὴ ῥὶς ὥσπερ ἐπηρεάζουσα διατετείχικε τὰ ὄμματα.*

Cr. *τοῦ γε μὴν στόματος, ἔφη ὁ Κριτόβουλος, ὑφίεμαι. εἰ γὰρ τοῦ ἀποδάκνειν ἕνεκα πεποίηται, πολὺ ἂν σὺ μεῖζον ἢ ἐγὼ ἀποδάκοις.*

So. *διὰ δὲ τὸ παχέα ἔχειν τὰ χείλη οὐκ οἴει καὶ μαλακώτερόν σου ἔχειν τὸ φίλημα;*

Cr. *ἔοικα, ἔφη, ἐγὼ κατὰ τὸν σὸν λόγον καὶ τῶν ὄνων αἴσχιον τὸ στόμα ἔχειν.*

So. *ἐκεῖνο δὲ οὐδὲν τεκμήριον λογίζει ὡς ἐγὼ σοῦ καλλίων εἰμί, ὅτι καὶ Ναΐδες θεαὶ οὖσαι τοὺς Σειληνοὺς ἐμοὶ ὁμοιοτέρους τίκτουσιν ἢ σοί;*

Ne verbo quidem opus esse opinor, ut demonstrem sic utrique loquentium suum tribui.

Caput VI, 9. Locum saepe tentatum paulo emendatiorem reddi posse existimo pro *τοῖς πᾶσι καλοῖς* scribendo *τοῖς παγκαλοῖς*. Tamen vel sic in sequentibus me non plane intelligere fateor, quid sit *εἰ πάντ' αὐτοῦ βελτίω φῄς εἶναι.*

Caput VIII, 1. In ipso exordio orationis, quam Socrates

habet, absurdum me deprehendisse vitium credo. Sic enim rogat: *ἆρ' εἰκὸς ἡμᾶς παρόντος δαίμονος μεγάλου καὶ τῷ μὲν χρόνῳ ἰσήλικος τοῖς ἀειγενέσι θεοῖς, τῇ δὲ μορφῇ νεωτάτου, καὶ μεγέθει μὲν πάντα ἐπέχοντος, ψυχῇ δὲ ἀνθρώπου ἐνιδρυμένου, Ἔρωτος, μὴ ἀμνημονῆσαι*; hoc est: ***num*** aequum est nos Amoris ***non*** esse immemores? sive, quod eodem redit, affirmat Socrates, aequum esse, se amicosque Amoris esse immemores. Quantocius ergo expellendum est vocabulum *μή*.

VIII, 2. *Κριτόβουλός γε μὴν καὶ νῦν ἐρώμενος ὢν ἤδη ἄλλων ἐπιθυμεῖ.* Iure displicuit Schneidero participium *ὤν* post participium *ἐρώμενος* positum. Credo totum istud *ἐρώμενος ὤν* olim in margine annotatum fuisse a sciolo sermonis Graeci parum perito ad explicandum *καὶ νῦν ἤδη*.

VIII, 12. Ubi Socrates castum Calliae amorem laudavit, Hermogenes: *νὴ τὴν Ἥραν, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἄλλα τέ σου πολλὰ ἄγαμαι καὶ ὅτι νῦν ἅμα χαριζόμενος Καλλίᾳ καὶ παιδεύεις αὐτὸν οἷόνπερ χρὴ εἶναι.* Adverbium *ἅμα* participio *χαριζόμενος* additum non fert coniunctionem *καί*, quae nunc verbum *παιδεύεις* praecedit. cf. Cyrop. V, 2, 22: *ἅμα προιὼν ἐπεσκοπεῖτο.*

VIII, 17. *πρὸς δὲ τούτοις πιστεύοι μήτ' ἂν παρά τι ποιήσῃ μήτ' ἂν καμὼν ἀμορφότερος γένηται, μειωθῆναι ἂν τὴν φιλίαν.* Pro corrupto *παρά τι ποιήσῃ* Cobetus coniecit *παρακμάσῃ*, quod ad sententiam attinet, egregie; sed paulo probabilius videtur *παρηβήσῃ*.

VIII, 29. *τὸν δὲ ἐκ τοῦ σώματος κρεμάμενον διὰ τί ἀντιφιλήσειεν ἂν ὁ παῖς . . . . ἢ διότι ἃ σπεύδει πράττειν παρὰ τῶν παιδικῶν, εἴργει μάλιστα τοὺς οἰκείους ἀπὸ τούτων*; Nihili est *πράττειν παρὰ τῶν παιδικῶν*. Requiritur, ut opinor, *πράττεσθαι* pro *πράττειν*. Nam quod *ὁ ἐκ τοῦ σώματος κρεμάμενος* ab amasio suo vult *impetrare*, id quam maxime insciis illius propinquis perficere conatur.

Caput IX, 6. Puer et puella, quos secum adduxit Syracosius tam egregrie Bacchi et Ariadnae amorem imitantur ut summam spectantium moveant admirationem: *ἐῴκεσαν γὰρ οὐ δεδιδαγμένοις τὰ σχήματα ἀλλ' ἐφειμένοις πράττειν ἃ πάλαι ἐπεθύμουν*. Verbum *ἐφιέναι* idem quod latinum „permittere" significare non ignoro. Num tamen *ἐφίεμαι* recte dicatur pro: mihi permittitur, vehementer dubito. Nullum verbi *ἱέναι* compositum hic aptius poneretur, quam *ἀνιέναι*. Solent enim inter se opponi, quae pueri puellaeque sub magistri oculis faciunt, et quae *ἀνειμένοι* faciunt. Cf. Plato, Lach. c. 1: *ἡμῖν οὖν .... δέδοκται .... μὴ ποιῆσαι ὅπερ οἱ πολλοί, ἐπειδὴ μειράκια γέγονεν, ἀνεῖναι αὐτοὺς ὅ, τι βούλονται ποιεῖν, ἀλλὰ νῦν δὴ καὶ ἄρχεσθαι αὐτῶν ἐπιμελεῖσθαι.*

CAPUT UNDECIMUM.

De Agesilao libello.

τίς ἀλκὴ τὸν θανόντ' ἐπικτανεῖν;

Semel iterumque in praecedentibus, ubi de aliquo loco iudicium ferebam eiusque sermonem enuntiationemque vel laudabam vel reprehendebam, non argumentis solidis firmisque eam laudem reprehensionemve defendere sum conatus, sed quid eleganter, quid inepte dictum esset, sentiri magis quam certo demonstrari posse significavi. Idem plerumque fere dicendum est illi, qui aliquem librum non ab eo conscriptum esse, cuius nomen gerat, contendit. Argumenta enim is afferet aut pauca aut multa, sed tum demum iis colligendis proponendisque operam dabit, ubi aures pulchrique sensus eum admonuerunt subdititium esse librum, de quo agitur. Agesilai quoque, quem tot viri docti tanta argumentorum copia Xenophonti abiudicarunt, eandem causam esse, quamvis mirum id multis videatur, mihi pro certo constat. Credo enim plerosque idoneos de eiusmodi rebus iudices, ubi in perlegendis Xenophontis libris ad Agesilaum pervenerint, cum quadam indignatione istum libellum e ma-

nibus abiecisse, secumque ita esse locutos: „quis non *sentit* eiusmodi ineptias Xenophonte indignas esse?" Deinde illos solos se in argumentis conquirendis exercuisse opinor, quibus aliquid de Xenophonte conscribendum et in lucem edendum esset, ceteros satis habuisse semel tamquam ipsius Xenophontis vocem audivisse monentis affirmantisque, *non potuisse* se ita sui immemorem esse, ut tam inepte absurdeque loqueretur, nedum scriberet. Ex eo autem lectorum genere si quis forte cognovisset, iam Valckenaerium docuisse iniuria Xenophonti Agesilaum tribui, in tanti eum viri auctoritate acquievisse, neque praeterea ullum desiderasse argumentum perquam est probabile. Non enim semel sed quater, diversis locis temporibusque Valckenaerius suam de Agesilao sententiam prolocutus est, et ita prolocutus, ut ne minimum quidem scrupulum residere posse aperte significet. Lubet ipsa summi viri verba citare:

ad Herod. III, 134: „Qui fertur esse *Xenophon*, quando secedit a Xenophonteis ex historia Graeca ad verbum describendis, frigidus *Agesilai* laudator et sophista, (tum verba quaedam ex Agesilao citat). Qui libellum istum olim tamquam Xenophonteum adhibuere, vel videntur adhibuisse, horum mihi testimonia, plerorumque opinor, sunt in numerato."

ad Herod. IX, 27: „Promiscue propemodum usurpari voces *ἀγών*, *καιρός* et *ἔργον*, monstrat Agesilai laudator, cui dicitur ille *καρτερίᾳ μὲν πρωτεύων ἔνθα πονεῖν καιρός, ἀλκῇ δὲ ὅπου ἀνδρείας ἀγών, γνώμῃ δὲ ὅπου βουλῆς ἔργον*: quae sophistam multo magis decent quam *Xenophontem*, in cuius scriptis nil invenietur simile."

Diatribe p. 266: „Qui sub nomine *Xenophontis* Agesilaum laudavit, talem („impeccatum") illum finxit. In ed. Hutchinsoni p. 80, *ἀναμάρτητος*, inquit, *ἐτελεύτησε*, quem *Xenophon* in Hellenicis ut virum egregium miratus, hominis tamen

atque Imperatoris peccata commemorare non praetermisit: ut unum de multis attingam, vid. Ἑλλ. L. v. p. 333, 29, quaeque illic sequuntur et p. 334."

ad Xen. Memor. III. 3, 4: „eadem, verbis tamen diversis usus, tradiderat K. Π. I. p. 19, leguntur que talia in his Socraticis longe plurima, eorum similia, quae prostant in K. Π. nec tamen iisdem verbis narrata. Et crederemus Xenophontem sua ipsius, quae dederat in Hist. Graeca, centena continua in Agesilai encomio transscripsisse? Aut Apologiam scripsisse Socratis, in qua nihil alicuius inveniatur momenti, quod non legatur in his commentariis?"

Vides Valckenaerium, quamquam argumenta afferre non prorsus neglexerit, tamen ut Agesilaum Xenophonti abiudicaret praesertim sensu quodam adductum esse. Credibile est virum egregium aures consuluisse, et Agesilaum quum semel clara voce recitasset *audivisse* non Xenophontem esse, qui sic loqueretur. Quodsi quis me roget e quibus praesertim locis et ipse efficiam et Valckenaerium effecisse credam, Agesilai scriptorem orationis genus adhibuisse a Xenophonteo diversissimum, haud diu mihi sit quaerendum. Satis enim est in Agesilao sententiarum ita conformatarum, ut scriptorem in schola quadam Isocratea eruditum esse facile perspicias. Habent enim illae eam *ἀντιθέτων* aequabilitatem, eos numeros oratorios, ut non tam ex hominis loquentis ore vocem prodeuntem audire tibi videaris quam sonos ex aliquo instrumento certis temporum intervallis emissos. Iuvat insigniora quaedam hic apponere exempla:

VII, 3. *ἐλοιδορεῖτο μὲν γὰρ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν, ἐτίμα δὲ εἴ τι καλὸν πράττοιεν, παρίστατο δὲ εἴ τις συμφορὰ συμβαίνοι, ἐχθρὸν μὲν οὐδένα ἡγούμενος πολίτην, ἐπαινεῖν δὲ πάντας ἐθέλων, σώζεσθαι δὲ πάντας κέρδος νομίζων, ζημίαν δὲ τιθεὶς εἰ καὶ ὁ μικροῦ ἄξιος ἀπόλοιτο.*

VII, 1. *οὐ πόνων ὑφίετο, οὐ κινδύνων ἀφίστατο, οὐ χρημάτων ἐφείδετο, οὐ σῶμα οὐ γῆρας προὐφασίζετο.*

XI, 7. *ἔγνω ὅτι ἅρματι μὲν νικήσας τοὺς ἰδιώτας οὐδὲν ὀνομαστότερος ἂν γένοιτο, εἰ δὲ φίλην μὲν πάντων μάλιστα τὴν πόλιν ἔχοι, πλείστους δὲ φίλους καὶ ἀρίστους ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν κεκτῇτο, νικῴη δὲ τὴν μὲν πατρίδα καὶ τοὺς φίλους εὐεργετῶν, τοὺς δὲ ἀντιπάλους τιμωρούμενος κτἑ.*

XI, 4. *ἤσκει δὲ ἐξομιλεῖν μὲν παντοδαποῖς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἀγαθοῖς.*

Ex *Isocratea* officina profectas esse mihi videri istiusmodi sententias tam artificiose et composite ad numeros exactas, haud veritus sum proloqui: vim enim quandam habent soporiferam, qua ipse Isocrates tantum valet, ut qui aliquam eius orationem deinceps perlegere conetur obrepente somno saepius propositi sui obliviscatur. Neque sententiam meam mutavit Blassii auctoritas, qui in libro de eloquentia Attica (II, 451) hoc saltem constare affirmat, non ab Isocratis discipulo Agesilaum esse conscriptum, propterea quod in eo libro non satis vitetur vocalium concursus, aliaque eiusmodi vitia reperiantur: deinde addit non esse quod de libelli scriptore diu multumque quaeramus; nihil enim obstare quominus ab ipso Xenophonte compositum censeamus. Nisi ex ipso Blassii libro appareret, tamen ut opinor, unus quisque facile coniiciendo statuere posset haec virum clarissimum scripsisse, quum ab assidua Isocratis lectione recens esset.

Neque solum sententiarum nonnullarum artificiosa structura facit, ut Agesilai scriptorem sentias non esse ex eo hominum genere, e quo fuit Xenophon: magis etiam hoc apparet ex ornamentis quibusdam flosculisque oratoriis, ex imaginibus locutionibusque exquisitioribus, vel potius ex illarum rerum copia; non enim negabo earum nonnullas esse, quarum similes hic illic in genuinis Xenophontis scriptis

reperiantur; sed in nullo Xenophonteo libro tam frequens istud ornandi studium quam in brevissimo Agesilai encomio observatur. Inspice mihi, quaeso, hancce seriem: simul videbis imaginum permultas, quae in Agesilao adhibentur satis esse absurdas; risumque vix tenebis ubi observaveris, quam soleat puer, qui istam laudationem composuerit, omnia, quae sunt dicenda, oratione exaggerare et in maius augere.

IV, 1. Integritatem innocentiamque Agesilai ex eo apparere scriptor affirmat, quod permultis hominibus de sua pecunia sit largitus. Tum sic pergit: *ὅτῳ δὲ ἡδὺ τὰ αὑτοῦ διδόναι, ἐπ᾽ ὠφελείᾳ ἀνθρώπων, πῶς ἂν οὗτος ἐθέλοι τὰ ἀλλότρια ἀποστερεῖν ἐφ᾽ ᾧ κακόδοξος εἶναι;*

IV, 4. Homines, qui ab iis acceperunt beneficia, qui ea non lucri spe neque ut postea sibi reddatur gratia, sed verae sinceraeque amicitiae sensu adducti dederunt, appellantur: *οἱ προῖκα εὖ πεπονθότες.*

ib. Ipsum autem beneficium a talibus hominibus datum vocatur *παρακαταθήκη χάριτος*, quique acceperunt illam *παρακαταθήκην φυλάττειν* dicuntur.

V, 2. Significare vult scriptor quantopere sibi imperare potuerit Agesilaus et quam simplici victu contentus fuerit; sed in scribendo laudandoque modum tenere nescit. Nam postquam dixit: *οὐ μὴν ὕπνῳ γε δεσπότῃ ἀλλ᾽ ἀρχομένῳ ὑπὸ τῶν πράξεων ἐχρῆτο* (quod satis eleganter enuntiatum est), ridicula ista addit: *καὶ εὐνήν γε εἰ μὴ τῶν συνόντων φαυλοτάτην ἔχοι αἰδούμενος οὐκ ἄδηλος ἦν*, et sic risum movet magis quam admirationem.

V, 7. Quanta fuerit in re amatoria Agesilaus temperantia, ita docet scriptor, ut dicat neminem unquam vel vidisse vel narrasse vel suspicatum esse, cuiusquam Agesilaum insidiatum esse pudicitiae: „Nam quoties reipublicae causa aberat, nunquam apud privatum hospitem deversabatur, sed aut in aliquo

templo pernoctabat aut ἐν τῷ φανερῷ, μάρτυρας τοὺς πάντων ὀφθαλμοὺς τῆς σωφροσύνης ποιούμενος".

VI, 2. Proelium in quo hostes fortiter resistunt appellat „μάχην ἀντίτυπον".

ib. Non satis sophistae nostro visum est dicere „Ipse Agesilaus quum proelium committebatur gregarii militis instar manum cum hoste conserere solebat, itaque saepe vulnere adverso accepto domum rediit", sed pro usitata locutione „vulnere adverso accepto" hoc utitur flosculo: σημεῖα ἀπενεγκόμενος τοῦ θυμῷ μάχεσθαι.

VI, 3. „Honori laudique Agesilao sunt non tantum victoriae ab eo reportatae, sed etiam omnes quas fecit expeditiones". Vix credas hoc nostrum dicere velle, ubi pomposa haec verba legis: τρόπαια μὴν Ἀγησιλάου οὐχ ὅσα ἐστήσατο ἀλλ' ὅσα ἐστρατεύσατο δίκαιον νομίζειν. Verum si accuratius ea aspexeris nullam aliam iis inesse sententiam videbis.

VI, 6. „Neque nocte neque die se quieti dabat Agesilaus, sed tanta in itineribus faciendis celeritate erat, ut saepe ubi esset ignorarent hostes: ὥστε καὶ τὰ ἐχυρὰ ἀνώχυρα τοῖς ἐχθροῖς καθίστη, τὰ μὲν παριών, τὰ δὲ ὑπερβαίνων, τὰ δὲ κλέπτων".

VI. 7. „Maxima admiratione digna erat modestia militum quibus Agesilaus praeërat. Tam enim placide et modeste iter faciebant, ὥσπερ ἂν παρθένος ἡ σωφρονεστάτη προβαίνοι". Novimus omnes Monacensem illum pictorem, qui lepidissimis imaginibus vitam militarem „illustrare" (ut nunc loquimur) potest. Quam vellem nobis Agesilai exercitum depingeret, his verbis usus!

VII, 1. „Longum est demonstrare Agesilaum patriae amantem fuisse. οἴομαι γὰρ οὐδὲν εἶναι τῶν πεπραγμένων ὑπ' αὐτοῦ, ὅτι οὐκ εἰς τοῦτο συντείνει".

VIII, 7. Simplicem Agesilai victum dum laudare vult puerulus noster, ipse omnis simplicitatis oblitus ita declamat:

εἰ δέ τις ταῦτα ἀπιστεῖ ἰδέτω μὲν οἷα οἰκία ἤρκει αὐτῷ, θεασάσθω δὲ τὰς θύρας αὐτῆς· εἰκάσειε γὰρ ἄν τις ἔτι ταύτας ἐκείνας εἶναι ἅσπερ Ἀριστόδημος ὁ Ἡρακλέους ὅτε κατῆλθε λαβὼν ἐπεστήσατο· πειράσθω δὲ θεάσασθαι τὴν ἔνδον κατασκευήν, ἐννοησάτω δὲ ὡς ἐθοίναζεν ἐν ταῖς θυσίαις, ἀκουσάτω δέ κτὲ. In quibus imperativorum multitudo satis probat, non posse hunc locum non esse ex exercitatione aliqua scholastica.

VIII, 8. „Agesilao tam simpliciter viventi non opus erat magno reditu: non ergo cogebatur quidquam pecuniae causa iniuste facere: *καίτοι καλὸν μὲν δοκεῖ εἶναι τείχη ἀνάλωτα κτᾶσθαι ὑπὸ πολεμίων· πολὺ μέντοι ἔγωγε κάλλιον κρίνω τὸ τὴν αὑτοῦ ψυχὴν ἀνάλωτον κατασκευάσαι καὶ ὑπὸ χρημάτων καὶ ὑπὸ ἡδονῶν καὶ ὑπὸ φόβου*". Nemo sic scribit loquiturve, qui non in rhetoris alicuius schola est eruditus.

XI, 7. Eiusdem generis est flosculus, qui hic legitur: *καὶ τοῦ μὲν σώματος εἰκόνα στήσασθαι ἀπέσχετο, πολλῶν αὐτῷ τοῦτο δωρεῖσθαι θελόντων, τῆς δὲ ψυχῆς οὐδέποτε ἐπαύετο μνημεῖα διαπονούμενος, ἡγούμενος τὸ μὲν ἀνδριαντοποιῶν τὸ δὲ ἑαυτοῦ ἔργον εἶναι, καὶ τὸ μὲν πλουσίων τὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν.* Magis tamen hic auditur numerus rhetoricus.

IX, 1. Comparari hic quoque locus potest, utpote quem a rhetore et sophista magis exspectes quam ab ullo alio scriptore: „Agesilaus semper in publico erat, *νομίζων αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τῷ δὲ εἰς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον φέρειν.*

X. 1. *καρτερίᾳ μὲν πρωτεύων ἔνθα πονεῖν καιρός, ἀλκῇ δὲ ὅπου ἀνδρείας ἀγών, γνώμῃ δὲ ὅπου βουλῆς ἔργον.* Synonymorum copia sophistam prodit. Vid. Valck. ad Herod. IX, 27.

XI. Ut dicat „in re secunda minus etiam quam in re adversa deorum immortalium immemor erat", hoc ex intimo scholae artificio promit ornamentum: *θαρρῶν πλείονα ἔθυεν ἢ ὀκνῶν εὔχετο.*

Nescio an ex eodem rhetorice exornandi studio natae sint sententiae verbosae quidem sed sensu cassae, qualis et haec est: *ἐγὼ μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα ἐπαινῶ Ἀγησιλάου. ταῦτα γὰρ οὐχ ὥσπερ εἰ θησαύρῳ τις ἐντύχοι, πλουσιώτερος μὲν ἂν εἴη, οἰκονομικώτερος δὲ οὐδὲν ἄν, καὶ εἰ νόσου δὲ πολεμίοις ἐμπεσούσης κρατήσειεν, εὐτυχέστερος μὲν ἂν εἴη, στρατηγικώτερος δὲ οὐδὲν ἄν.*

Sed hoc certissimum est neminem Xenophonte alieniorem fuisse ab ea verborum ubertate, qua interdum noster multa dicendo nihil dicit. Dabo duo exempla:

II, 12: In proelio apud Coroneam: *κραυγὴ μὲν οὐδεμία παρῆν, οὐ μὴν οὐδὲ σιγή, φωνὴ δέ τις ἦν τοιαύτη οἵαν ὀργή τε καὶ μάχη παράσχοιτ' ἄν.*

II, 14: *παρῆν δὴ θεάσασθαι ἔνθα συνέπεσον τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην, νεκροὺς δὲ κειμένους φιλίους καὶ πολεμίους μετ' ἀλλήλων, ἀσπίδας δὲ διατεθρυμμένας, δόρατα συντεθραυσμένα, ἐγχειρίδια γυμνὰ κολεῶν, τὰ μὲν χαμαί, τὰ δὲ ἐν σώμασι, τὰ δὲ ἔτι μετὰ χεῖρας.* Inanis hic est verborum sonitus.

Non equidem negabo, eiusmodi indicia e sermone et enuntiatione petita non habere certorum argumentorum vim, qualia ea sunt, quibus ars geometrica utitur. Novi enim et alios viros doctos multos et plerosque eorum, qui de Agesilao libello iudicarunt, non tam eius sermonem curare quam alia omnia, et sic fere loqui solitos: „oratione quidem utitur libelli auctor saepe a genuinis Xenophontis scriptis admodum remota: sed eiusmodi ea sunt indicia, ut de iis alius aliter iudicare possit". Sed idem addo, ut tibi ipse persuadeas, librum aliquem scriptori, cui vulgo tribuitur, esse abiudicandum, nihil magis valere quam ipsas illas sermonis

elocutionisque differentias, praesertim quum magnae eae sint et multae. Quin etiam fieri posse contendo, ut scriptum aliquod spurium et supposititium esse argumentis demonstretur, quae satis gravia esse negare non possis, ipsius tamen scripti ea sit natura et universa species, ut tibi vix et ne vix quidem persuadeas a falsario esse compositum [1]). Multum enim interest inter geometriam et philologiam: illa nihil se fecisse putat quamdiu argumentis suis ἡ πειθανάγκη deest, haec contenta esse debet, dummodo aliquam sententiam ita defenderit, ut satis probabilem eam esse appareat; raroque accidit, ut eius rei, quam omnes primo aspectu verisimilem esse sentiant, ab iis, qui diutius accuratiusque de ea cogitarunt, paulo firmiora possint afferri argumenta. In quaestione tamen de Agesilao ita se res habet, ut et plerisque lectoribus suspitio de fraude nasci debeat, et veram illam suspicionem esse liquido demonstrari possit. Non prorsus inutilem me operam facturum esse spero, si quibus id argumentis efficiatur, paulo fusius hic exposuero. Omnia fere

---

1) Exempli causa affero Antiphontis tetralogias, quas spurias esse olim Herwerdeno non concessi, quamquam argumentis ab eo allatis vix quidquam opponere poteram. Iniuriaque credo hanc meam in utramque partem disputationem risisse virum doctum, qui nuperrime libelli mei de Antiphonte censuram scripsit. Sed lividum istud est censorum genus. Equidem hercle illa „Studia Antiphontea" non magni facio: nihilo enim praestant libellis, qui et apud nos *et apud Germanos* Gymnasiorum programmatis adduntur: non tamen prorsus condemnandus videtur libellus triginta paginarum, in quo duae tresve observationes alicuius pretii legantur, neque literis, ut opinor, bene consulunt, qui inde omnia protrahant, quae aliquo modo vituperari possint. Quid vero illo facias, qui, quum quam plurima in meo libello reprehendere conetur, nihil tamen in iis inveniat, quod turpius sit, quam quod semel *sumsi*, semel *sumpsi* scripsi? Nonne istiusmodi iniqua iudicia de hominibus, qui nihil commiserunt, sed pro parte virili veritatem indagare student, efficiunt ut tota ars philologica in omnium, qui aliis studiis operam dant, contemptum adducatur?

iam ante me esse inventa ab aliis, etiamsi ego reticerem, tamen quivis, ut opinor, intelligere posset.

Primum ergo argumentum, ex quo apparet, Agesilaum non esse scriptum a Xenophonte, hoc est, quod multo maior libelli pars verbotenus ex Hellenicis descripta est. Iam hoc parum verisimile est, bonum scriptorem iisdem verbis bis eandem rem narrasse; sed accedit aliquid, quod paulo certius indicet, istum cum Hellenicis consensum inde natum non esse, quod idem qui Hellenica etiam Agesilaum scripserit, sed quod sophista quidam, a Xenophonte diversissimus, vel potius adolescens quidam in schola Isocratis rhetoricam discens, ingenium doctrinamque suam ostentare voluerit ex Hellenicis quam plurimum in Agesilai laudem corradendo compilandoque. Saepe enim in Agesilao deprehendimus aliquem locum longiorem ex Hellenicis desumptum, sed ita ut pauca quaedam vel omittantur, vel leviter immutentur. Videbis autem e loco aliquot sectionum partem sectionis omissam esse, qua in Hellenicis aliquid traditur, quod ad Agesilai laudem prorsus non pertineat; vel ibi verbi cuiusdam formam esse mutatam, ubi in Hellenicis insignis quaedam omnium Spartanorum virtus traditur, quam sophista noster in unius Agesilai laudem converterit, vel ubi Hellenicorum auctor praeclare Lysandrum rem gessisse narrat, Agesilai vero laudator victoriae honorem Regi tribuerit. Locos ita omissos eoque consilio mutatos accurate omnes collegit Hermannus Hagen in secundo capite praeclarae dissertationis „de Xenophontis qui fertur Agesilao", Bernae anno 1865 editae. Praeterea egregie prudenterque eodem capite Hagenus demonstrat, saepe propter unum locum mutatum alium pluresve mutandos fuisse.

Quod autem, ut hoc exempli causa addam, verus Xenophon de bello ab Agesilao exulum causa cum Phliasiis

gesto ita narrat, ut satis appareat ne ipsi scriptori quidem visum esse Agesilaum iustas a Phliasiis poenas sumpsisse, laudator autem defensionem quandam Agesilai addidit, nolim ex ea re, lector, efficias, sophistam nostrum suo stetisse iudicio. Eiusmodi enim illa defensio est, ut vel unicuique puero facile in mentem venire, vel ex ipsa in Hellenicis narratione peti possit. Quid enim laudator de suo scilicet addit? *εἰ δέ τις ἄλλῃ πῃ ταῦτα μέμφεται, ἀλλ' οὖν φιλεταιρίᾳ γε πραχθέντα φανερά ἐστι.*

Alios quoque Xenophontis libros in suum usum encomii scriptor convertit. E libro de Spartanorum republica duos esse desumptos locos video. Quorum alter est de regiae apud Spartanos potestatis constantia. Legitur enim in Agesilao: *ἄλλη μὲν οὐδεμία ἀρχὴ φανερά ἐστι διαγεγενημένη ἀδιάσπαστος οὔτε δημοκρατία οὔτε ὀλιγαρχία οὔτε τυραννὶς οὔτε βασιλεία· αὕτη δὲ μόνη διαμένει συνεχὴς βασιλεία.* In Republica Spartanorum: *μόνη γὰρ δὴ αὕτη ἀρχὴ διατελεῖ οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς κατεστάθη· τὰς δὲ ἄλλας πολιτείας εὕροι ἄν τις μετακεκινημένας καὶ ἔτι νῦν μετακινουμένας.* Videsne rhetorem inani verborum ubertate ornantem scilicet (*οὔτε δημοκρατία, οὔτε ὀλιγαρχία οὔτε τυραννίς οὔτε βασιλεία*) quod alibi eleganti brevitate dictum invenerat? Neque observavit, ut opinor, puer parum exercitatus, quam ingrata esset vocabuli *βασιλεία* repetitio.

Alterum vero locum ex eodem libello sophista noster, omnia in maius augendi cupidus, sic exornavit, ut aliquid evaderet, quo haud facile quidquam invenias quod magis sit ridiculum. Haec enim veri Xenophontis verba sunt: *καὶ διμοιρίᾳ γε (ὁ Λυκοῦργος) ἐπὶ τῷ δείπνῳ (τοὺς βασιλέας) ἐτίμησεν, οὐχ ἵνα διπλάσια καταφάγοιεν, ἀλλ' ἵνα καὶ ἀπὸ τοῦδε τιμῆσαι ἔχοιεν εἴ τινα βούλοιντο.* Quibus ita ad extollendam Agesilai temperantiam utitur laudator ut dicat: *διμοιρίαν γε μὴν λαμβάνων ἐν ταῖς θοίναις οὐχ ὅπως ἀμφοτέραις ἐχρῆτο ἀλλὰ διαπέμπων*

ο ὐ δ ε τ έ ρ α ν αὐτῷ κατέλειπε, νομίζων βασιλεῖ τοῦτο διπλασιασθῆναι οὐχὶ πλησμονῆς ἕνεκα, ἀλλ' ὅπως ἔχοι καὶ τούτῳ τιμᾶν εἴ τινα βούλοιτο. Sicine vero? Nonne tandem aliquando inedia confectus est Agesilaus? Nam quod Beckhausius [1]), hunc locum ut contra Hagenum defendat, affert, minime probabile est. Affirmat enim Agesilai tempore vetusta illa Lycurgi instituta dicis causa tantum observari solita esse, hominesque opulentiores, a communi illa coena reversos, domi suae opiparas sibi epulas parandas curavisse. Atque ita Agesilaum quoque, propterea quod pecuniosus esset, fecisse. Credisne ergo *laudatorem* Agesilai narrare ausum esse, eum Lycurgeas leges risisse et pro nihilo habuisse? An hanc eius laudasse liberalitatem, quod cibos, quos ipse fastidiret contemneretque, ad amicos suos mittendos curaret?

Cum Valckenaerio ergo cènsendum est, eum qui Xenophonteos locos sic descripserit, ut paucissima verba omitteret, aut unum alterumque leviter immutaret, non posse ipsum Xenophontem esse. Sed accedit novum argumentum, vel potius longa argumentorum series, quae tamen omnia quodammodo unum efficiant. Multi enim in Agesilao leguntur loci, qui ad eandem rem dum pertinent, quae et in Hellenicis reperitur, tamen aut ab Hellenicorum narratione recedunt, aut cum ea certant; narrantur quoque aliae in Agesilao res, de quibus in Hellenicis ea de causa sileri probabile est, quod illorum scriptori prorsus ignotae fuerunt. Illorum autem locorum qui mihi maxime insignes videantur hic enumerabo; non, hercle, quod primus eos repperisse credi velim; paucissimi enim sunt, qui non legantur in Hageni

---

1) Beckhaus, Xenophon der Iüngere und die Hellenica oder über die unechten Schriften Xenophons (Programm von Rogasen 1872).
Idem in Z. f. G. 1873, p. 225 ff.

libro; sed quod certa quaedam eorum sunt genera: quae si indicavero, simul, ut opinor, apparebit ex quo genere hominum sit Agesilai laudator.

A. *Aperte et impudenter mentitur.* Tres loci sunt, ubi hoc eum fecisse quivis sentiat:

I, 6. Agesilaus a laudatore dicitur rex factus esse ἔτι νέος ὤν. Ipse tamen Xenophon (Hell. V, 4, 13) tradit, Agesilaum a. 379 ὑπὲρ τὰ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης i. e. plus quam sexaginta annos natum fuisse, ergo a 399, quum ad regnum perveniebat, plus quam quadraginta annos natus erat.

X, 4: „ἀφικόμενος δὲ ἐπὶ τὸ μήκιστον ἀνθρωπίνου αἰῶνος ἀναμάρτητος ἐτελεύτησε". Impudens hoc mendacium esse apparebit, si reputabis Agesilai laudatorem Hellenica compilasse: nemo enim illa tam negligenter legere potest, ut non observet, multos gravesque Agesilai errores a Xenophonte sine ulla narrari dissimulatione. Vid. Valck. Diatr. p. 266.

I, 3: „Spartanorum reges οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν ἀλλ' ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσιν". Scripsit hoc falsarius post Agesilai mortem: non tamen ignorare poterat iam post pugnam Leuctricam de Spartanorum principatu actum fuisse. Primus hunc locum indicavit Rankius.

B. *Ornandi causa narratiunculas fingit Xenophonti ignotas.* Quinque huiusce rationis exstant exempla:

I, 33 sq. Xenophon narrata victoria ab Agesilao de Tissapherne prope Sardes reportata, statim transit ad supplicium capitale de Tissapherne Regis iussu per Tithraustem sumptum, induciasque a Tithrauste cum Agesilao factas. Laudator vero interponit narrationem de Agesilao ipsam urbem Sardes aggrediente, eumque dicit simul agros suburbanos vastasse, simul κηρύγματι Iones sollicitasse ut a Rege deficerent. Unde istum τοῦ κηρύγματος flosculum sumpserit perspicuum est: imitari enim conatur et in suum usum

convertere lepidissimam Herodoti narrationem de Themistoclis dolo (VIII, 22). Iucundum praeterea est observare laudatorem, simulatque a Xenophontis verbis est recedendum, statim ad fucatam numerosamque rhetoris orationem delabi: *τοὺς μὲν .... τοὺς δὲ .... τὴν μὲν — τὴν δέ.*

IV, 5. Per fallaciam regnum Leotychidi surreptum ad Agesilaum pervenisse Xenophon tradit. Noster vero adiicit etiam Agidis bona Agesilao esse adiudicata, simulque addit aliquid quo ista iniquitas leniatur: *τὰ ἡμίσεα τοῖς ἀπὸ μητρὸς αὑτῷ ὁμογόνοις μετέδωκεν.*

II, 24. Legimus apud Xenophontem (Hell. VI, 5, 28 sq.) Spartanos metu perculsos servis libertatem promisisse, si arma caperent: qua spe allectos tot eorum militiae nomen dedisse, ut periculum a servis imminens timerent Spartani: illum tamen eos metum sociorum adventu deposuisse. Noster tamen historiam eiusdem temporis narrans *revera omnes* servos defecisse affirmat (II, 24). Perspicuum est hominem, qui probe nosset ea quae anno 464 accidissent, sibi persuasisse a nulla narratione de Spartanorum incommodis calamitatibusque abesse posse Helotum defectionem. Mirum est eum terrae motum non addidisse.

VII, 5 narratur Agesilaum, quum ei nuntiatum esset, apud Corinthum victoriam a Spartanis esse reportatam, ibique *decem millia* hostium cecidisse, lamentatum esse de sorte Graeciae, quod Graeci illi qui in bello cum Graecis mortem oppetivissent, omnes barbaros vincere potuissent. Quod autem in ea narratione reprehendit Hagenus, scriptorem aut ipsum credidisse, aut lectoribus persuadere voluisse, ipsum Agesilaum illi proelio interfuisse, id verum non esse et Beckhausius et Sachsius [1]) recte demonstraverunt. Idem

1) Adolf Sachse, Ueber Xenophons Agesilaus. Göttingen 1875. Multis nominibus laudandus hic est libellus.

tamen Sachsius prudenter admonuit, non potuisse hoc de Agesilai lamentatione narrare Xenophontem, quippe qui IV, 3, 2 tradat, Agesilaum nuntio de victoria apud Corinthum reportata accepto, tam esse gavisum, ut statim de ea socios in Asia certiores faceret. Et sagacissime Hagenus docet, qua re adductus fuerit encomii scriptor, ut ingentem illum *decem millium* numerum fingeret: meminerat enim tot milites fuisse in Cyri exercitu, qui Regem devicerat.

VIII, 3. Per epistolam Agesilao oblatam esse a Rege *φιλίαν* et *ξενίαν*, illum vero epistolam accipere noluisse laudator tradit. Nihil de hac re apud Xenophontem invenies: non tamen ille eam, quum res a fautore suo in Asia gloriose gestas fuse exponeret, neglexisset, si quidquam de ea audivisset, id est si vera esset.

C. *Auctore suo accuratior videri vult in iis rebus tradendis quas e Xenophonte descripsit.* Ter istud hominis consilium deprehenditur:

I, 10. Xenophon (Hell. III, 4, 5 sq.) narrat inducias Agesilaum cum Tissapherne fecisse, additque earum conditiones, sed de tempore nihil. At sciolus noster id quoque se scire simulat, *trium mensium* illas fuisse.

II, 1. Eadem via ex Asia in Europam revertisse Agesilaum, qua olim Xerxes exercitum duxerit e Xenophonte (Hell. IV, 2, 8) cognoscimus; *celeriter* autem eum iter fecisse addit (c. 3, 1). Sed *quanta* celeritate iter fecerit praeter sciolum nostrum nemo novit. Ille enim ita declamat: *καὶ ἣν ἐνιαυσίαν ὁδὸν ὁ βάρβαρςς ἐποιήσατο, ταύτην μεῖον ἢ ἐν μηνὶ κατήνυσεν ὁ Ἀγησίλαος.*

III, 3. Spithridatem *quadam* iniuria a Pharnabazo affectum ad defectionem propensum fuisse apud Xenophontem (III, 4, 10) legimus. Sed quae illa fuerit iniuria se ignorare tacendo significat. Quid autem encomii scriptor? Insipidam

et decantatam fingit historiolam hisce verbis: Σπιθριδάτης εἰδὼς ὅτι Φαρνάβαζος γῆμαι μὲν τὴν βασιλέως ἔπραττε θυγατέρα, τὴν δὲ αὐτοῦ ἄνευ γάμου λαβεῖν ἐβούλετο.

D. *Locos Hellenicorum non intellectos corrupit.* Id vero vitium omnium frequentissimum est:

II, 21. Quod pacem, quae Antalcidea vocatur, non praesentibus nummis emptam sed a Spartanorum hostibus petitam, non a Rege impositam sed a Spartanis concessam tradit, id quidem mirandum non est; in Agesilai enim laudem scribit. Sed ex alio genere est quod addit, Corinthiis *et Thebanis* ita demum pacem concessam esse si exules reciperent. Non nego quidem, fieri potuisse ut et Thebani iussu Agesilai exules quosdam reciperent, sed non haec erat primaria conditio, qua illi ad communem omnium Graecorum pacem sunt admissi: eam autem laudator omisit, et pro ea festinanter aliam finxit, atque ita narrare neglexit id, quod in pace componenda maximi fuit momenti: Thebanis imperatum esse ut αὐτονόμους ἀφεῖεν τὰς Βοιωτίας πόλεις.

II, 22. In encomio legitur: εὑρὼν δὲ ἀποτεταφρευμένα καὶ ἀπεσταυρωμένα ἅπαντα, ὑπερβὰς τὰς Κυνὸς κεφαλὰς ἐδῄου τὴν χώραν μέχρι τοῦ ἄστεος. De *Agesilao* haec narrantur; ex Hellenicis (V, 4, 15) *Cleombrotum* ea via usum esse discimus. Neque levis est ea discrepantia; adversa enim fronte laudatoris narratio repugnat his Xenophontis verbis (VI, 4, 5): Ἀγησιλάου ἀεὶ ἐμβάλλοντος διὰ τοῦ Κιθαιρῶνος.

II, 7. „Apud Coroneam" laudator ait „Agesilaus πλῆθος οὐδὲν μεῖον ἢ τὸ τῶν πολεμίων παρεσκευάσατο". Xenophon vero docet (Hell. IV, 3, 15) equitum quidem numerum in utroque exercitu eundem fuisse, sed peltastis *multo magis* valuisse Agesilaum.

II, 11. Legimus in Hellenicis (III, 4, 20) Herippidam ab Agesilao ducem τῶν Κυρείων factum esse. Non satis hoc nostro

visum: tradit enim illum ξεναγόν fuisse eorum, qui *domo* cum Agesilao fuerant profecti et *nonnullorum* τῶν Κυρείων. In quibus praesertim ea hominis notanda ignorantia est, quod *Lacedaemonios* (νεωδαμώδεις: ex eo enim hominum genere fuerunt, qui cum Agesilao domo sunt profecti. Hell. IV, 3, 15) credit sub imperio ξεναγοῦ esse potuisse.

II, 20. In expeditione contra Acarnanes Agesilaum narrat laudator, quum in angustiis viarum resisterent hostes, montibus a Spartanorum *peltastis* occupatis manus cum iis conseruisse. Prorsus contrarium narrat Xenophon (Hell. IV, 6, 8): Agesilaum, quum montes iam ab hostibus occupati essent, per angustas vias in Acarnaniam penetrare non ausum esse, priusquam hostes de altioribus locis lacessentes Spartanorum copias inde *hoplitae* sui deiecissent.

II, 23. Legimus apud Xenophontem (VI, 5, 10 sqq.) Agesilaum, ut Tegeatas Spartanorum amicos ab adversariorum factione et Mantineensibus interfectos ulcisceretur, expeditionem in Arcadiam suscepisse, Eutaeam urbem cepisse, agros Mantineae adiacentes vastasse, quo metu perculsos Mantineenses se urbe sua continuisse: deinde eum propter hiemem copias reduxisse. Tum timore liberatos Mantineenses primum Heraeam urbem adortos esse; postea nuntio de Thebanorum adventu accepto ad illos esse profectos. Ergo secundum Xenophontem Thebani Arcadibus auxilio venerunt, quum Agesilaus iam diu ab expeditione redux domi esset. Quid autem noster? Omnia susque deque habet et ita narrat: συνεστηκότων ἤδη Βοιωτῶν τε πάντων καὶ Ἀρκάδων καὶ Ἠλείων στρατεύει σὺν μόνῃ τῇ Λακεδαιμονίων δυνάμει.

II, 24. Laudator Spartanorum incommoda, quibus uno tempore afflicti erant, enumerans, alteram tantum eorum partem superfuisse narrat, altera in pugna Leuctrica occisa. Male ergo locum intellexit in Hellenicis (VI, 4, 15), ubi tra-

ditur, in illa pugna *adfuisse* septingentos Spartanos, illorum autem cecidisse quadringentos, credititque omnium, quotquot erant, Spartanorum dimidiam partem apud Leuctra morti occubuisse, id est: persuasit sibi homo ignarissimus nunquam plus quam septingentos Spartanos in vivis fuisse. Nam quod Beckhausius et Sachsius afferunt ad eum defendendum, in rem non facere opinor. Sententiam enim *καὶ αὐτῶν Σπαρτιατῶν οὐ μειόνων ἀπολωλότων ἐν τῇ ἐν Λεύκτροις μάχῃ ἢ λειπομένων* ita interpretantur, ut dicant *λειπομένων* esse praesens historicum, et nihil aliud ergo narrare laudatorem quam hoc: totidem apud Leuctra ceciderunt quot salvi evaserunt. Frustra, ut mihi videtur. E verborum enim ordine apparet, scriptorem id voluisse quod supra dicebam, quemadmodum rectissime iam Hagenus monuit.

II, 24. „Agesilaus" laudator ait „urbem contra Thebanos defendit, quamquam munita non erat, et ubi exspectandum erat hostes superiores fore, eo copias suas non educebat, ubi spes erat Spartanos esse victuros ibi audacter aciem adversus Thebanos instruebat". *Bis* Thebani in Peloponnesum invaserunt. De *priore* invasione narrare nostrum ex iis quae praecedunt liquido apparet. Statim enim post narrationem de pugna Leuctrica sententiam supra citatam ponit; illam autem expressit ex Hell. VII, 5, 11, ubi de *altera* invasione agitur; et quomodo eam expresserit mox accuratius videbimus. Neque solum duas Thebanorum invasiones inter se confundit, sed etiam de priore invasione ita loquitur quasi tum *plura* sint commissa proelia: novimus tamen semel tantum Spartanos tum cum hoste manus conseruisse, idque duce Ischolao *absente* Agesilao.

III, 4. Otys in Hellenicis (IV, 1, 3) dicitur facto cum Agesilao foedere apud illum *reliquisse* mille equites duo millia peltastarum. Nisi e verbo „reliquisse" satis appareret

ipsum Otyn domum abisse, disceremus hoc ex iis quae sequuntur (§ 15): *ἐκ τούτου δεξιὰς δόντες καὶ λαβόντες ἐπὶ τούτοις ἀπέπεμπον* (Spartani) *τὸν Ὄτυν*. Quid vero noster? *Κότυς ὁ Παφλαγόνων βασιλεὺς .... εἰς τὸ στρατόπεδόν τε ἦλθε καὶ συμμαχίαν ποιησάμενος εἵλετο σὺν Ἀγησιλάῳ στρατεύεσθαι, χιλίους μὲν ἱππέας δισχιλίους δὲ πελτοφόρους ἔχων*.

E. *Consulto res ex Hellenicis cognitas, quo maior sit Agesilai gloria, narrando mutat.*

IV, 6 narrat Tithraustem pecunia Agesilaum corrumpere conatum esse, ut ex Asia abiret, illum autem, ut regem ex severa Lycurgi disciplina profectum deceret, respondisse: „*ὦ Τίθραυστα, νομίζεται παρ' ἡμῖν τῷ ἄρχοντι κάλλιον εἶναι τὴν στρατιὰν ἢ ἑαυτὸν πλουτίζειν, καὶ παρὰ τῶν πολεμίων λάφυρα μᾶλλον πειρᾶσθαι ἢ δῶρα λαμβάνειν*". Non solum haec eo cum Xenophontis narratione pugnant, quod ille (Hell. III, 4, 25 sq.) narrat Tithraustem non corrumpere conatum esse Agesilaum, sed ei Regis verbis *imperasse* ut ex Asia abiret; quod quum Agesilaus se iniussu Spartanorum facere non posse dixisset, ab eo *petiisse*, ut saltem, donec Sparta mandata venissent, in Pharnabazi transiret regionem. Sed accedit aliquid, quod ridiculam reddat nostri fictionem de nobili et feroci Agesilai responso. Etenim Xenophon narrat, non Tithraustem *frustra* pecuniam Agesilao *obtulisse*, sed Agesilaum respondisse Tithrausti, se quod peteret facere paratum esse, si sibi pecuniam daret, eaque accepta eum copias in Pharnabazi duxisse regionem.

VII, 6. „Corinthum quum capere posset, ea facultate uti noluit dicens non in servitutem redigendas esse Graecas urbes sed ad sanam mentem reducendas: *εἰ δὲ τοὺς ἁμαρτάνοντας, ἔφη, ἡμῶν αὐτῶν ἀφανιοῦμεν, ὁρᾶν χρὴ μὴ οὐδ' ἕξομεν μεθ' ὅτου τῶν βαρβάρων κρατήσομεν*". Praeclara, hercle, ea sententia est; quo magis dolendum, eam nunquam ab Agesilao

dictam esse. Novimus enim (Hell. IV, 5, 3) non *noluisse* Agesilaum expugnare Corinthum, sed *non potuisse.* Quid quod ipse sibi obloquitur laudator? Alio enim loco (II, 18 sq.) fere idem narrat, quod et apud Xenophontem (l. l.) legimus. Satis est haec verba citasse: *ἰδὼν δὲ ὑπὸ πολλῶν φυλαττόμενον, ὡς ἐνδιδομένης τῆς πόλεως ἐξ ἀρίστου μετεστρατοπεδεύσατο πρὸς τὸ ἄστυ· αἰσθόμενος δὲ ὑπὸ νύκτα βεβοηθηκότας ἐκ τοῦ Πειραίου εἰς τὴν πόλιν πασσυδίᾳ, ὑποστρέψας ἅμα τῇ ἡμέρᾳ αἱρεῖ τὸ Πείραιον.*

F. *Quae a Xenophonte de aliis sunt narrata, ea laudator Agesilaum fecisse fingit.*

III, 3. *Σπιθριδάτης — Ἀγησιλάῳ ἑαυτὸν καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα καὶ τὴν δύναμιν ἐνεχείρισε.* Ergo Agesilai virtute factum laudator narrat, ut Spithridates a Rege defecerit. Sed si Xenophontem sequimur (III, 4, 10) omnem huius rei honorem sibi suo iure vindicare potest Lysander: is enim primus de iniuria Spithridati a Rege illata audivit, eique ut se suaque omnia Spartanis committeret persuasit.

II, 24. Vidimus laudatorem de *priore* Thebanorum irruptione narrantem ea verba ex Hellenicis transtulisse quibus Xenophon in narratione de *altera* irruptione utitur. Verum illa prudentia in statuendo, ubi militibus suis pugnandum, ubi vitandum proelium sit a Xenophonte Epaminondae tribuitur (Hell. VII, 5, 11). Cf. Sachsius p. 24.

VI, 6. Industria vigilantiaque Agesilai his verbis laudantur: *καὶ γὰρ νυκτὶ μὲν ὅσαπερ ἡμέρᾳ ἐχρῆτο, ἡμέρᾳ δὲ ὅσαπερ νυκτί, πολλάκις ἄδηλος γιγνόμενος ὅπου τε εἴη καὶ ὅποι ἴοι καὶ ὅ, τι ποιήσοι.* Desumpta ea verba sunt ex Hellenicis (VI, 1, 5; cf. 4, 21 sqq.), ubi *Iasonis Pheraei* laudes praedicantur.

G. *Quo tempore scribat obliviscitur.*

VII, 6. „Qui nunc est Rex Persarum societatem iungit cum Graecorum illis, quibuscum maxima Graeciae mala

se illaturum sperat, dona dat iis, quos illa adeptos gravissimis damnis totam Graeciam affecturos credit, eiusmodi pacem componendam curat, e qua gravissima inter nos oritura bella suspicatur; atque hoc omnes vident". Xenophontem hoc scribere non potuisse perspicuum est. Haud dubie enim *post Agesilai mortem* laudatio scripta est. De quo ergo Rege agitur? Teste Diodoro Artaxerxes Mnemon ante Agesilaum mortuus est: eum ergo si sequimur de Ocho narrat laudator; sin Canonem astronomicum sequimur, putandum est Mnemonem usque ad annum 358 regnasse, fierique potest, ut ille etiam viveret, quum encomium scribebatur. At vero inter a 362 (qui praecedit annum, quo Agesilaus diem supremum obiit) et 358, nulla alia pax inter Graecos convenit quam ea, quae statim post pugnam Mantinensem a Thebanis cum Spartanis facta est: in illa autem componenda aliquas fuisse Persarum regis partes nusquam traditum est. Sin — id quod multo mihi probabilius videtur — iam mortuus erat Mnemon, quo tempore Agesilai laus scribebatur, laudatorem defendere quidem possumus: haud enim iniuria Beckhausius, Hagenum ut refelleret, demonstravit Ochum quoque Graecorum rebus se immiscuisse; sed vix opus esse ea defensione opinor. Eiusmodi enim fuisse laudatorem istum iam satis vidimus, ut credibile sit, eum Persarum regis fallacias perfidiamque, quales ex Hellenicis cognosset brevi conspectu dum enumeraret, prorsus non curasse utrum idem etiam regnaret Rex, de quo apud Xenophontem legerat, an eius successor. Ante aliquot annos plebecula nostra cantilenis suis Napoleontem exsecrari solebat, haud reputans, non iam crudelem illum tyrannum in Gallorum sedere solio, sed fratris eius filium, hominem minime malum.

II, 9. De pugna apud Coroneam narraturus haec praefatur: καὶ γὰρ ἐγένετο οἵαπερ οὐκ ἄλλη τῶν ἐφ' ἡμῶν. Eadem

verba in Hellenicis leguntur (IV, 3, 6): sed admodum probabile est, ea a Xenophonte scripta esse multo ante pugnam Mantinensem; neque iniuria viri docti videntur ex iis, quae de proelio apud Coroneam dicuntur, effecisse, longum temporis intervallum praeteriisse, priusquam Xenophon ab ea parte Hellenicorum, quae proelium apud Coroneam continet, scribenda, ad illam componendam transiret, in qua pugna Mantinensis narratur. Absurdum autem est *post pugnam Mantinensem* de qualibet alia pugna, quae post bellum Peloponnesiacum commissa sit, affirmare: *ἐγένετο οἵαπερ οὐκ ἄλλη τῶν ἐφ' ἡμῶν*, minimeque hoc a Xenophonte exspectari potest, cuius haec verba sunt de pugna Mantinensi (VII, 5, 26): *συνεληλυθυίας γὰρ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος καὶ ἀντιτεταγμένων, οὐδεὶς ὅστις οὐκ ᾤετο τοὺς μὲν κρατήσαντας ἄρξειν τοὺς δὲ κρατηθέντας ὑπηκόους ἔσεσθαι.* Nihil ergo Xenophontea aetas vidit quod cum illa comparari posset.

Haec igitur argumenta sunt historici generis, quibus Agesilaum Xenophonti abiudicandum esse demonstratur. Quae ego, multo maximam partem ex Hageni libro desumpta, paucissimis quibusdam auxi, deinde omnia ea ratione ordinavi et proposui, qua mihi videbantur maximam esse habitura persuadendi vim. Ne autem putes, lector, me Hageni libro nimium tribuisse et in eius verba iurasse, tres locos indicabo, quibus Hagenum a Beckhausio et Sachsio iure refutatum censeam.

II, 24. *νομίζων εἰς μὲν τὸ πλατὺ ἐξιὼν .... τῷ παντὶ κρατεῖν ἄν.* Hunc locum Hagenus cum his verbis ex Hellenicis (VI, 5, 31): *οἱ δὲ τῶν Λακεδαιμονίων ἱππεῖς, μάλα ὀλίγοι φαινόμενοι ἀντιτεταγμένοι αὐτοῖς ἦσαν* confert, ex quibus apparet in proelio paucissimos Spartanos adfuisse. Contendit ergo laudatorem aliquid dicere, quod cum veri Xenophontis narratione conciliari nequeat. Putat enim *τῷ παντί* significare

Λακεδαιμονίων τῷ παντί id est: omnibus Spartanorum copiis rogatque: „numne pauci isti trecenti cum equitibus istis perpaucis fuere Λακεδαιμονίων τὸ πᾶν"? Quam observationem rectissime refellit Sachsius dicendo: „τῷ παντί est *prorsus*, *omnino*".

VII, 1. ὅπου ᾤετο τὴν πατρίδα τι ὠφελήσειν οὐ πόνων ὑφίετο, οὐ κινδύνων ἀφίστατο, οὐ χρημάτων ἐφείδετο, οὐ σῶμα, οὐ γῆρας προὐφασίζετο κτἑ. A Xenophonte haec scripta non esse equidem *audiri posse* contendo, sed nunquam id eo argumento demonstrari concedam, quo Hagenus usus est. Ille enim contendit adversa fronte haec repugnare iis, quae Hell. V, 4, 13 legimus, ubi Agesilaus dicitur noluisse expeditionis contra Thebanos imperium in se recipere λέγων ὅτι ὑπὲρ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης εἴη. Sed verissime Sachsius ipsum Hageni argumentum pugnare contendit cum iis quae apud Xenophontem sequuntur: οὐ μέντοι τούτου γε ἕνεκα κατέμεινεν, ἀλλ' εὖ εἰδὼς ὅτι εἰ στρατηγοίη, λέξοιεν οἱ πολῖται ὡς Ἀγησίλαος, ὅπως βοηθήσειε τοῖς τυράννοις, πράγματα τῇ πόλει παρέχοι. E quibus apparet, ut opinor, Agesilaum non *militiae onera detrectavisse* aetatem excusando (hoc enim si fecisset mentiretur laudator dicendo: οὐ γῆρας προὐφασίζετο), sed famam quandam vitare conatum esse.

VI, 8. ἄμεμπτος δὲ ὑπὸ τῶν φίλων (διετέλεσεν). Haec scribere non potuisse Xenophontem contendit Hagenus. „Qui enim" ait „Agesilaus ἄμεμπτος ὑπὸ τῶν φίλων dici potest ab eo, qui narravit quam ingratus fuerit erga Lysandrum, cui regnum acceptum referebat". Profecto nostrum nemo putabit Agesilaum bene functum esse amicitiae erga Lysandrum officio; sed num Xenophon quoque eo nomine Agesilaum reprehenderit dubitari potest. Eiusmodi enim eius narratio est (III, 4, 7—10) ut satis appareat scriptori quoque intolerabilem visam esse Lysandri arrogantiam, Agesilaumque eum

ablegando regiae dignitati et Spartae commodo bene consuluisse.

Historicisne argumentis adnumerandae sint narrationes obscurissimae, ubi quid tandem gestum sit in tenebris lateat, nescio. Ex eo genere autem est quod c. I, 18 legimus de praedae venditione, qui locus ut intelligi nullo modo possit, non tam eo factum esse credo quod laudator scribendi esset imperitus, sed quod *rem*, de qua narraret, prorsus non intelligeret.

Fieri autem posse ut *dictum* quoque obscurum ad idem genus referendum sit nunc demonstrabo. Legimus c. V, 5 responsum quoddam Agesilai, cuius maior pars (*μάχεσθαί γε — χρυσᾶ γενέσθαι*) atra nocte obscurior est. Illud ergo non ita scribi potuisse ab eo, qui aut quum daretur adesset, aut saltem Agesilai mentem cogitationesque bene perspiceret, pro certo mihi constat.

Neque solum Hellenicis, quae describit, laudator obloquitur, sed etiam aliis Xenophontis scriptis. Certe cum narratione, quam legimus Cyrop. VII, 5, 37 sqq., conciliari non possunt laudatoris verba (IX, 2): *ὁ μὲν* (Persarum Rex) *τῷ δυσπρόσοδος εἶναι ἐσεμνύνετο.* Hic enim *τὸ βασιλέως δυσπρόσοδον* acriter reprehenditur, illic demonstratur, tot hominum regem non posse *εὐπρόσοδον εἶναι,* laudaturque Cyrus, quod lepido artificio effecerit ut *ὅτι ἥκιστα ἂν ἐπιφθόνως σπάνιός τε καὶ σεμνὸς φανείη.*

Vides ergo, lector, historicorum argumentorum, quibus appareat non a Xenophonte encomium Agesilai scriptum esse, magnam exstare copiam. Quae quamvis gravissima videantur, tamen non credo prae iis negligenda esse indicia

e grammatica petita. Quorum hoc vel maxime manifestum est, quod laudator, ubi in aliquo Hellenicorum loco describendo ab exemplo suo recedit, minime felix esse solet, quum aut pro Xenophonteis absurdissimas ponat locutiones, aut grammaticae vim faciat, aut saltem aliquid dicat quod minus sincerum minusve elegans sit quam quod apud Xenophontem legitur. Et nescio an ex eo vel maxime appareat, quam puerilis homo iste laudator sit, quod saepissime pro participio verbum finitum ponit, quumque apud Xenophontem invenerit *δειπνοποιησάμενοι ἐκοιμήθησαν*, sibi placet in reponendo *ἐδειπνοποιήσαντο καὶ ἐκοιμήθησαν* (II, 5). Alia exempla sat multa vide apud Hagenum. Deinde mihi inspice hos locos inter se comparatos:

Ag. I, 25: *ἐπὶ στόχον ἱέντας.* Hell. III, 4, 16: *μελετῶντας.*

Ag. I, 32: *οἱ ἀγαθοὶ τῶν Περσῶν.* Hell. III, 4, 24: (*τοὺς μὲν δὴ ἱππέας ἐδέξαντο*) *οἱ Πέρσαι.*

Ag. II, 5: *σὺν ᾧ αὐτὸς ἐμηχανήσατο ἱππικῷ.* Hell. IV, 3, 9: *σὺν ᾧ αὐτὸς συνέλεξεν ἱππικῷ.*

Ag. I, 29: *ἐπὶ τὸν Σαρδιανὸν τόπον ἐχώρησε.* Hell. III, 4, 21: *εἰς τὸν Σαρδιανὸν τόπον ἐνέβαλε.* Sermo est de invasione hostili.

Ag. II, 13: *ἡ νίκη σὺν Ἀγησιλάῳ ἐγένετο.* Hell. IV, 3, 20: *ἡ νίκη Ἀγησιλάου ἐγεγένητο.*

ib: *τραύματα ἔχων παντόσε καὶ παντοίοις ὅπλοις.* Vide quam ridicule noster omnia oratione exaggeret. Absurda illa *παντόσε καὶ παντοίοις ὅπλοις* in Hellenicis (IV, 3, 20) prorsus omittuntur. Ipsi illi scriptores, qui laudatorem sub oculis habuerunt, hic tamen ab eo recedendum esse intellexerunt. Quorum Cornelius Nepos (Ag. 4) ita loquitur: „etsi aliquot vulnera acceperat". Plutarchus (Ag. c. 19): *καίπερ ὑπὸ τραυμάτων πολλῶν κακῶς τὸ σῶμα διακείμενος* et c. 36: *πᾶν ὑπὸ τραυμάτων τὸ σῶμα κατακεκομμένος,* quorum hoc quum idem

significet, quod verba ex Agesilao citata, eleganter et pure enuntiatum est.

Accedunt hisce verba locutionesque quaedam insolentiora aut suspecta:

I, 6, ὁ ἐπιτυχών: multo frequentius apud Atticos est simplex ὁ τυχών.

I, 18, ἀντίπροικα. „vilissimo pretio" (si recte verba obscurissima intelligo).

I, 24, φρονηματίας.

II, 19, πασσυδίᾳ.

II, 27, προπομπή.

II, 31, μισθὸν λύσει („stipendium solvet").

III, 1, πάντων τῶν καλῶν ἤρα καὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἐξεδίωκε. Omnino laudator verbo ἐρᾶν ineptum in modum abutitur.

VII, 2, λατρεύω (quod verbum semel tantum apud Xenophontem, in Cyropaedia, legitur, sed ibi „serviendi" sensu).

VIII, 2, ἥκιστα δὲ ὢν οἷος μεγαληγορεῖν. (Rarissimum enim est apud Xenophontem οἷος cum infinitivo, quamquam frequenter ea locutione potuerat uti).

VIII, 3, ὅτι φίλος ἀνὰ κράτος αὐτῷ ἔσοιτο.

VIII, 5, οὐκ ἐκρατήθη — ἐθελῆσαι. (Hoc sensu: nulla ratione adduci poterat — ut vellet).

IX, 1, ὑπεστήσατο τὸν τρόπον τῇ Περσῶν ἀλαζονείᾳ.

XI, 2, ὑμνεῖν „praedicandi" sensu.

XI, 14, μεγάλην καὶ καλὴν ἐφιέμενος δόξαν.

Neque omittendae sunt sententiae, ubi propter scribendi imperitiam tam inepto laudator sermone utitur, ut quid tandem velit vix divinare possis. Harum quoque pauca dabo exempla:

I, 2, ἔτι καὶ νῦν τοῖς προγόνοις ὀνομαζομένοις ἀπομνημονεύεται ὁπόστος ἀφ' Ἡρακλέους γέγονεν.

I, 36: ἐπείθετο τῇ πόλει οὐδὲν διαφερόντως ἢ εἰ ἐν τῷ ἐφορείῳ ἔτυχεν ἑστὼς παρὰ τοὺς πέντε.

X, 1: ταῦτα γὰρ οὐχ ὥσπερ εἰ θησαυρῷ τις ἐντύχοι πλουσιώτερος μὲν ἂν εἴη, στρατηγικώτερος δὲ οὐδὲν ἄν, καὶ εἰ νόσου δὲ πολεμίοις ἐμπεσούσης κρατήσειεν, εὐτυχέστερος μὲν ἂν εἴη. στρατηγικώτερος δὲ οὐδὲν ἄν.

Plura quidem exstant huius generis exempla, sed multa eorum librariorum incuria nata videntur, nec lubet encomio isti coniecturis medicinam afferre.

Iam satis, ut opinor, apparet, mi lector, haud deesse arma quibus, si de scriptore Agesilai certandum esset, illi, qui contendunt libellum a Xenophonte scriptum non esse, causam suam defenderent. Sed habent hoc omnia argumenta, ut ipsa eorum multitudo causae noceat magis quam prosit: nam si in magno numero vel unum deprehendit doctus lector, quod falsum sit, de ceteris quoque dubitare incipit. Deinde inter illos, qui Xenophontem in manibus habere solent, multi quidem sunt, qui et scripta et scriptoris indolem penitus cognita habent, sed quantum quodque argumentum valeat accurate perpendere neque volunt neque curant. Quum enim sciant fere nullum de ulla re argumentum proferri, quod omnibus aeque grave esse et eodem tendere videatur omnia ista „docta" [1]) argumenta suspecta habent, neque id, hercle, semper iniuria. Ergo ut eodem fere redeam, unde initium feci, confiteor me et ipsum in quaestionibus, qualis haec est de Agesilao, illam ex artis praeceptis demonstrandi ratio-

1) Germ. „wissenschaftliche".

nem non tanti facere quanti nunc plerisque facienda videatur: qui enim non *sentit* Agesilaum a Xenophonte scriptum non esse, eum nullis convinces argumentis. Ergo ut mecum, lector, idem *sentias* efficere conabor. Concedes, ut opinor, verecundissimum hominem esse Xenophontem et suam gloriolam parum curare: dummodo lector plane perspiciat, quam egregius vir Socrates fuerit, vel aliquam capiat voluptatem ex narratione de militum suorum per mediam Asiam itinere, ipsumque adversus illos iusti et integri ducis officio functum esse sciat, sibi satis bene consultum fore credit: ita semper *scriptor* delitescit, ut de eo vix cogitare lector possit. Cognosce nunc quam saepe Agesilai laudator ex latebris suis prosiliat, quanto magis de sua quam de Agesilai laude sit sollicitus, quam se defendat contra lectoris reprehensiones: audies, ut opinor, non ipsum quidem Isocratem, sed Ἰσοκρατιδέα quendam, declamationem suam, quam cum multo sudore composuit, magistello recitantem. Hos, quaeso, locos vel obiter adspice:

II, 7: *εἰ γὰρ ταῦτα λέγοιμι, Ἀγησίλαόν τ' ἂν μοι δοκῶ ἄφρονα ἀποφαίνειν καὶ ἐμαυτὸν μῶρον.*

III, 1: *ἀναμνῆσαι μόνον ἀρκεῖ καὶ εὐθὺς πιστεύεται.*

V, 17: *εἰ δ' ἐγὼ ταῦτα ψεύδομαι ἀντία τῆς Ἑλλάδος ἐπισταμένης, ἐκεῖνον μὲν οὐδὲν ἐπαινῶ, ἐμαυτὸν δὲ ψέγω* [1]).

1) Alios eiusdem generis locos enumerat Hagenus (p. 59) ut demonstret, iam alias Agesilai laudationes ante hanc scriptas fuisse, illasque saepius a nostro respici et refelli. Non magis hoc credo, quam quod de capite undecimo disputat vir doctissimus. In illo enim quum scriptor dicat quidem se *ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν τὴν Ἀγησιλάου ἀρετήν* velle, sed multas enumeret Agesilai virtutes, de quibus in praecedentibus ne verbum quidem dixerit, Hagenus contendit totum caput a falsario esse additum. Eoque capite tamquam argumento usus Beckhausius fabulam de Xenophontis nepote avi libros edente pannosque suos assuente excogitavit. Mihi quidem istiusmodi

X, 3: *ἀλλὰ γὰρ μὴ ὅτι τετελευτηκὼς ἐπαινεῖται, τούτου ἕνεκα θρῆνόν τις τοῦτον τὸν λόγον νομισάτω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἔπαινον.*

XI, 1: *βούλομαι δ' ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ ὡς ἂν ὁ ἔπαινος εὐμνημονεστέρως ἔχῃ.*

Ohe, iam satis est.

---

coniecturis audacibus, quibus ille solum, qui primus proposuit, fidem habere soleat, minime opus esse videtur. Quid enim non facit adolescentulus verborum sententiarumque sonantium auceps? Nonne adversarios fingit; nonne in scribenda peroratione hoc sibi proponit, ut ea quam longissima et verbosissima evadat, de rebus ipsis, quas narrat, satis securus?

CAPUT DUODECIMUM.

Ad Xenophontis Historiam Graecam annotationes variae.

Nulli ego Xenophontis libro tantum temporis laborisque impendi quantum eius Historiae Graecae. Nam omnia quidem scripta Xenophontea accuratissime perlegi relegique, et quidquid mihi in illis corruptum obscurumve videbatur emendare vel explicare conatus sum, sed prae ceteris me τὰ Ἑλληνικὰ alliciebant; identidem ad illa redibam, non quod mihi tam placerent, sed quod in legendo mihi maximas plurimasque pariebant molestias; quarum nullam neque negligebam neque dissimulabam, sed in singulis tam diu subsistebam, donec certa mihi staret sententia. Itaque quotiens librum excusserim vix dicere possum, sed nulla est pagina, quae mihi non aliquam obtulerit ἀπορίαν, cuius λύσιν aut mihi repperisse videar, aut saltem indagare sim conatus. Verum — quod saepius in nostris studiis accidere solet — effugit me, quod summa diligentia industriaque quaesivi. Sperabam enim fore ut de *totius* libri consilio fatisque aut novum quoddam informarem iudicium, quod satis probabile esset, aut sententiam ab aliis prolatam novis argumentis defendere possem.

Id autem mihi non contigit. Vidi enim cognovique ab aliis viris doctis Hellenica in duas, ab aliis in tres partes, longo temporis intervallo editas, discerni, et ab utrisque gravia afferri argumenta, verum neque utra sententia potior sit statuere, neque ambas a vero aberrare, aliamque esse quaerendam viam demonstrare possum, sed dubius incertusque haereo. Quo factum est, ut nullo vinculo meas observationes inter se iunxerim, neque partem aliquam earum ad certum quoddam propositum converterim, sed prout quaeque mihi in legendo oblata est, ita nunc in scribendo erit proponenda. Quam autem diversum earum genus sit ipse, Lector, videbis. Modo enim conïecturam emendandive tentamen proponam, modo, de emendatione desperans, vitium alicubi latere, idque cuiusmodi sit indicabo; interdum novam loci explicationem commendabo, vel loquendi usum exemplis illustrabo. Multos quoque notabo locos, quos mihi docti interpretes nondum satis perspicuos reddidisse videantur. Coniecturarum autem mearum pleraeque eo pertinebunt, ut demonstrem, quam verum illud sit, quod Breitenbachius, doctissimus Hellenicorum editor (Praef. p. 34) statuit: „quod omnibus multorum manibus tritis libris idem et Hellenicis accidit, ut rarissime omissionibus, saepissime interpolationibus sint corrupta." Cuius ego verba hic affero, quoniam nostro tempore illa interpolationum tollendarum ratio in multorum derisionem contemptionemque adducta esse videtur. Neque id, hercle, mirandum est. Haud raro enim editores, poëtarum praesertim, longiores locos, quos non intelligunt, uncinis includunt vel ad calcem paginae relegant, quamquam nihil continent, quod magistelli falsariive manum prodat. Equidem sic censeo, ne verbum quidem, quod paulo obscurius sit, grammaticis vel semidoctis lectoribus esse tribuendum, sed ea demum tamquam inutilia additamenta esse proscribenda, quae et perspicua sint,

et scriptoris orationem ineptiorem languidioremve reddant; et ne hoc quidem satis firmum esse indicium, nisi simul appareat, quo consilio olim in margine fuerint annotata, quoque casu postea in textum irrepserint. Quam legem qui fideliter observarit, haud inutilem scriptori operam navare poterit. Nunc ad propositum transeo.

LIBER I.

Caput I, 4. Classem Spartanorum, cui praeerat Dorieus, Athenienses prope Rhoeteum aggressi sunt: aequo Marte discessum est. Mindarus dum Troiae rem divinam faciebat illo proelio conspecto *ἐβοήθει ἐπὶ τὴν θάλατταν, καὶ καθελκύσας τὰς ἑαυτοῦ τριήρεις ἀπέπλει ὅπως ἀναλάβοι τὰς μετὰ Δωριέως.* Haud leviter mihi hoc loco verbum *ἀποπλεῖν* displicet. Plerumque enim *ἀποπλεῖν* significat *domum* navigare; neque tamen infitiabor etiam de eo adhiberi posse, qui ab alio in alium locum navibus proficiscitur, ut aut aliam stationem quaerat aut novam belli fortunam experiatur. Exemplo sit quod legitur L. V, 1, 6: (Nicolochus) *παρατραπόμενος εἰς Τένεδον ἐδῄου τὴν χώραν καὶ χρήματα λαβὼν ἀπέπλευσεν εἰς Ἄβυδον.* Sed eiusmodi locis tamen semper simul locus, *unde* aliquis proficiscitur, respicitur, ita ut *ὁ ἀποπλέων* inde dicatur vel perfecto consilio, cuius causa eo venerat, vel re infecta abiisse. Neutrum horum in ea quae de Mindaro narrantur quadrat. An forte dicitur relicto sacrificio, quod instituerat, Abydo abiisse? Hoc quum per se absurdum sit, quominus vel a pertinacissimo adversario afferatur, impediunt etiam verba interiecta *ἐβοήθει ἐπὶ τὴν θάλατταν ὅπως ἀναλάβοι τὰς*

μετὰ Δωριέως. Quid ergo est legendum? Nempe ἀνέπλει. Nam prorsus idem significant ἀναπλεῖν et, quod apud Xenophontem usitatissimum est, ἀνάγεσθαι. Confer nunc quae de eadem re leguntur apud Diodorum: Μίνδαρος ἀνήχθη μετὰ παντὸς τοῦ στόλου. Et apud Xenophontem statim haec verba sequuntur: οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἀνταναγόμενοι ἐναυμάχησαν. Si quis me roget unde vitium natum existimem, hoc fere respondeam: et quia compositum ἀναπλεῖν apud Xenophontem rarissimum est (quis autem credat consulto ab eo esse vitatum?), et quia legentis auribus ingrata erat praepositionis ἀνά repetitio (ἀνέπλει, ἀναλάβοι, ἀνταναγόμενοι). Sed pluris, ut opinor, facienda est sententia quam euphonia.

I, 15. His verbis dolus Alcibiadis narratur: ἐπειδὴ ὡρμίσαντο, τὰ πλοῖα πάντα καὶ τὰ μικρὰ συνήθροισε παρ' ἑαυτὸν ὅπως μηδεὶς ἐξαγγείλαι τοῖς πολεμίοις τὸ πλῆθος τῶν νεῶν. In vocabulis καὶ τὰ μικρά et haesi semper et etiamnunc haereo. Apud Plutarchum haec leguntur (Alc. 28): ἐκέλευσεν ἔντος παραβάλλειν τὰ λεπτὰ πλοῖα καὶ παραφυλάσσειν ὅπως κτἑ., idque quo consilio fecerit Alcibiades recte explicat Breitenbachius: parva enim navigia non tam facile custodiri poterant quam magnae triremes. Vereor tamen ut recte Xenophontis verba interpretatus sit: „omnia navigia (praesertim) etiam parvas (lintres).” Nam ferre quidem possim τὰ πλοῖα πάντα, καὶ τὰ μικρότατα (quamquam illud quoque verbosius quam pro huius libri brevitate dictum esset), sed τὰ πλοῖα πάντα καὶ τὰ μικρά absurdum videtur. Sensit hoc Schneiderus, qui Plutarchum suspicatur legisse πάντα τὰ μικρά, ipsum autem Xenophontem scripsisse τὰ πλοῖα πάντα τὰ μικρά (omisso καί). Vide doctam Schneideri annotationem. Sed parum verisimilis eius coniectura videtur. Nonne enim a Xenophonte exspectes potius πάντα τὰ μικρὰ πλοῖα? Equidem multo magis in eam sententiam inclino, ut credam Xenophontem dedisse τὰ πλοῖα

πάντα συνήθροισε, idque quid sibi velit nemo ignorare potest: quum enim in vicinia saepius legatur vocabulum νῆες, non est dubium, quin illo triremes, vocabulo πλοῖα vero parva navigia significentur. Non tamen satis perspicue locutum esse Xenophontem credidit grammaticus quidam, ergo annotavit τὰ μικρά, idque addito, ut fit, καί in textum est receptum. Eiusdem generis molestia inest loco (§ 18), quem in eadem annotatione tractat Schneiderus. Legitur enim: Ἀλκιβιάδης δὲ ταῖς εἴκοσι τῶν νεῶν περιπλεύσας ἀπέβη εἰς τὴν γῆν, ubi articulus ταῖς nullo modo defendi potest. Haud male ergo Schneiderus, Plutarchi testimonio usus, legendum esse coniicit εἴκοσι ταῖς ἀρίσταις τῶν νεῶν.

I, 16. Concione dimissa rebusque ad proelium necessariis apparatis Alcibiades Cyzicum vela dedit ὕοντος πολλῷ. Quum prope Cyzicum venisset αἰθρίας γεγενημένης καὶ τοῦ ἡλίου ἐκλάμψαντος Mindari conspicit naves. Tres causae sunt cur non credam Xenophontem verba καὶ τοῦ ἡλίου ἐκλάμψαντος addidisse. Quarum prima est, quod αἰθρία γίγνεται et ὁ ἥλιος ἐκλάμπει prorsus idem significat, ipsaque rei natura fert, ut nemo scriptor, ubi dicendum est „sudum fit" vel eiusmodi aliquid, duabus utatur locutionibus; etenim et oppositum non nisi verbis ὕοντος πολλῷ indicatur. Deinde omnia, quae hic narrantur, concisa brevitate conscripta sunt. Accedit quod mihi haud improbabilis videtur eorum opinio, qui censent primos libros Hellenicorum a Xenophonte imperfectos esse relictos, magnamque eorum partem constare e brevibus annotationibus, quas scriptor consignarit, ut haberet unde postea iustum librum componeret. Quod quin verissime de loco, in quo nunc versamur, statuerint nemo dubitare potest. Inspiciat mihi aliquis Alcibiadis orationem ante proelium habitam, partim directa partim indirecta oratione traditam: παρεκελεύετο αὐτοῖς ὅτι ἀνάγκη εἴη καὶ ναυμαχεῖν καὶ πεζομαχεῖν καὶ τειχο-

μαχεῖν· οὐ γάρ ἐστιν, ἔφη, χρήματα ἡμῖν, τοῖς δὲ πολεμίοις ἄφθονα παρὰ βασιλέως: nonne liquido apparet haec Xenophontem ideo tantum scripto mandasse, ut postea, quum ad Alcibiadis orationem vel tradendam vel fingendam ventum esset, memoriae succurrerent? [1]) Nam ne argumentum quidem orationis ullum tam exile esse potest. In eiusmodi autem narratione, tam concisa, tamque imperfecta admirationem movet verborum ubertas, quae in isto αἰθρίας γεγενημένης καὶ τοῦ ἡλίου ἐκλάμψαντος cernitur.

I, 22. Chrysopolim advenerunt Athenienses: eum locum moenibus firmarunt, δεκατευτήριον ibi statuerunt, praesidium Theramene et Eubulo ducibus reliquerunt τοῦ τε χωρίου ἐπιμελεῖσθαι καὶ τῶν ἐκπλεόντων πλοίων καὶ εἴ τι ἄλλο δύναιντο βλάπτειν τοὺς πολεμίους. Modo inutilia quaedam vocabula resecanda esse demonstravi; huic tamen loco contraria medela salutem esse afferendam contendo: nam tam imperfectos ne hos quidem libros a Xenophonte relictos esse credo, ut singulis sententiis necessaria quaedam pars deesset. Eam autem conditionem esse verborum quae citavi haud obscurum est. Quid enim? Relictum illud praesidium esse dicitur et aliarum rerum gratia καὶ εἴ τι ἄλλο δύναιντο βλάπτειν τοὺς πολεμίους. Num ergo in iis quae praecedunt de damno aliquo hostibus inferendo agitur? Aut prorsus de ea re siletur aut obscurissime significatur. Etenim τοῦ χωρίου ἐπιμελεῖσθαι est: locum munitum custodire ne in hostium manus veniat; τῶν ἐκπλεόντων πλοίων ἐπιμελεῖσθαι significat: naves ex Ponto venientes observare. Ad neutrum horum τὸ ἄλλο τι βλάπτειν

1) Frustra se exercet Plutarchus (Alc. 28) ut exornandis Xenophontis verbis aliquid efficiat quod iustae concionis speciem praebeat: τοὺς μὲν στρατιώτας παρώρμησεν, ὡς ἀνάγκην οὖσαν αὐτοῖς καὶ ναυμαχεῖν καὶ πεζομαχεῖν καὶ νὴ Δία τειχομαχεῖν πρὸς τοὺς πολεμίους· χρήματα γὰρ οὐκ εἶναι μὴ πάντῃ κρατοῦσι. Risum movet flosculus iste νὴ Δία.

τοὺς πολεμίους recte refertur. Credo ergo sic fere Xenophontem scripsisse: *τοῦ τε χωρίου ἐπιμελεῖσθαι καὶ τῶν ἐκπλεόντων πλοίων (κατάγειν τὰ πολέμια) καὶ εἴ τι ἄλλο κτέ.*, verba autem inclusa excidisse.

I, 27 sq. Syracusanorum duces accepto nuntio, se in exilium pulsos esse, contionem militum advocant, ibique de sua sorte lamentantur, obtestantes iniquam et iniustam illam poenam esse. *παρῄνεσάν τε προθύμους εἶναι καὶ τὰ λοιπά, ὥσπερ τὰ πρότερα καὶ ἄνδρας ἀγαθοὺς πρὸς τὰ ἀεὶ παραγγελλόμενα, ἑλέσθαι δ' ἐκέλευον ἄρχοντας μέχρι ἂν ἀφίκωνται οἱ ᾑρημένοι ἀντ' ἐκείνων.* Milites vero exclamant illis imperium esse tenendum, duces contra monent non esse adversus ipsorum patriam pugnandum. *εἰ δέ τις ἐπικαλοίη τι αὐτοῖς λόγον ἔφασαν χρῆναι διδόναι, μεμνημένους ὅσας τε ναυμαχίας αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς νενικήκατε καὶ ναῦς εἰλήφατε ὅσα τε μετὰ τῶν ἄλλων ἀήττητοι γεγόνατε ἡμῶν ἡγουμένων, τάξιν ἔχοντες τὴν κρατίστην διά τε τὴν ὑμετέραν ἀρετὴν καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν προθυμίαν καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὑπάρχουσαν.* Locum satis longum exscripsi, quo magis perspicuum esset, eius ordinem esse turbatum. Nemo enim, ut opinor, credet ideo milites admoneri, ut rerum a se olim terra marique fortiter gestarum memores sint, ut intelligant ducibus *χρῆναι λόγον διδόναι.* Quid enim *λόγον διδόναι* significat? Nempe aliquem non indicta causa condemnare sed ei copiam dare semet defendendi; cui autem ea res permittitur, is *λόγου τυχεῖν* dicitur. Cf. Demosth. pro Cor. p. 229: *οὐ γὰρ ἀφαιρεῖσθαι δεῖ τὸ προσελθεῖν τῷ δήμῳ καὶ λόγου τυχεῖν.* Absurdum autem videtur duces illos, homines nobiles, suaeque sibi virtutis conscios, militibus victorias suo ductu reportatas in memoriam revocare, ut id impetrent, quod ne de plebe quidem maleficis negari soleat. Hoc quoque accedit quod illud *μεμνημένους ὅσας ναυμαχίας νενικήκατε κτέ.* haud dubie de toto exercitu dictum est; nunc

autem ea verba illo loco sunt posita, ut putes ad illos homines pertinere *οὓς χρὴ λόγον διδόναι*, qui aut nulli sunt aut paucissimi. Omnia haec quae dixi sensisse videtur Schneiderus, itaque totum illum locum *μεμνημένους — ὑπάρχουσαν* posuit post ea quae praecedunt *ἑλέσθαι δ' ἐκέλευον .... ἀντ' ἐκείνων*. Sed ne haec quidem coniectura placet, quia ad duces creandos, praesertim qui per breve tempus imperium obtineant, non opus est ut milites omnium illarum sint rerum memores, quae hic enumerantur, et quia sic adhortatio de novis ducibus creandis et militum exclamatio (*ἐκείνους ἄρχειν*) nimio spatio divelluntur. Sin post *παρῄνεσάν τε προθύμους εἶναι καὶ τὰ λοιπά, ὥσπερ τὰ πρότερα καὶ ἄνδρας ἀγαθοὺς πρὸς τὰ ἀεὶ παραγγελλόμενα* illud *μεμνημένους — ὑπάρχουσαν* inserueris, omnia egregie procedent, totique loco pristinus nitor erit restitutus. Hunc ordinem commendavit Dindorfius, recepitque Breitenbachius; quoniam tamen editorum nonnullos vulgatam lectionem etiam tueri video, fusius de ea deque Dindorfii coniectura disputavi. Quod autem nonnulli in verbis *εἰ δέ τις ἐπικαλοίη τι αὐτοῖς λόγον ἔφασαν χρῆναι διδόναι* haerent, dicuntque se non intelligere quid ista ducum postulatio sibi velit, credo illa quoque a Xenophonte in praesentia breviter esse notata, quibus postea uteretur ad conscribendum locum non dissimilem illi qui legitur Anab. L. V, c. 8. Tamen iam e paucis illis verbis hoc, ut opinor, apparet, rem eo deducere voluisse duces, ut tamquam publica auctoritate constaret, nihil se commisisse, ut illa exilii infamia afficerentur.

1, 30. Hermocratis *κοινότης* his verbis laudatur: *ὧν γὰρ ἐγίγνωσκε τοὺς ἐπιεικεστάτους τῶν τριηράρχων καὶ κυβερνητῶν καὶ ἐπιβατῶν*, illos omnes quotidie ad se in consilium militare vocabat. Sensu cassa esse Graeca verba, quae citavi, non dubito affirmare. Non enim alio modo ea verti possunt quam

sic: „e numero *τριηράρχων, κυβερνητῶν, ἐπιβατῶν* quos cognitos habebat, praestantissimos." Iam quamvis egregius fuerit imperator Hermocrates, tamen facile credo, eum non omnes milites cognitos habuisse: ex iis tamen, quos noverat, non erat delectus habendus, nam ipsos illos praestantissimos, quos ad consilium adhibebat, solos noverat, ut opinor. Deinde et hoc fieri poterat, ut *τῶν κυβερνητῶν* pauci ei ignoti essent. Sed quis credat, ex parvo *τριηράρχων* numero vel unum ei fuisse ignotum? Quod autem Breitenbachius locum ita esse explicandum dicit, ut post *ἐγίγνωσκε* cogitatione suppleatur *τούτων*, non video illa ratione difficultatem tolli. Quid tamen sit legendum nescio, sed hoc video, si Xenophon sic scripsisset: *οὓς γὰρ ἐγίγνωσκεν ἐπιεικεστάτους ὄντας τῶν τριηράρχων*, neminem impeditam illam sententiam, quae nobis tradita est, desideraturum fuisse.

I, 35. Num bene Graece dictum sit *πλοῖα πολλὰ σίτου* pro *π. π. σίτου πλήρη* vel *σιταγωγά* vehementer dubito.

Caput II, 1. De Thrasyllo Athenis copiarum delectum agente haec narrantur: *τά τε ψηφισθέντα πλοῖα λαβὼν καὶ πεντακισχιλίους τῶν ναυτῶν πελταστὰς ποιησάμενος ὡς ἅμα καὶ πελτασταῖς ἐσομένοις, ἐξέπλευσεν.* Nullum hic locum esse dativo *πελτασταῖς ἐσομένοις*, atque ergo verba *ὡς ἅμα-ἐσομένοις* corrupta esse nemo non videt, varieque ea viri docti emendare conati sunt. Quorum Holwerda nostras coniecit: *ὡς ἅμα καὶ ναύτας καὶ πελταστὰς ἐσομένους*, Madvigius *πεντακισχιλίοις τῶν ναυτῶν πέλτας ποιησάμενος*. Neutra coniectura placet, quia non apparet unde corruptela nasci potuerit. Breitenbachius vero verba notata tamquam glossema inclusit, quam rationem probarem, nisi multo verisimilior videretur Weiskii coniectura, quam tamen contemnunt omnes. Is enim legendum esse censebat: *ὡς ἅμα καὶ πελτασταῖς χρησόμενος.*

II, 6. Thrasyllus Ephesum vela dat; quod ubi sensit Tissaphernes, magnas contraxit copias, equitatumque praemisit παραγγέλλων πᾶσιν εἰς Ἔφεσον βοηθεῖν τῇ Ἀρτέμιδι. Quod supra dicebam, non semper inutile esse interpolationum tollendarum studium, dummodo lector sentiat verba eiecta sententiae naturam corrumpere, eius rei hic periculum facere licet. Non enim quemquam credo, verbo monitum, negaturum esse istud εἰς Ἔφεσον omnem vim τοῦ παραγγέλματος pessumdare. Eo autem eiecto aptissima adhortatione ad milites uti Tissaphernem quisque videbit. Conferri potest lepidissimus versus ex Aristophanis Acharnensibus, ubi de Sadoco adolescentulo Thracio, qui nuperrime civitate Atheniensi erat donatus, dicitur

καὶ τὸν πατέρ' ἠντεβόλει βοηθεῖν τῇ πάτρᾳ.

Caput III, 11. Φαρνάβαζος δ' ἀξιῶν δεῖν κἀκεῖνον ὀμνύναι. Vix mihi persuadeo non esse supervacaneum verbum δεῖν. Confero enim hunc locum (Hell. VII, 4, 10): οἱ μέντοι Θηβαῖοι ἠξίουν αὐτοὺς καὶ συμμαχίαν ὀμνύναι.

III, 18. ἐπεὶ δ' ἐξέπλευσεν ὁ Κλέαρχος οἱ προδιδόντες τὴν πόλιν τῶν Βυζαντίων.... narratio quae hic instituitur admodum est confusa et turbata. Etenim post verba citata nomina proditorum enumerantur: Κύδων καὶ Ἀρίστων καὶ Ἀναξικράτης καὶ Λυκοῦργος καὶ Ἀναξίλαος. Tum Anaxilai nomini annectitur sententia relativa, qua, quomodo se ille in iudicio Spartae habito defenderit et quare sit absolutus, traditur. Post illam narrationem nova sententia a coniunctione ἐπεὶ incipit, quaque ratione proditores Athenienses in urbem introduxerint exponitur. Quidquid dicunt interpretes, non possum credere ipsum Xenophontem tam confuse et obscure scripsisse, sed excidisse quaedam, sententiamque sic fere explendam esse

censeo: *οἱ προδιδόντες τὴν πόλιν τῶν Βυζαντίων (πρὸς ἔργον ἐτράποντο· ἦσαν δὲ οἵδε) Κύδων κτἑ.*

Caput IV, 2. *πορευομένοις αὐτοῖς παρὰ βασιλέα ἀπήντησαν καταβαίνοντες οἵ τε Λακεδαιμονίων πρέσβεις, Βοιώτιος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ καὶ οἱ ἄλλοι, καὶ ἔλεγον ὅτι Λακεδαιμόνιοι πάντων ὧν δέονται πεπραγότες εἶεν παρὰ βασιλέως, καὶ Κῦρος, ἄρξων πάντων τῶν ἐπὶ θαλάττῃ καὶ συμπολεμήσων Λακεδαιμονίοις ἐπιστολήν τε ἔφερε κτἑ.* Quis unquam vidit probavitque tale monstrum sententiae? E qua ne hoc quidem appareat, quod tamen scriptorem voluisse constat, Cyrum iis, qui ad Regem iter facerent, *obviam venisse.* Sic fere Xenophontem scripsisse puto: *λέγοντες* (pro *καὶ ἔλεγον*) *ὅτι Λακεδαιμόνιοι.... καὶ Κῦρος.... Λακεδαιμονίοις, ἐπιστολὴν φέρων.* Deinde num recte dictum sit *πάντων ὧν δέονται πεπραγότες εἶεν* vehementer dubito: nam quod interpretes narrant de „attractione inversa sive assimilatione", in eo parum est praesidii. Non enim tam molestus est genitivus *πάντων* quam verbum *πεπραγότες εἶεν,* pro quo *διαπεπραγμένοι εἶεν* exspectes potius.

IV, 14. Alcibiadis amici et alia et haec dicentes inducuntur: *ἐθέλοντος δὲ τότε κρίνεσθαι παραχρῆμα τῆς αἰτίας ἄρτι γεγενημένης ὡς ἠσεβηκότος εἰς τὰ μυστήρια, ὑπερβαλλόμενοι οἱ ἐχθροὶ τὰ δοκοῦντα δίκαια εἶναι ἀπόντα αὐτὸν ἐστέρησαν τῆς πατρίδος.* Quae illa in Alcibiadem *αἰτία* fuerit omnes etiamtum memoria tenuisse opinor; verba autem *ὡς ἠσεβηκότος εἰς τὰ μυστήρια* sententiam iusto longiorem et languidiorem efficiunt; ea ergo expellenda censeo.

IV, 16. Quare probabile non sit Alcibiadem democratiae inimicum fuisse, hoc argumento demonstrant eius amici: *ὑπάρχειν γὰρ ἐκ τοῦ δήμου αὐτῷ μὲν τῶν τε ἡλικιωτῶν πλέον ἔχειν τῶν τε πρεσβυτέρων μὴ ἐλαττοῦσθαι, τοῖς δ' αὐτοῦ ἐχθροῖς δοκεῖν εἶναι οἵοισπερ πρότερον, ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους.* Corrupta haec esse iam Leonclavius vidit;

ergo pro δυνασθεῖσιν coniecit δυνασθέντας. Recentiorum editorum plerique illam coniecturam silentio praetereunt, falsam eam esse demonstrare conatus est Schneiderus. Neque ego illa persanari sententiam contendo, sed hoc recte intellexisse Leonclavius videtur, a verbis ὕστερον δέ sententiae partem incipere, quae a verbo ὑπάρχειν pendere iam non possit. Primum enim opponuntur inter se Alcibiades eiusque inimici, atque illi democratia profuisse, his vero nihil nisi damna attulisse dicitur. Egregie cum priore illa sententiae parte conferri potest locus, quo Demosthenes suam περὶ τριηραρχίας legem cum priori lege comparat. Legitur: pro Corona p. 260 extr.: ἦν γὰρ αὐτοῖς (sc. τοῖς τῶν συμμοριῶν ἡγεμόσιν) ἐκ μὲν τῶν προτέρων νόμων συνεκκαίδεκα λειτουργεῖν, αὐτοῖς μὲν μικρὰ καὶ οὐδὲν ἀναλίσκουσιν τοὺς δ' ἀπόρους τῶν πολιτῶν ἐπιτρίβουσιν, ἐκ δὲ τοῦ ἐμοῦ νόμου τὸ γιγνόμενον κατὰ τὴν οὐσίαν ἕκαστον τιθέναι. Absoluta tamen illa sententiae parte, Alcibiadis amici demonstrare pergunt, non ὅ, τι ἐκ τοῦ δήμου ὑπῆρχεν eius adversariis (id enim in praecedentibus fecerunt), sed quid illi, quum rerum potiti essent, i. e. fracto populari imperio, commiserint: perspicuum ergo est, illud „quum rerum potiti essent", non dativo casu enuntiari posse, sed in narratione de adversariorum illorum iniuriis accusativum cum infinitivo requiri. Itaque quin recte Leonclavius correxerit δυνασθέντας equidem non dubito. Sed idem sentio, ea emendatione recepta tamen haud levem difficultatem remanere. Vocabula enim ὕστερον δέ declarant, olim hoc loco scriptum fuisse, quid illi homines *primum*, quid *deinde* fecerint. Nunc vocabulum πρότερον traditum quidem est, sed ita praecedentibus adhaeret, ut dici nequaquam possit etiam ad ὕστερον δέ pertinere. Sed vix credere possum, illud πρότερον recte eo loco positum esse, quem nunc occupat. Hoc enim demonstratur: non Alcibiades verum inimici eius statum popularem reipublicae ever-

tere conati sunt; his enim democratia molesta, illi vero utilis erat. Agitur ergo de eo tempore quo parabatur quidem democratiae pernicies, nondum tamen labefactata erat. Itaque absurde dici *τοῖς Ἀλκιβιάδου ἐχθροῖς ὑπάρχειν ἐκ τοῦ δήμου τοιούτοις δοκεῖν εἶναι οἷοισπερ πρότερον* manifestum est: tempus enim, quod democratiam antecesserat, neque Alcibiades neque adversarii eius viderant. Non ergo assentior Breitenbachio *post πρότερον* lacunam statuenti: suspicor enim et ante illud vocabulum excidisse, quae nunc desiderantur, et subiectum verbi *ἀπολλύναι* (nam *δυνασθέντας* „appositio" est) interiisse; praeterea, quum olim *πρῶτον* legeretur, illud vocabulum in *πρότερον* mutatum esse, postquam *τῷ* „*ὕστερον*" vicinum factum esset. Ut tandem summam huius disputationis conficiam, sic fere scripsisse Xenophontem coniicio: *τοῖς δ' αὐτοῦ ἐχθροῖς τοιούτοις δοκεῖν εἶναι οἷοισπερ [ἦσαν, καὶ διὰ τοῦτο πρῶτον μὲν αὐτοὺς κολακείαις καὶ δόλοις ἐξαπατᾶν τὸν δῆμον] ὕστερον δὲ δυνασθέντας κτέ.*

IV, 19. Alcibiades, priusquam de navi descenderet, circumspiciebat adessentne amici sui; *κατιδὼν δὲ Εὐρυπτόλεμον τὸν Πεισιάνακτος, αὑτοῦ δὲ ἀνεψιόν, καὶ τοὺς ἄλλους οἰκείους καὶ τοὺς φίλους μετ' αὐτῶν, τότε ἀποβὰς ἀναβαίνει εἰς τὴν πόλιν μετὰ τῶν παρεσκευασμένων, εἴ τις ἅπτοιτο, μὴ ἐπιτρέπειν.* Quosnam illos fuisse putemus, qui Alcibiadem defendere parati erant? An alios praeter illos, qui supra enumerantur? Non opinor sed ipsos illos Alcibiadis amicos familiaresque intelligendos esse censeo. Requiritur ergo pro *μετὰ τῶν*: *μετ' αὐτῶν.* Non tamen vitium inde repeto, quod librarius syllabam *αὐ* vel literam *υ* omiserit, sed totum illud *μετ' αὐτῶν*, aberrantibus librarii oculis, sedem mutasse puto. Molesta enim et minime necessaria est verborum ubertas in praecedentibus: *καὶ τοὺς ἄλλους οἰκείους καὶ τ ο ὺ ς φίλους μετ' αὐτῶν.* Suspicor ergo in vetusto aliquo codice ita scriptum fuisse:

καὶ τοὺς ἄλλους οἰκείους καὶ φίλους
τότε ἀποβὰς ἀναβαίνει εἰς τὴν πόλιν
μετ' αὐτῶν παρεσκευασμένων κτέ.

Verba enim *τότε* — *πόλιν* iustae lineae mensuram implent.

Caput V, 13. *ὁ δὲ Λύσανδρος τὸ μὲν πρῶτον ὀλίγας τῶν νεῶν καθελκύσας ἐδίωκεν αὐτόν, ἐπεὶ δὲ οἱ 'Αθηναῖοι τῷ 'Αντιόχῳ ἐβοήθουν πλείοσι ναυσί, τότε δὴ καὶ πάσας συντάξας ἐπέπλει.* Quid sibi coniunctio *καί* (ante *πάσας*) velit non possum dicere: satis enim magnam adiectivo *πάσας* praebet emphasin praecedens *τότε δή*, neque quisquam, ut opinor, si hic locus Latine reddendus esset, Lysandrum „vel omnes" naves instruxisse diceret. Hanc autem vocabuli *καί* vim esse si quis mihi non credit, Latine vertat e. gr. *καὶ πάσας λαβέ*. Neque tamen Mori coniecturam *καὶ αὐτὸς πάσας* probo, quia Athenienses dicuntur *πλείοσι ναυσί* non *πάσαις* auxilio venisse. Quo magis hunc locum aspicio, eo magis mihi persuadeo, ante *καὶ πάσας* excidisse quaedam. Aegre enim in narratione fero huiusce sententiae defectum: Lysander (quum maiore navium numero Athenienses Antiocho succurrere videret) *in persecutione substitit, naves, quas reliquerat, ad se arcessivit,* quam si cogitando suppleveris, egregie sequi senties: *καὶ πάσας συντάξας ἐπέπλει.*

Caput VI, 2. Gloriantem Callicratidam se maris esse dominum Lysander *ἐκέλευσεν ἐξ 'Εφέσου ἐν ἀριστερᾷ Σάμου παραπλεύσαντα ἐν Μιλήτῳ παραδοῦναι τὰς ναῦς*. Pro *παραπλεύσαντα* Cobetus scribendum esse censet *περιπλεύσαντα*. Num recte dubito; nam *ἐν ἀριστερᾷ Σάμου* non est quod Plutarchus (Lys. VI) dicit: *λαβὼν ἐν ἀριστερᾷ Σάμον*, sed contrarium. Deinde classis Atheniensium non in ea parte Sami erat posita, unde mare apertum spectabat, sed continentem versus. Si enim legeretur *περιπλεύσαντα*, quisque, ut opinor,

id de ipsa Samo insula circumnaviganda acciperet, de Mycale promontorio cogitaret nemo. Recte locum interpretari his verbis videtur Breitenbachius: „si ne prope litus quidem amicum secura erat Spartanorum classis, multo minus se aperto mari committere poterat.” Nam Plutarchus aut Lysandri dictum non intellexit, aut parum accurate tradidit et exornavit, ita loquendo: λαβὼν ἐν ἀριστερᾷ Σάμον καὶ περιπλεύσας εἰς Μίλητον ἐκεῖ μοι πάραδος τὰς τριήρεις· δεδιέναι γὰρ οὐ χρὴ παραπλέοντας ἡμᾶς τοὺς ἐν Σάμῳ πολεμίους, εἰ θαλασσοκρατοῦμεν.

VI, 4. Sententiam turbatam corruptamque, quae hic legitur, sic restituit Cobetus: (Lysandri amici per Asiae urbes rumores spargebant) ὅτι Λακεδαιμόνιοι μέγιστα παραπίπτοιεν ἐν τῷ (ἀεί ins.) διαλλάττειν τοὺς ναυάρχους, πολλάκις ἀντ' ἐπιτηδείων γενομένων καὶ ἄρτι ἀκριβούντων (pro ξυνιέντων) τὰ ναυτικὰ καὶ ἀνθρώποις ὡς χρηστέον γιγνωσκόντων ἀπείρους τε θαλάττης πέμποντες καὶ ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ, κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο κτέ. Egregie, ut opinor, dummodo ante κινδυνεύοιεν inseramus καί.

VI, 7. Καλλικρατίδας δὲ ἀχθεσθεὶς τῇ ἀναβολῇ καὶ ταῖς ἐπὶ τὰς θύρας φοιτήσεσιν ὀργισθεὶς καὶ εἰπὼν ἀθλιωτάτους εἶναι τοὺς Ἕλληνας κτέ. Inepte hic inter se opponuntur ἀχθεσθείς et ὀργισθείς, quorum verborum prorsus eadem est sententia. Expellendum ὀργισθείς videtur.

VI, 10. Ad Milesios et alia et haec loquitur Callicratidas: ἐγὼ δ' ἐπὶ τὰς ἐκείνου θύρας φοιτᾶν οὐκ ἠδυνάμην ἐμαυτὸν πεῖσαι. Itane vero? Non poterat a se impetrare Callicratidas ut fores Cyri frequentaret? At modo ipse dixit: Κῦρος ἀεὶ ἀνεβάλλετό μοι διαλεχθῆναι, et paulo supra Xenophon narravit eum ἀχθεσθῆναι ταῖς ἐπὶ τὰς θύρας φοιτήσεσι, quae verba non infirmantur iis, quae Plutarchus (Lys. 6) dicit, eum *bis* ad Cyrum venisse. Ne ergo et Xenophon et Callicratidas inepte sibi obloquan-

tur, una literula addita, lege: οὐκέτ' ἠδυνάμην ἐμαυτὸν πεῖσαι.

VI, 25. Inter naves quas Athenienses, nuntio de classe sua a Spartanis inclusa accepto, cogunt, et aliae enumerantur, et ὁμοίως δὲ καὶ εἴ τινες αὐτοῖς ἔτυχον ἔξω οὖσαι. Intellige illas naves, quae quacunque tandem de causa in alienis stabant portibus. Egregie ea verba illustrantur hisce e Demosthene (p. Cor. p. 262): οὐ τριήρης οὔτ' ἔξω καταληφθεῖσα ἀπώλετο τῇ πόλει, οὔτ' αὐτοῦ ἀπελείφθη οὐ δυναμένη ἀνάγεσθαι.

VI, 32. Hermo Callicratidae suadet ὅτι εἴη καλῶς ἔχον ἀποπλεῦσαι· αἱ γὰρ τριήρεις τῶν Ἀθηναίων πολλῷ πλέονες ἦσαν. Haud dubie non Xenophon iterum hic narrat, quod supra iam accurate exposuerat, multo plures fuisse Atheniensium naves, sed ipse Hermo eo argumento utitur, quo Callicratidae persuadeat. Legendum ergo pro ἦσαν est aut εἰσὶν aut εἶεν. Conferatur III, 2, 23: ἀποκριναμένων δὲ τῶν Ἠλείων, ὅτι οὐ ποιήσοιεν ταῦτα, ἐπιληΐδας γὰρ ἔχοιεν τὰς πόλεις, φρουρὰν ἔφηναν οἱ ἔφοροι.

Caput VII, 27. Corruptam et turbatam hanc sententiam nemodum in integrum restituit. Participium enim ἡμαρτηκότες in *nominativo* positum intactum reliquerunt omnes. Illud tamen vocabulum prae ceteris corruptelam indicat.

VII, 29. „Nolite" ita Euryptolemus loquitur „ducibus vestris, qui praeclaram de hostibus reportarunt victoriam, ea negare, quae etiam proditoribus concessistis." Tum ita pergit: μὴ ὑμεῖς γε, ὦ Ἀθηναῖοι, ἀλλ' ἑαυτῶν ὄντας τοὺς νόμους, δι' οὓς μάλιστα μέγιστοί ἐστε, φυλάττοντες, ἄνευ τούτων μηδὲν πράττειν πειρᾶσθε. Nemo eorum, qui ad Xenophontem annotationes scripserunt, observare neglexit ἑαυτῶν hoc loco idem esse quod ὑμῶν αὐτῶν, et veram eam observationem esse equidem, hercle, haud negabo. Nam neque admodum rarus hic est pronominis ἑαυτοῦ, in plurali praesertim, usus, et paulo supra (19) luculentum legitur exemplum: οὐ μετανοή-

σαντες ὕστερον εὑρήσετε σφᾶς αὐτοὺς ἡμαρτηκότας τὰ μέγιστα, pro ὑμᾶς αὐτούς. Num tamen illa observatione locus noster satis illustretur, vel sanum in eo esse sensum demonstretur, vehementer dubito. Fac enim Euryptolemum hoc dicere: „Servate, Athenienses, leges, quae vestrae ipsorum sunt", quid ea adhortatione voluisse censendus est? An nihil praeter hoc: „vestras ipsorum leges servate"? At id Xenophon haud dubie ita enuntiasset: τοὺς ὑμετέρους vel τοὺς ἰδίους νόμους φυλάττοντες. An cum Schneidero verba ἑαυτῶν ὄντας τοὺς νόμους ita vertemus: „vestras ipsorum leges et a vobismet latas, non impositas nolentibus"? Hoc quoque credere non possum Xenophontem verbis ἑαυτῶν ὄντας significasse; opinor eum pro illis scripturum fuisse: οὓς αὐτοὶ ἔθεσθε. Accedit hoc quoque, quod sententia, quam citavi, ita est conformata, ut relativum δι' οὓς non ad νόμους pertineat, sed cum pronomine ἑαυτῶν iungendum sit. Si quis enim inter se has sententias comparaverit: τοὺς τῶν προγόνων νόμους δι' οὓς μάλιστα μέγιστοί ἐστε φυλάξατε et: τῶν προγόνων ὄντας τοὺς νόμους δι' οὓς μάλιστα μέγιστοί ἐστε facile videbit, quid inter eas intersit. Illa enim significat: „maiorum vestrorum leges, quae vos ad hoc fastigium duxerunt, servate", haec: „leges servate, quoniam maiorum vestrorum sunt, qui vestrae felicitatis sunt auctores". Iam satis ergo apparet totum istud ἑαυτῶν ὄντας τοὺς νόμους δι' οὓς .... sensu cassum esse. Quid ergo est legendum? Nempe: ὄντες pro ὄντας, ut hoc dicat Euryptolemus: „vestri iuris estote Athenienses" i. e. vestro ipsorum utimini iudicio, nolite in verba vestrorum προστατῶν iurare, nolite aurem praebere illorum calumniis, qui vos instigare et stimulare conantur, ita ut animum vestrum regere iam non possitis, sed irae vestrae inserviatis; „et, ut liberos homines decet, servate leges vestras". Opponuntur enim inter se ἑαυτοῦ εἶναι

et *εἶναι τοῦ λέγοντος*, sive, ut est apud Aristophanem, *πρὸς τὸν λέγοντα κεχηνέναι.* Conferatur egregius locus Demosthenis (Ol. B. p. 26 extr.): *δεῖ δὴ ταῦτα ἐπανέντας καὶ ὑμῶν αὐτῶν ἔτι καὶ νῦν γενομένους κοινὸν καὶ τὸ λέγειν καὶ τὸ βουλεύεσθαι καὶ τὸ πράττειν ποιῆσαι.*

VII, 29. *ἐπεὶ γὰρ κρατήσαντες τῇ ναυμαχίᾳ εἰς τὴν γῆν κατέπλευσαν Διομέδων μὲν ἐκέλευεν ἀναχθέντας ἐπὶ κέρως ἅπαντας ἀναιρεῖσθαι τὰ ναυάγια.* Quod hic Diomedon suasisse narratur, ut naves facerent mortuorum tollendorum causa, idem in eadem re peditum copiae faciunt Anab. VI, 5, 5: *καὶ τὴν οὐρὰν τοῦ κέρατος ποιησάμενοι κατὰ τοὺς πρώτους φανέντας νεκροὺς ἔθαπτον πάντας ὁπόσους ἐπελάμβανε τὸ κέρας. ἐπεὶ δὲ τοὺς πρώτους ἔθαψαν προαγαγόντες καὶ τὴν οὐρὰν αὖθις ποιησάμενοι κατὰ τοὺς πρώτους τῶν ἀτάφων ἔθαπτον τὸν αὐτὸν τρόπον ὁπόσους ἐπελάμβανεν ἡ στρατιά.*

VII, 31. *οὐκοῦν δίκαιον τῶν μὲν πρὸς τοὺς πολεμίους μὴ καλῶς πραχθέντων τοὺς πρὸς τούτους ταχθέντας ὑπέχειν λόγον.* Vereor ut recte dictum sit *πρὸς τοὺς πολεμίους ταχθῆναι*, suspicorque Xenophontem scripsisse *πρὸς τοῦτο* sc. *τὸ μάχεσθαι*, quod latet in *τῶν πρὸς τοὺς πολεμίους πραχθέντων.*

VII, 33. *μὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀντὶ μὲν τῆς νίκης καὶ τῆς εὐτυχίας ὅμοια ποιήσητε τοῖς ἡττημένοις τε καὶ ἀτυχοῦσι, ἀντὶ δὲ τῶν ἐκ θεοῦ ἀναγκαίων ἀγνωμονεῖν δόξητε, προδοσίαν καταγνόντες ἀντὶ τῆς ἀδυναμίας, οὐχ ἱκανοὺς γενομένους διὰ τὸν χειμῶνα πρᾶξαι τὰ προσταχθέντα.* Graviter corruptum hunc locum esse nemo non sentit: optime sensisse videntur editores, qui eum obscurissima quadam interpretatione illustrarunt scilicet. Quae enim ista oppositio est: *τὰ ἐκ θεοῦ ἀναγκαῖα* et *ἀγνωμονεῖν*? An similis illi, quae praecedit: *νίκη καὶ εὐτυχία* et *ἡττημένοι καὶ ἀτυχοῦντες*? Quis credat in oratione ceteroquin perspicua a Xenophonte istiusmodi arcanam et reconditam sapientiam positam esse? Sed unde illa voca-

bula ἀντὶ τῶν ἐκ θεοῦ ἀναγκαίων ἀγνωμονεῖν δόξητε nata, quove modo emendanda sint iuxta cum ignarissimis ignoro: leve quoddam vitium, neque tamen non molestum, ex sequentibus tollere mihi posse videor. Accusativus enim οὐχ ἱκανοὺς γενομένους nullo modo explicari defendive potest, proque eo quin legendum sit οὐχ ἱκανῶν γενομένων nullus dubito.

LIBER II.

Caput I, 2. Spartani, qui duce Eteonico Mytilenae relicti erant, inde post proelium apud Arginusas elapsi Chium se contulerunt: ibi quamdiu aestas erat habebant unde viverent, hieme vero omnium rerum inopia laborare coeperunt. Multi ergo eorum coniuratione facta vi Chiorum urbe opibusque potiri decreverunt; coniurationis autem participes tamquam tesseram κάλαμον ferebant. πυθόμενος δὲ τὸ σύνθημα ὁ Ἐτεόνικος ἀπόρως μὲν εἶχε, τί χρῷτο τῷ πράγματι, διὰ τὸ πλῆθος τῶν καλαμηφόρων· τό τε γὰρ ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς ἐπιχειρῆσαι σφαλερὸν ἐδόκει εἶναι, μὴ εἰς τὰ ὅπλα ὁρμήσωσι καὶ τὴν πόλιν κατασχόντες καὶ πολέμιοι γενόμενοι ἀπολέσωσι πάντα τὰ πράγματα, ἂν κρατήσωσι, τό τ' αὖ ἀπολλύναι ἀνθρώπους συμμάχους πολλοὺς δεινὸν ἐφαίνετο εἶναι, μή τινα καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας διαβολὴν σχοῖεν καὶ οἱ στρατιῶται δύσνοοι πρὸς τὰ πράγματα ὦσιν. Sententiae inconcinnitas nullum lectorem fugere potest, sed habet quo defendatur. Desiderantur enim sententiae partes, quae opponantur verbis: τὸ ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς ἐπιχειρῆσαι et ἂν κρατήσωσι. Sed verborum τὸ ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς ἐπιχειρῆσαι oppositum sine damno omitti poterat, quia ex cetera narratione cognoscimus, Eteonicum secum statuisse apertam vim non esse adhibendam, ideoque dolo coniurationem oppressisse; et quod post ἂν

κρατήσωσι non legitur ἂν δὲ ἡττηθῶσιν, ea quoque res facilem habet excusationem; etenim ἀπολλύναι ἀνθρώπους συμμάχους πολλούς Eteonicus non poterat, nisi vi aggressus coniuratos proelio vicisset. Dictum ergo illud τό τ' αὖ — πολλούς est pro: τό τ' αὖ μάχῃ κρατεῖν, ἀνθρώπους πολλοὺς συμμάχους ἀπολλύντα. Itaque non est quod putemus excidisse quaedam vel ordinem esse turbatum. Aliud est quod mihi vehementer displiceat, idque in sententiae extrema parte, quae nemini, quantum novi, molestias exhibuit. Quid ergo erat, quare ne vincere quidem Eteonicus coniuratos vellet? Quare multos eorum palam occidere verebatur? ἵνα μὴ καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας διαβολὴν σχοῖεν. Hoc quid sit intelligo. Si enim Eteonicus coniuratorum magnum numerum vel in proelio occidisset, vel victos morte multasset, simul quae eorum fuisset iniuria in vulgus notum factum esset: cognovissent enim homines illos consilium iniisse Chios, Spartanorum socios, aggrediendi, spoliandi, necandi, eaque res Spartanos in invidiam apud omnes socios adduxisset, rumoresque de iis huiuscemodi sparsi essent; „non est tuta cum Spartanis societas, qui, dummodo sibi consulant, ne sociis quidem parcant." Quid autem post μή τινα καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας διαβολὴν σχοῖεν sequitur? καὶ οἱ στρατιῶται δύσνοοι πρὸς τὰ πράγματα ὦσιν. Itane vero? Ergo verendum esset, ne milites, qui in officio manserant, et duci suo in opprimenda coniuratione fidelem navaverant operam, subito, nulla re nova allata, malevoli fierent, id est: imperia capessere recusarent? Haud vidi magis. Quodnam ergo periculum ex ea re nasci poterat, quod milites Spartani et apud Chios et apud ceteros Graecos in invidiam erant adducti? Opinor, ne ipsi Graeci, id est Spartanorum socii, posthac minus essent propensi ad auxilium praebendum Spartanis in bello (πρὸς τὰ πράγματα). Delendum ergo censeo οἱ στρατιῶται, quod

adscripsisse aliquis videtur ad explicandum σχοῖεν; quamquam minime id quidem necessarium erat, nam illius verbi subiectum esse vel Spartanos (Spartanorum civitatem) vel Spartanorum milites (non Eteonici tantum sed omnes) quisque videt. Neque quod aliud est verbi σχοῖεν, aliud verbi ὦσι subiectum, aut inauditum est aut molestum.

In iis, quae sequuntur, nomen ὁ Ἐτεόνικος bis additum est, non a Xenophonte, ut opinor, verum a lectore male sedulo. Omisso enim utrobique illo nomine narratio haud paulo ad legendum fiet iucundior: certe illud ὁ Ἐτεόνικος, quod prius positum est, ferri nullo modo potest.

I, 6. Chii ceterique Spartanorum socii Ephesum convenerunt, ibique ἐβουλεύσαντο περὶ τῶν ἐνεστηκότων πραγμάτων πέμπειν εἰς Λακεδαίμονα πρέσβεις. Num obtemperandum sit Cobeto, post πραγμάτων inserenti καὶ ἔδοξε, dubito. Eadem enim brevitate legitur III, 3, 38: καὶ ξυλλεγόμενοι τῶν γερόντων ἄλλοι ἄλλοθι ἐβουλεύσαντο πέμψαι τὸν Κινάδωνα εἰς Αὐλῶνα.

Decreverunt ergo socii legatos Spartam mittere ταῦτά τε ἐροῦντας καὶ Λύσανδρον αἰτήσοντας ἐπὶ τὰς ναῦς, εὖ φερόμενον παρὰ τοῖς ξυμμάχοις κατὰ τὴν προτέραν ναυαρχίαν, ὅτε καὶ τὴν ἐν Νοτίῳ ἐνίκησε ναυμαχίαν. Languide et prorsus inutiliter istud ὅτε-ναυμαχίαν additur. Neque enim quisquam lectorum immemor esse potest victoriae apud Notium a Lysandro reportatae, et Xenophon, si eius memoriam hic renovare voluisset, breviter, ut opinor, pro κατὰ τὴν προτέραν..... ναυμαχίαν dixisset: διὰ τὴν ἐν Νοτίῳ νίκην.

I, 15. προςβαλὼν πόλει Ἀθηναίων ξυμμάχῳ ὄνομα Κεδρείαις τῇ ὑστεραίᾳ προςβολῇ κατὰ κράτος αἱρεῖ. Nihili est ὑστεραίᾳ προςβολῇ, recteque Zurborgius vocabulum προςβολῇ delendum esse censuit, aut ab eo additum qui nesciret, vel non cogitaret, quid esset ἡ ὑστεραία, ἡ προτεραία, aut verborum κατὰ κράτος explicandorum gratia in margine adscriptum.

I, 18. ἀνήγοντο δὲ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐκ τῆς Χίου πελάγιοι. Quae post haec sequuntur: ἡ γὰρ Ἀσία πολεμία αὐτοῖς ἦν sciolum redolent. Non tam parum attentos sibi finxisse lectores videtur Xenophon, quibus eiusmodi res semel iterumque inculcare opus esset: ex ipsa enim narratione satis apparet, ut opinor, hostilem Atheniensibus fuisse Asiae oram.

I, 25. Classis Atheniensium ad Aegos flumen stat, Lysandri naves Lampsaci portum e regione situm occupaverunt. Athenienses, sperantes se Lysandrum ad proelium provocaturos esse portum versus navigant; ubi vero Lysandrum proelium detrectantem vident ad stationem suam revertuntur. Sequitur res notissima: Λύσανδρος δὲ τὰς ταχίστας τῶν νεῶν ἐκέλευσεν ἕπεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, ἐπειδὰν δὲ ἐκβῶσι κατιδόντας ὅ, τι ποιοῦσιν ἀποπλεῖν καὶ αὐτῷ ἐξαγγεῖλαι, καὶ οὐ πρότερον ἐξεβίβασεν ἐκ τῶν νεῶν πρὶν αὗται ἧκον· ταῦτα δὲ ἐποίει τέτταρας ἡμέρας. Hactenus et narratio et Lysandri consilium luce clariora sunt. Adduntur autem vocabula quaedam perobscura: καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐπανήγοντο. Equidem saltem quid illa sibi velint non video. An forte iis significatur, quid per illos quatuor dies fecerint Athenienses? At non solum ad Aegos flumen *revertebantur* (nihil enim aliud est ἐπανάγεσθαι quam quod supra legitur ἀποπλεῖν πάλιν εἰς τοὺς Αἰγὸς ποταμούς) sed prius manus cum hostibus conserere conabantur. Neque, si illis verbis narrare voluisset Xenophon, quid ab Atheniensibus per quatuor illos dies gestum esset, nimis laxo coniunctionis καὶ vinculo sententiam notatam praecedentibus annexisset, sed vocabula ἐν αἷς praemisisset, et sic fere scripsisset (ἐν αἷς Ἀθηναῖοι ἀεὶ μὲν ὡς μαχούμενοι τοῖς πολεμίοις ἐπέπλεον· ὡς δὲ οὐκ ἐκινοῦντο) ἐπανήγοντο. Nunc aut excidisse quaedam opinor, aut ipsum illud καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐπανήγοντο male sedulo lectori deberi, qui quamvis annotandi studio ductus tamen non tam esset

accuratus quin alteram tantum partem annotationis adderet, omitteret alteram.

I, 28. Lysander, ubi a suis, quos Athenienses observare iussit, sublato clipeo certior factus est Athenienses e navibus egressos et dispersos esse, *εὐθὺς ἐσήμηνε τὴν ταχίστην πλεῖν. ξυμπαρῄει δὲ καὶ Θώραξ τὸ πεζὸν ἔχων.* Quid hac narratione faciam ingenue me nescire fateor. Comparo enim quae § 18 leguntur: *Λύσανδρος δὲ ἐξ Ἀβύδου παρέπλει εἰς Λάμψακον· καὶ οἱ Ἀβυδηνοὶ καὶ οἱ ἄλλοι παρῇσαν πεζῇ· ἡγεῖτο δὲ Θώραξ Λακεδαιμόνιος.* In quibus nulla est molestia: Abydo enim Lampsacum navigans *oram legit* Lysander: facile ergo copiae pedestres naves *comitari* possunt. Nostro autem loco de prorsus alia res agitur. Ut enim e portu Lampsaci ad classem Atheniensium perveniat fretum Lysandro *traiiciendum* est. Nam utrum Aegos flumen exadversum Lampsacum sit, an (ut tabulae geographicae exhibent) paulo magis occidentem versus, neque scio neque curo: Xenophontem enim constat et ipsum putasse et lectoribus tradidisse Lampsacum e regione Aegos fluminis situm fuisse. Vide § 21: *ἔπλευσαν εἰς Αἰγὸς ποταμὸν ἀντίον τῆς Λαμψάκου· διέχει δὲ ὁ Ἑλλήσποντος ταύτῃ σταδίους ὡς πεντεκαίδεκα.* Qui ergo Thorax cum peditibus suis *συμπαριέναι* potest? Nam Plutarchus in eadem re tradenda, sive quo narratio fieret paulo magis perspicua, sive quod ex alio fonte hausit, haec dicit (Lys. c. 11): *ἐπέπλεον μέν αἱ νῆες, ἡμιλλῶντο δὲ οἱ πεζοὶ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἐπὶ τὴν ἄκραν.* Putasse ergo videtur Spartanis aliquantum orae legendum fuisse, priusquam et ad angustissimum freti locum pervenirent et exadversum Athenienses essent.

I, 32. Victis apud Aegos flumen Atheniensibus Lysander de captivis iudicium exercet. Multa ibi in Athenienses proferuntur crimina, memorantur iniuriae, quibus iam ab iis Graeci affecti erant, mentioque fit crudelissimi decreti, quo

statuerant, si proelio navali vicissent, omnium captivorum dexterum pollicem abscidere. Narratur praeterea eos, duabus navibus captis, altera Corinthiorum, altera Andriorum, omnes captivos de saxo deiecisse. *Φιλοκλῆς δ' ἦν στρατηγὸς τῶν Ἀθηναίων ὃς τούτους διέφθειρε.* Decretum fit, de omnibus captivis, quotquot Athenienses essent, supplicium capitale esse sumendum excepto Adimanto, quod restiterat decreto de pollicibus abscidendis. Tum ita pergit Xenophon: *Λύσανδρος δὲ Φιλοκλέα πρῶτον ἐρωτήσας, ὃς τοὺς Ἀνδρίους καὶ Κορινθίους κατεκρήμνισε, τί εἴη ἄξιος παθεῖν ἀρξάμενος εἰς Ἕλληνας παρανομεῖν, ἀπέσφαξε.* Paulo longiorem locum attuli, quo magis appareret, non Xenophonti verum molesto cuidam lectori deberi verba *ὃς τοὺς Ἀνδρίους καὶ Κορινθίους κατεκρήμνισε*, quae non solum loco, ubi posita sunt, originem suam produnt, sed multo magis etiam propter ipsius narrationis naturam ferri non possunt. Philoclis enim responsum ferox et magnanimum, quod apud Plutarchum legimus (Lys. 13): *ἐκέλευσε μὴ κατηγορεῖν ὧν οὐδείς ἐστι δικαστὴς ἀλλὰ νικῶντα πράττειν ἅπερ ἂν νικηθεὶς ἔπασχε*), hic omittitur, sive quod Xenophon hunc quoque locum postea fusius enarrare decreverat, sive quod revera Lysander (id quod mihi multo verisimilius videtur) Philoclis responsum non exspectavit. Laconicam ergo brevitatem, qua in agendo usus est Lysander, in scribendo Xenophon est imitatus, neque credibile est eum bis eandem rem brevissimo intervallo posuisse. Sin vero censendus est Xenophon hic quoque partem tantummodo literis mandasse, cetera postea additurus, magis etiam manifestum est eum ab inutilibus et infacetis repetitionibus abstinuisse.

C. II, 3. Modo verba quaedam, quae nunc in Hellenicorum editionibus leguntur, Xenophonti abiudicanda esse demonstrare conatus sum. Illa tamen eiusmodi erant, ut scriptori non magnopere nocerent, sed nolebam ea silentio

praeterire, ne quidquam in Hellenicis relinquerem, quod satis firmis argumentis probare possem a Xenophonte scriptum non esse. Nunc uno exemplo demonstrabo, quam bene saepe et lectori et scriptoris famae is consulat, qui aures pulchrique quendam sensum consulendo grammaticorum additamenta expellat, quibus loci alicuius vis et gravitas tollatur, orationisque numeri corrumpantur. Lege mihi, quaeso, lector, haec Xenophontis verba, non ex editione aliqua, sed ut ego legenda esse contendo: *ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις τῆς Παράλου ἀφικομένης νυκτὸς ἐλέγετο ἡ ξυμφορά, καὶ ἡ οἰμωγὴ ἐκ τοῦ Πειραιῶς διὰ τῶν μακρῶν τειχῶν εἰς ἄστυ διῆκεν ὁ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ παραγγέλλων· ὥστ' ἐκείνης τῆς νυκτὸς οὐδεὶς ἐκοιμήθη, οὐ μόνον τοὺς ἀπολωλότας πενθοῦντες, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον αὐτοὶ ἑαυτούς, πείσεσθαι νομίζοντες οἷα ἐποίησαν Μηλίους τε καὶ Ἱστιαίους καὶ Σκιωναίους καὶ Τορωναίους καὶ Αἰγινήτας καὶ ἄλλους πολλοὺς τῶν Ἑλλήνων.* Quam egregie haec dicta sunt, quam artificiose describitur vel potius depingitur Atheniensium luctus metusque! Quam tempori hominumque cogitationibus accommodata sunt omnia! Nemo tam durus tamque omnis humanitatis expers esse potest, qui non haec legens sensu quodam misericordiae et sollicitudinis moveatur. Vides hominum trepidationes; lamentationes audis, et in eiusmodi terrore augeri et ingravescere metum recordatione iniuriarum, quas aut ipsi aut patres fecerint, in omniumque ore versari *nomina* eorum, in quos ipsi iusto fuerint crudeliores, intelligis. Pauca quidem de Xenophontis vita affirmare licet, sed hoc constat, qui ita scripserit, illum, dum tristis nuntius de proelio ad Aegos flumen afferretur Athenis fuisse. Fac nunc ea, quae citavi, sic in libro tuo legi, aliquemque te deprehendere haec post verba *Μηλίους τε* adscribentem: *Λακεδαιμονίων ἀποίκους ὄντας κρατήσαντες πολιορκίᾳ*: nonne alapam homini infligas?

II, 7. Lysander Deceleam ad Agidem et Spartam nuntium mittit, se cum classe ducentarum navium adventare. Λακεδαιμόνιοι δὲ ἐξῆσαν πανδημεὶ καὶ οἱ ἄλλοι Πελοποννήσιοι πλὴν Ἀργείων παραγγείλαντος τοῦ ἑτέρου Λακεδαιμονίων βασιλέως Παυσανίου. Istud Λακεδαιμονίων tibi habe inepte magistelle! Nullus enim, mihi crede, metus est, ne eo vocabulo sublato de aliquo *Argivorum* vel *Peloponnesiorum* rege cogitemus.

II, 10. ἐνόμιζον δὲ οὐδεμίαν εἶναι σωτηρίαν μὴ παθεῖν κτὲ. Pro μή omnes codices εἰ μή habent, excepto codice E. in quo τοῦ μή legitur, quem sequitur Dindorfius. Probabile est in vetusto codice paucarum literarum fuisse lacunam, quam recentiorum scriptores utcunque expleverint. Syntaxis enim flagitat: μὴ οὐ παθεῖν. Cf. Plato Phaed. 72 A: τίς μηχανὴ μὴ οὐχὶ πάντα καταναλωθῆναι εἰς τὸ τεθνάναι;

Sequuntur haec: ἃ οὐ τιμωρούμενοι ἐποίησαν ἀλλὰ διὰ τὴν ὕβριν ἠδίκουν ἀνθρώπους μικροπολίτας οὐδ' ἐπὶ μιᾷ αἰτίᾳ ἑτέρᾳ ἢ ὅτι ἐκείνοις συνεμάχουν. Inepte verbo ἀδικεῖν verbum ποιεῖν, ineptius etiam imperfecto ἠδίκουν aoristus ἐποίησαν opponitur. Deleto verbo ἐποίησαν omnia recte procedunt. Optime enim inter se opponuntur τιμωρούμενον ἀδικεῖν et ὑβρίζοντα ἀδικεῖν, quia ἀδικεῖν non solum dicitur qui iniuria, sed qui quocunque tandem malo adversarium afficit.

II, 15. περὶ δὲ τῶν τειχῶν τῆς καθαιρέσεως οὐδεὶς ἐβούλετο συμβουλεύειν. At statim sequitur Archestratum id iam suasisse, ideoque ab irato populo in vincula esse coniectum. Ne ergo Xenophon inepte sibi obloquatur, post ἐβούλετο inserenda est particula ἔτι, quae semper et ubique multis casibus obnoxia fuit.

Ib. De illo Archestrato haec narrantur: Ἀρχέστρατος γὰρ εἰπὼν ἐν τῇ βουλῇ Λακεδαιμονίοις κράτιστον εἶναι ἐφ' οἷς προὐκαλοῦντο εἰρήνην ποιεῖσθαι, ἐδέθη. Haud difficile est demonstrare Λακεδαιμονίοις perverso loco positum esse. Ita enim demum

illi vocabulo sententiae emphasis tribueretur, si hoc dixisset Archestratus: eam esse Spartanorum indolem, ut cum illis optimum factu esset, quibus ipsi vellent conditionibus, pacem componere. Nihil autem eiusmodi Archestratus, sed hoc reipublicae tempore quamvis gravibus conditionibus cum Spartanis pacem facere suadet. Legendum ergo *κράτιστον εἶναι ἐφ' οἷς προὐκαλοῦντο Λακεδαιμόνιοι εἰρήνην ποιεῖσθαι.* Vitium sic fere natum esse censeo. In vetusto codice ita scriptum erat:

. . . . *ἐν τῇ βουλῇ*
κράτιστον εἶναι ἐφ' οἷς προκαλοῦντο
Λακεδαιμόνιοι εἰρήνην κτέ.

Qui hinc descripsit, oculo a prima ad tertiam lineam aberrante, post *βουλῇ* scripsit *Λακεδαιμόνιοι,* tum errore observato vocabulum *Λακεδαιμόνιοι* non delevit sed circumscripsit: illud postea alii utcunque ceterae sententiae accommodarunt.

C. III, 18. *ἐκ τούτου μέντοι Κριτίας καὶ οἱ ἄλλοι τριάκοντα ἤδη φοβούμενοι κτέ.* Vocabulum *τριάκοντα* Cobetus proscripsit; haud dubie recte si arithmeticam consulis, nam *οἱ ἄλλοι* non triginta erant sed undetriginta. Sermonis tamen usus eiusmodi locutionem, paulo minus accuratam, admittere videtur. Vide III, 4, 8: E triginta viris, qui Agesilao additi erant, Lysander regi suo molestias exhibuit, *οἷ γε μὴν ἄλλοι τριάκοντα οὐκ ἐσίγων.* IV, 1, 23: *ὅπως δὲ μὴ καταγελῷεν αὐτοῦ οἱ ἄλλοι τριάκοντα.*

III, 19. Critias eiusque socii metuentes ne Theramenes populum sibi obnoxium redderet, tria milia hominum elegerunt, qui specie cum ipsis rempublicam administrarent. *ὁ δ' αὖ Θηραμένης καὶ πρὸς ταῦτα ἔλεγεν ὅτι ἄτοπον δοκοίη ἑαυτῷ γε εἶναι τὸ πρῶτον μὲν βουλομένους τοὺς βελτίστους τῶν πολιτῶν κοινωνοὺς ποιήσασθαι τρισχιλίους.* Infinitivus *ποιήσασθαι* a *βουλο-*

μένους pendet; deest ergo infinitivus, qui sententiae pro subiecto sit. Ipsum autem verbum nemo praestare potest, quid sententiae desit quisque videt. Inseramus ergo *καταλέξαι*, et videamus, eone addito omnia recte se habeant. Dicit Theramenes, absurdum sibi videri *τὸ πρῶτον μὲν* .... In sententia, cuius hoc est initium, articulus *τό* ad utramque totius partem pertinet, e. gr.: *τὸ πρῶτον μὲν ποθεῖν ἔπειτα δὲ ἐχθαίρειν*. Requiruntur ergo nostro loco duo infinitivi: *τὸ πρῶτον μὲν τοὺς βελτίστους κοινωνοὺς ποιήσασθαι βούλεσθαι, ἔπειτα δὲ τρισχιλίους καταλέξαι*. Hic tamen pro priore participium *βουλομένους* positum, ideoque coniunctio *ἔπειτα δέ* omissa est. Ferri autem vocabula *πρῶτον μὲν* non possunt, nisi iis *ἔπειτα δέ* opponatur. Manifestum ergo est latere in nostra sententia aliquod vitium, quod tamen facile deprehenditur et nullo labore tollitur. Duorum enim vocabulorum transpositione sic est legendum: *ὅτι ἄτοπον δοκοίη ἑαυτῷ γε εἶναι πρῶτον μὲν τὸ βουλομένους τοὺς βελτίστους τῶν πολιτῶν κοινωνοὺς ποιήσασθαι τρισχιλίους (καταλέξαι)*. Altera deinde res, quam sibi absurdam videri Theramenes declarat, egregie praecedenti annectitur, sed ab oratione indirecta ad directam transit scriptor: *ἔπειτα δὲ, ἔφη, ὁρῶ ἔγωγε δύο ἡμᾶς τὰ ἐναντιώτατα πράττοντας κτἑ.*

III, 20. Quae hic narrantur de armis a trigintaviris per dolum civibus ademptis tam obscura sunt, ut satius sit ignorantiam fateri quam ullam tentare explicationem. Lubet tamen adscribere quae Diodorus tradit de Dionysio tyranno, quia illa qui legit non potest non de nostro loco cogitare: *Διονύσιος δὲ τοὺς Συρακοσίους ἐπὶ τὸν θερισμὸν ἀποστείλας ἐπῆλθε τὰς οἰκίας, καὶ τὰ μὲν ὅπλα πάντων ἀφείλετο κτἑ.*

III, 31. *Δεῖ δὲ, ὦ Θηράμενες, ἄνδρα τὸν ἄξιον ζῆν οὐ προάγειν μὲν δεινὸν εἶναι εἰς πράγματα τοὺς συνόντας, ἤν δέ τι ἀντικόπτῃ εὐθὺς μεταβάλλεσθαι, ἀλλ' ὥςπερ ἐν νηὶ διαπονεῖσθαι ἕως ἂν εἰς*

οὖρον καταστῶσι. Haud iniuria laudantur a multis ea Critiae verba, neque tamen a vitio sunt immunia. Quid enim, quaeso, est εἰς οὖρον καταστῆναι? An forte: ventum secundum nancisci? At dii ventorum domini non καθιστᾶσιν εἰς οὖρον homines, quos diligunt, verum iis οὖρον πέμπουσι, neque ergo Calypso εἰς οὖρον κατέστησεν Ὀδυσσέα, sed

ἴκμενον οὖρον ἵει πλησίστιον ἐσθλὸν ἑταῖρον.

Verbum enim καταστῆναι non potest adhiberi nisi de loco, in quem aliquis pervenit, et metaphorice de condicione: εἰς ἐλευθερίαν, εἰς ἔχθραν, εἰς ὑποψίαν καταστῆναι. Venti autem secundi vel adversi non alia maris parte sunt, alia non sunt; non minus ergo absurdum est dicere aliquem εἰς αὐτοὺς καταστῆναι quam αὐτοὺς φεύγειν. Sed videamus reliqua! Quid ergo bono navis rectori faciendum esse docet Critias? Nempe oportet eum διαπονεῖσθαι ἕως ἂν εἰς οὖρον καταστῶσιν οἱ συνόντες. At nullus nauta strenue operam dando efficere potest ut ventum nanciscatur secundum. Aliquam sententiam e verbis διαπονεῖσθαι ἕως ἂν εἰς οὖρον καταστῶσι elici posse concedo: num tamen ea huic loco conveniat magnopere dubito. Quid ergo illud est, quod ita significari possit? Nempe: mari turbido per mediam tempestatem omnibus intentis viribus navem convertere, ut ventus, qui hactenus adversus fuit, secundus fiat, et ita re quidem infecta sed salvum domum redire. Id tamen ne nunquam nautae faciant vereor; vela enim eos demittere potius credo. Sed hoc constat, si iam aliquando ita agant nautae, eos prorsas contrarium facere eius rei quam Critias viro civili faciendam esse contendit. Illum enim non μεταβάλλεσθαι, non a proposito desistere, non cedere periculis, sed omnium minime cursum suum mutare decet: perseverandum ei est tamquam nautae, qui et ipse perseverat donec pervenerit.... quo tandem? *In*

portum, ut opinor. Hoc enim legendum est: εἰς ὅρμον non εἰς οὖρον.

Quae deinde sequuntur: εἰ δὲ μή, πῶς ἂν ἀφίκοιντό ποτε ἔνθα δεῖ, εἰ, ἐπειδάν τι ἀντικόψῃ, εὐθὺς εἰς τἀναντία πλέοιεν; ea infaceta et languida sunt et iam saepius, ni fallor, a viris doctis proscripta.

III, 36. Demonstravit Theramenes qui factum sit ut duces, qui apud Arginusas pugnaverant, capitis damnarentur docuitque iudices falsa omnia esse, quae de illo iudicio narraverit Critias: illos enim culpam mortuorum non sublatorum in ipsum Thrasybulumque contulisse, qua calumnia provocatum ipsum iudicibus persuasisse, ducum negligentia illud tantum crimen esse commissum. Tum haec addit: οὐ μέντοι θαυμάζω γε τὸ Κριτίαν παρανενομηκέναι· ὅτε γὰρ ταῦτα ἦν οὐ παρὼν ἐτύγχανεν. Corruptum esse παρανενομηκέναι nemo non videt. Nam Critias dici non potest falsa de illo iudicio narrans παρανομεῖν, et minus etiam tempore perfecto παρανενομηκέναι. Neque tamen placet Cobeti coniectura παρανενομικέναι, quia et insolentius illud verbum est, et Critiae orationi parum convenit. Nam, quod iudicii tempore aberat Critias, eo fieri non necesse erat, ut *falsam* de illo *opinionem* conciperet; si quis enim, quamvis longe absit, de aliqua re, quae domi accidit, *veritatem* cognovit, nulla, opinor, causa est, cur minus recte de illa iudicet. Sed facile fieri potest, ut nuntii veritatem corrumpant, ut falsos accipiat rumores: atque ipsum illud „falsos accepisse rumores" necessario hic requiritur. Haud ergo dubito, quin recte viderit Wyttenbachius, qui παρακηκοέναι coniecit. Nam, quamquam verbum παρακούειν plerumque usurpatur de eo, qui non satis „hoc agit", i. e. qui non satis attentus est, et ergo rem, quae demonstratur, parum recte intelligit, tamen minime improbabile est, etiam illum παρακούειν dici posse, qui rem ex rumoribus falsis vel

a nuntiis, sibi inter se obloquentibus, allatam haud recte cognovit perspexitve. Restituto autem verbo *παρακηκοέναι* acris et acerba Therameni reddita erit ironia, cuius recepta Cobeti coniectura nullum remanet vestigium: illum enim, quid in ducum iudicio actum sit parum accurate cognovisse et intellexisse dicet, quem impudentissime de eo iudicio mentitum esse, mendaciisque improbis perfidisque exitium adversario parare sentit.

III, 37. *ὅστις μέντοι ὁ ταῦτα πράττων ἐστὶν οἴομαι ἂν ὑμᾶς κάλλιστα κρίνειν, τά τε πεπραγμένα καὶ ἃ νῦν πράττει ἕκαστος ἡμῶν εἰ κατανοήσετε.* Soloece hoc dictum est. Legendum deleta particula *ἄν*, quam multi codices non habent: *οἴομαι ὑμᾶς κάλλιστα κρινεῖν . . . . εἰ κατανοήσετε.*

III, 41. „Collegarum consilio de armis populo adimendis restiti, ratus non esse populum infirmum reddendum. *οὐδὲ γὰρ τοὺς Λακεδαιμονίους ἑώρων τούτου ἕνεκα βουλομένους περισῶσαι ἡμᾶς ὅπως ὀλίγοι γενόμενοι μηδὲν δυναίμεθα αὐτοὺς ὠφελεῖν· ἐξῆν γὰρ αὐτοῖς, εἰ τούτου γε δέοιντο, καὶ μηδένα λιπεῖν ὀλίγον ἔτι χρόνον τῷ λιμῷ πιέσαντες.*" Quoties in Hellenicis legendis ad hunc locum pervenio, toties in eo haereo, deliberationemque mecum instituere soleo, sitne in verbis, quae citavi, acquiescendum an non sit. Tandem aliquando ad eam opinionem perveni, quam nunc proponam. Censeo enim vitium quoddam in Theramenis argumentatione latere, idque quod et quale sit mihi intelligere videor, sed utrum ipse Xenophon in scribendo errorem commiserit, an verba eius ab aliis sint corrupta statuere non possum. Vitium ergo indicabo, quibusque rationibus nasci potuerit docere conabor. Verba *οὐδὲ γὰρ . . . . ὠφελεῖν* cum praecedentibus non cohaerent: ita enim illa sententia conformata est, ita eius partes sunt dispositae, ut in vocabulis *ὀλίγοι γενόμενοι* omnis sit emphasis. Quod ergo Theramenem dicentem facit Xenophon eodem redit, ac

si dixisset: *ὅπως ὀλίγοι γενοίμεθα καὶ οὕτω μηδὲν δυναίμεθα αὐτοὺς ὠφελεῖν*. Sed absurda est ista a praecedentibus ad „paucitatis" commemorationem transitio. Si enim in praecedentibus actum esset de aliquo *numeri* civium *minuendi* consilio, rectissime haec subiungerentur: „sciebam enim Spartanos quoque non id spectasse, ut quam minimus noster fieret numerus, nullamque ipsis possemus praestare auxilium"; quum vero Spartanorum exemplo utatur Theramenes ad demonstrandum, cur sibi illud collegarum consilium non placuerit, quod non eo tenderet, ut cives *pauci*, verum ut *infirmi* fierent, perverse et inepte ratiocinari censendus est. Ita enim argumentatur: „improbandum erat illud de armis adimendis consilium, quoniam eo populus infirmus reddebatur: non enim hoc spectarunt Spartani, quum vitam nobis relinquebant, ut pauci essemus," cuius argumentationis priore parte audita, quisque, ut opinor, eum in altera pro „pauci", dicturum esse „infirmi" exspectet. Videamus nunc meliusne verba a me improbata cum sequentibus cohaereant. Addit haec Theramenes: *ἐξῆν γὰρ αὐτοῖς εἰ τούτου γε δέοιντο καὶ μηδένα λιπεῖν ὀλίγον ἔτι χρόνον τῷ λιμῷ πιέσαντες*. Quoniam autem in illis: *ὅπως ὀλίγοι γενόμενοι μηδὲν δυναίμεθα αὐτοὺς ὠφελεῖν*, verba *ὀλίγοι γενόμενοι* emphasin habent, ad ea necessario referendum est pronomen *τούτου*. Quis vero non sentit ridiculum esse hoc: „si Spartani *paucos* nos esse voluissent, *nemini* nostrum pepercissent, sed *ad unum omnes* (poterant enim) interfecissent"? Iam ex iis, quae hucusque dixi, apparet, non esse pro *ὀλίγοι* legendum, quod lectori in mentem venire facile possit, *ἀσθενεῖς*. Illam enim coniecturam si reciperemus, bene quidem prior pars orationis procederet, nihilo tamen minus absurda altera fieret. Nam ridiculum hoc quoque est: „si Spartani *infirmos* nos esse voluissent, nos *omnes* fame interire passi essent." Quem autem errorem aut ipse Xeno-

phon commiserit, aut ei invito interpolator tribuerit, videbimus, si quid illa cum Spartanis comparatio sibi velit perspexerimus. „Tertium comparationis", quod vocant, e verbo ὠφελεῖν petendum est. Ita enim argumentatur Theramenes: „Cur Spartani nos vivere passi sunt? Ut socios (coactos quidem sed tamen socios) nos haberent. Cur ergo nos oportet populo sua arma relinquere? Ut populus nobis socius esse possit," collegasque suos sic fere alloquitur: „inermem ergo vos populum esse vultis? Cur? An ne vobis auxilium praestare possint? Respicite Spartanos, patronos vestros: num et illi rem eo deducere voluerunt, ut nos ipsis auxilium praestare non valeremus? Minime, ut opinor. Id enim si voluissent, nos omnes fami occumbere passi essent." Satis, credo, nunc perspicuum est, nihil aliud in hoc loco esse reprehendendum quam quod addita sunt vocabula ὀλίγοι γενόμενοι: iis enim omissis egregie decurret Theramenis demonstratio. Aliena tamen manu ea inserta esse affirmare non audeo, quoniam nullam causam video, quare grammatico alicui in mentem venire potuerit eiusmodi annotationem adscribere. Probabilius ergo censeo, ipsum Xenophontem indicare voluisse, quid Spartanis agendum fuisset, si populum Atheniensem infirmum fieri voluissent; hoc ut facere posset, addenda erat huiuscemodi sententia: „Spartani quoque nos infirmos reddere olim potuerunt: penes ipsos enim erat, ut paucissimi nostrum in vita remanerent," eamque duobus vocabulis inclusit; sed grave elocutionis commisit vitium, quum illa eo loco poneret, ut lectori totius argumenti primaria pars esse videri deberent. Multo enim levius eius peccatum fuisset, si *post* verbum ὠφελεῖν istud ὀλίγοι γενόμενοι addidisset.

III, 43. Non proditorem se esse sed amicum fidelem sincerumque, ita demonstrat Theramenes, ut dicat: „non illi

vires addunt hostibus, qui impediunt, quominus amici sui multos habeant adversarios, neque illi qui docent, quomodo maxima parari possit sociorum copia, *ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον οἱ ἀδίκως τε χρήματα ἀφαιρούμενοι καὶ τοὺς οὐδὲν ἀδικοῦντας ἀποκτείνοντες, οὗτοί εἰσιν οἱ καὶ πολλοὺς τοὺς ἐναντίους ποιοῦντες καὶ προδιδόντες οὐ μόνον τοὺς φίλους ἀλλὰ καὶ ἑαυτούς.*" Egregie haec dicta sunt, et ita ut nihil desideretur. Adduntur autem post *ἑαυτούς* verba *δι' αἰσχροκέρδειαν*, quibus et demonstrandi ratio perturbatur, et sententiae elegantia pessumdatur. Demonstrandum enim solum hoc est, quibus actionibus amicorum causa prodatur, adversariorumque adiuvetur; ita simul apparet Critiam illosque, qui cum eo faciant, quandoquidem eiusmodi actiones commiserint, proditorum nomine dignos esse. Qua re autem *τὸ ἀδίκως ἀφαιρεῖσθαι χρήματα* et *τὸ τοὺς οὐδὲν ἀδικοῦντας ἀποκτείνειν* amicorum numerum minuat hostiumque augeat, nemo non intelligit, et ineptum absurdumque est id verbis *δι' αἰσχροκέρδειαν* significare velle. Ipsum autem Xenophontem ea non addidisse ex eo apparet, quod perverso loco posita sunt; illud vero articuli defectu fit manifestum: aut enim inter *ἀδικοῦντας* et *ἀποκτείνοντες* collocanda erant, aut, si iam sententia illis esset claudenda, articulus *τήν* omitti non poterat.

III, 46 *οἱ δὲ ἀμφὶ Ἀριστοτέλην καὶ Μελάνθιον καὶ Ἀρίσταρχον στρατηγοῦντες κτἑ.* Participium *στρατηγοῦντες* melius abesset.

III, 48 *τὸ μέντοι σὺν τοῖς δυναμένοις καὶ μεθ' ἵππων καὶ μετ' ἀσπίδων ὠφελεῖν διὰ τούτων τὴν πολιτείαν πρόσθεν ἄριστον ἡγούμην εἶναι καὶ νῦν οὐ μεταβάλλομαι.* Haeccine tamquam sincera et integra defendi et explicari! Vidi enim, qui verba *διὰ τούτων τὴν πολιτείαν* illustrare sibi videretur comparata locutione *ἡ δι' ὀλίγων πολιτεία.* Quasi vero, si ille esset verborum nexus, non dicendum esset *τὴν διὰ τούτων πολιτείαν.* Et quis credat, post *τὸ σὺν τοῖς δυναμένοις .... ὠφελεῖν* sequi

posse non infinitivum aliquem, sed substantivum τὴν πολιτείαν, quumque proxime praecedat σὺν τοῖς δυναμένοις — ὠφελεῖν, subito nunc id mutari in διὰ τούτων, quod fere contrarium significat? Nam σύν τινι aliquid facit, qui et ipse laboris socius est, διά τινος, qui totum opus alienis committit manibus. Quum ergo desit infinitivus, nullusque e verbis διὰ τούτων sensus elici possit, in his illum latere existimo, proque διὰ τούτων legendum esse suspicor διαχειρίζειν.

III, 56. Memoratis quibusdam Theramenis dictis iocosis haec addit Xenophon: „novi quidem istiusmodi dicta non magni esse momenti, ἐκεῖνο δὲ κρίνω τοῦ ἀνδρὸς ἀγαστόν, τὸ τοῦ θανάτου παρεστηκότος μήτε τὸ φρόνιμον μήτε τὸ παιγνιῶδες ἀπολιπεῖν ἐκ τῆς ψυχῆς." At in praecedentibus nihil narratum est, e quo appareat in articulo mortis τὸ φρόνιμον Theramenem non reliquisse: nullum enim eius dictum serium traditum est; et num bene Graecum sit istud ἀπολιπεῖν ἐκ τῆς ψυχῆς vehementer dubito: ne hoc quidem mihi liquet, sitne ἀπολιπεῖν verbum transitivum an intransitivum.

Caput IV, 3. Βουλομένων δὲ τῶν τριάκοντα ἀποτειχίζειν ὅπως ἐκπολιορκήσειαν αὐτοὺς ἀποκλείσαντες τὰς ἐφόδους τῶν ἐπιτηδείων κτέ. Moleste eadem res bis ponitur. Quid enim aliud est ἀποτειχίζειν quam ἀποκλείειν τὰς ἐφόδους τῶν ἐπιτηδείων? Et quid est ἐκπολιορκεῖν nisi: intercluso commeatu deditionis necessitatem afferre? Delendum ergo videtur: ἀποκλείσαντες τὰς ἐφόδους τῶν ἐπιτηδείων.

IV. 8. ἐξέτασίν τε ποιήσαντες ἐν τοῖς ἱππεῦσι, φάσκοντες εἰδέναι βούλεσθαι, πόσοι εἶεν καὶ πόσης φυλακῆς προςδεήσοιντο ἐκέλευον ἀπογράφεσθαι πάντας κτέ. Iniuria, ut mihi quidem videtur, multi in hac de trigintavirorum adversus Eleusinios perfida crudelitate haerent, inter quos Breitenbachius verba ἐν τοῖς ἱππεῦσι spuria esse censet. Haec enim annotat vir doctus: „si vocabulo ἱππῆς *Athenienses* equites significantur, σὺν τοῖς

ἱππεῦσι exspectes potius; sin Eleusinii, non apparet, quidni statim eodem praetextu omnium Eleusiniorum fiat recensus." At inde a φάσκοντες (quod participium cum ἐκέλευον iungendum est) altera pars narrationis incipit. Primum trigintaviri ἐξέτασιν ἐποίησαν ἐν τοῖς ἱππεῦσιν, eaque re finita ἐκέλευον ἀπογράφεσθαι πάντας (sc. Ἐλευσινίους), quoque praetextu illud iusserint additur verbis φάσκοντες .... προςδεήσοιντο. Iam ἐν τοῖς ἱππεῦσι dudum recte illustrarunt viri docti collato loco ex Anabasi (V, 3, 3), ubi legitur: ἐξέτασις ἐν τοῖς ὅπλοις ἐγένετο. Idem est ἐξέτασιν ποιεῖν ἐν τοῖς ὅπλοις, ἐν τοῖς ἱππεῦσιν quod ἐ. π. τῶν ὁπλιτῶν, τῶν ἱππέων. Cur autem suorum equitum recensum egerint tyranni, ne hoc quidem obscurum est: volebant enim illos paratos esse si forte, fraude patefacta, tumultus oriretur.

IV, 13. ἀλλὰ νῦν τοι παραγεγένηνται οἳ οὗτοι μὲν οὔποτε ᾤοντο, ἡμεῖς δὲ ἀεὶ εὐχόμεθα· ἔχοντες γὰρ ὅπλα ἐναντίοι μὲν αὐτοῖς καθέσταμεν. Quantocius expellatur particula μέν, quam inseruit aliquis, ut δέ (in οἱ δὲ θεοί) suum sibi oppositum haberet.

IV, 15. καὶ νῦν δὲ κεκομίκασιν ἡμᾶς εἰς χωρίον, ἐν ᾧ οὗτοι μὲν οὔτε βάλλειν οὔτε ἀκοντίζειν ὑπὲρ τῶν προτεταγμένων διὰ τὸ πρὸς ὄρθιον ἰέναι δύναιντ' ἄν, ἡμεῖς δὲ κτέ. Omnis huius loci vis tollitur additis verbis διὰ τὸ πρὸς ὄρθιον ἰέναι, quae prorsus supervacanea sunt. Nemo enim tam stupidus esse potest, qui non ex ipsa narratione intelligat, quare illi, qui Thrasybulo sunt oppositi non possint ἀκοντίζειν ὑπὲρ τῶν προτεταγμένων.

IV, 16. Tum ita pergit Thrasybulus: ἡμεῖς δὲ εἰς τὸ κάταντες καὶ δόρατα ἀφιέντες καὶ ἀκόντια καὶ πέτρους ἐξιξόμεθά τε αὐτῶν καὶ πολλοὺς κατατρώσομεν. Egregie ergo milites docuit Thrasybulus ipsorum quam hostium multo meliorem conditionem esse, hos enim de inferiore, ipsos de superiore loco esse pugnaturos, et quare hoc quam illud ad victoriam reportan-

dam utilius sit copiose demonstravit. Sequuntur haec: *καὶ ᾤετο μὲν ἄν τις δεήσειν τοῖς γε πρωτοστάταις ἐκ τοῦ ἴσου μάχεσθαι.* Prudens profecto et vera ea observatio est; quid tamen hic sibi velit non perspicio. Certe non videtur eam sibi ab alio obiici fingere Thrasybulus, non enim eam redarguit. Annotat Breitenbachius: „sic aliquis putare posset antequam nosset fore, id quod tum fiebat, ut in arduo montis clivo hostes hostibus occurrerent", sequensque *νῦν δέ* ita explicat: „nunc tamen eo nos loco stamus, ut *πρωτοστάται* quoque nostri superiores quam hostium sint". Acutissime haec vir doctus, de Xenophonte optime meritus, excogitavit, nescio tamen an et ipsi aliquid molestiae hic locus pepererit. Nam id quod dicit, exercitus sibi inter se occurrisse in „arduo montis clivo", tantoque superiores Thrasybuli quam hostium stetisse milites, ut ne *πρωτοστάταις* quidem utrorumque ex aequo proelium esset, e Xenophontis verbis vereor ut elici possit. Supra enim, cur hostes non possint *βάλλειν* et *ἀκοντίζειν*, hanc tantum affert causam: *ὑπὲρ τῶν προτεταγμένων.* Atqui *τὸ μὴ δύνασθαι βάλλειν ὑπὲρ τῶν προτεταγμένων* in quovis clivo, etiam lenissimo, usu venit. Sin autem clivus non quam maxime arduus est, revera *τοῖς γε πρωτοστάταις* non minus ex aequo est pugnandum, quam in aperto campo toti utrorumque exercitui. Ipsa autem vocabula *κατάντης* et *ὄρθιος* non de arduis tantum sed omnibus clivis usurpantur, quapropter, ubi de praecipite via sermo est, adverbium *ἰσχυρῶς* adiectivo *ὄρθιος* additur; nihil autem eiusmodi in hac narratione legitur. Sed fac Breitenbachium recte vidisse, Thrasybulumque verbis *νῦν δὲ ἄνπερ ὑμεῖς κτὲ* fictam adversarii observationem refellere: nonne tamen nimis languidum istud *νῦν δέ* videri debet? Deliberandum ergo censeo, sitne probabilius in margine illud *καὶ ᾤετο — μάχεσθαι* olim fuisse adscriptum a lectore, qui ingenium suum ostentare

vellet, postea autem illam observationem in textum esse receptam; iis enim verbis deletis, sublataque particula *δέ* (in *νῦν δὲ κεκομίκασιν*), quam eodem tempore natam existimo, multo ad auditorum animos movendos aptior fiet Thrasybuli adhortatio, singularemque in continua oratione vim habebit vocabuli *νῦν* repetitio. Rem autem in medio relinquo: nolo enim Breitenbachio, qui tam multos per annos in Xenophontis Hellenicis regnat, pertinaciter obloqui videri.

IV, 17. *εὐδαίμων δὲ καὶ ἄν τις ἀποθάνῃ· μνημείου γὰρ οὐδεὶς οὕτω πλούσιος ὢν καλοῦ τεύξεται.* Quae verborum *μνημείου — τεύξεται* sit sententia nemo non videt. Nulla enim huic loco convenit quam haecce: *οὐδεὶς γὰρ οὕτω πλούσιός ἐστιν ὅστις οὕτω καλοῦ* (vel *καλλίονος*) *μνημείου τεύξεται.* Id autem iis verbis, quae nunc leguntur, significari posse mihi non persuadeo. Haud male Koeppenus coniecit: *οὐδεὶς οὐδὲ πλούσιος ὢν οὕτω καλοῦ τεύξεται.*

IV, 18. Finita adhortatione Thrasybulus se ad hostes convertit, neque tamen statim proelium committere iubet, *καὶ γὰρ ὁ μάντις παρήγγειλεν αὐτοῖς μὴ πρότερον ἐπιτίθεσθαι πρὶν τῶν σφετέρων ἢ πέσοι τις ἢ τρωθείη.* Admodum perspicua hactenus narratio est, et eiusmodi, ut quisque de reliquis facile coniecturam facere possit. Nemo enim, ut opinor, est, qui non his lectis putet, ita nunc scriptorem esse persecuturum, ut narret aut aliquem se obtulisse, ut pro ceteris certae morti occumberet, aut ipsum vatem, ceteris vel fati ignaris vel dubitantibus, dum alius alium exspectaret, ante omnes in hostem pugnasse, amicisque suis vincendi praebuisse facultatem. Neque male quispiam ita divinet: quae enim futura quisque exspectet fiunt omnia. Revera vates tamquam divino instinctu actus ante omnes prosilit, in hostes irrumpit, occidit, vincunt amici. Quae tamen antea dicit mire cum ipsa narratione certant. Haec enim eius verba sunt: *ἐπειδὰν μέντοι*

τοῦτο γένηται ἡγησόμεθα μὲν ἡμεῖς, νίκη δ' ὑμῖν ἔσται ἑπομένοις, ἐμοὶ μέντοι θάνατος, ὥς γε μοι δοκεῖ. Haud dubie vocabulum τοῦτο respicit ad praecedentia πρὶν τῶν σφετέρων ἢ πέσοι τις ἢ τρωθείη. Ergo vates et ipse significat, se exspectaturum donec alius quis aut ceciderit aut vulneratus sit. Sed neque alium quendam voluntariae morti se obtulisse, vel Protesilai instar inscium ceteris victoriam praebuisse cognoscimus, et, si iam — id quod minime probabile videtur — Xenophon censendus est lectoris ingenio permisisse, ut ἀπὸ τοῦ σιωπωμένου intelligeret, nobile illud facinus ausum esse quendam, cuius nomen in oblivionem abierit, perquam est obscurum, quid sibi illa θεία μοῖρα voluerit, quae vatem impulerit, ut id faceret, quod minime esset necessarium. Poterat enim vitae suae parcere, praeclarisque suis vaticiniis patriae amicisque prodesse pergere. Omnia ergo eo ducunt, ut credamus vitium aliquod narrationi inesse. Equidem aut τοῦτο γένηται aut ἐπειδάν corruptum esse censuerim. Sive enim pro τοῦτο γένηται legamus ὥρα γένηται (vel eiusmodi aliquid), sive pro ἐπειδάν aliam coniunctionem (e. gr. ἵνα) ponamus, egregie omnia cohaerebunt. Quodsi quis obiiciat, tamen vel sic obscurum esse, quid sibi velint verba ὥς γέ μοι δοκεῖ, quoque pertineant verba καὶ οὐκ ἐψεύσατο, ita respondeam. Utrum ille, qui primus in hostes irruisset, moriturus, an vulnus tantummodo accepturus esset, non pro certo e sacrificiis constabat, sed ipsius vatis coniecturae ea res permissa manebat; totum autem vaticinium verbis οὐκ ἐψεύσατο respicitur, sed ante omnia primaria eius pars, qua Thrasybuli milites victoriam reportaturos dictum erat.

IV, 38. Per Pausaniam legatosque publice a Spartanis missos inter τοὺς ἐκ Πειραιῶς et τοὺς ἐξ ἄστεος pax iis conditionibus fit, ut domum redeant omnes, exceptis trigintaviris, undecimviris, decemviris: εἰ δέ τινες φοβοῖντο τῶν ἐξ

ἄστεος, ἔδοξεν αὐτοῖς Ἐλευσῖνα κατοικεῖν. Ii, qui nondum satis tutos se Athenis esse arbitrabantur, parumque ergo paci fidebant, haud dubie illi erant, qui per trigintavirorum dominationem maximis atrocissimisque se obstrinxerant maleficiis; quemadmodum recte tradit Diodorus Siculus (XIV, 33), cuius haec verba sunt: *τοῖς δὲ εὐλαβουμένοις, μή τι πάθωσι διὰ τὰ γενόμενα κατὰ τὸ συνεχὲς αὐτῶν ἀδικήματα κτέ.* Illis autem in componenda pace, quae ipsis tam parum utilis erat (cf. § 41), aliquas *decernendi* partes concessas fuisse, minime est credibile. Quibusnam autem hominibus ita fieri *visum est*? Pausaniae opinor legatisque Spartanis. Ne multa: solito errore *αὐτοῖς* ex *αὐτούς* natum esse puto. Cf. locus ex Oecomico (IV, 6), ubi pro *οἷς ὡπλίσθαι προςτέτακται* legendum esse demonstravi *οὓς ὠ. π.*

LIBER III.

Caput I, 3. Graeci in Asia habitantes metu Tissaphernis Spartam legati miserunt, *καὶ ἠξίουν, ἐπεὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος προστάται εἰσίν, ἐπιμεληθῆναι καὶ σφῶν τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἑλλήνων, ὅπως ἥ τε χώρα μὴ δῃοῖτο αὐτῶν καὶ αὐτοὶ ἐλεύθεροι εἶεν.* Delendum censeo *αὐτῶν*. Saepe enim scioli illius pronominis casus obliquos inserendo structurae bene Graecae vim intulerunt. Cf. locus ex Oeconomico (XVI, 3), ubi elegantissime Xenophon scripsit: *ἣν δὲ ἄρα (ἡ γῆ) δι' ἀργίαν τῶν ἐχόντων αὐτὴ μὴ ἔχῃ τὴν ἑαυτῆς δύναμιν ἐπιδεικνύναι, ἔστι καὶ παρὰ γείτονος τόπου πολλάκις ἀληθέστερα περὶ αὐτῆς γνῶναι ἢ παρὰ γείτονος ἀνθρώπου πυθέσθαι,* quem tamen locum languidum reddidit qui *αὐτή* in *αὐτήν* corrupit.

I, 5. Nocuisse huic narrationis parti videtur temporis in-

iuria. Leguntur enim haec: Thibron, quum in Asiam venisset ex Graecis quoque urbibus, quae in continenti sitae erant, copias contraxit. Omnes enim tum civitates, quod Spartanorum aliquis imperasset, facere solebant. Verbo autem, quo Thibron copias contraxisse significatur (*συνήγαγε*), particula *μέν* additur: nihil tamen illi verbo opponitur, sed sequuntur haec: *καὶ σὺν μὲν ταύτῃ τῇ στρατιᾷ ὁρῶν Θίβρων τὸ ἱππικὸν εἰς τὸ πεδίον οὐ κατέβαινεν, ἠγάπα δὲ κτἑ.* Neque solum defectus sententiae, quae verbis *συνήγαγε μὲν κτἑ*, opponatur, lacunam indicat, sed etiam verba *ὁρῶν* — *τὸ ἱππικόν*, e quibus nullus satis aptus sensus elici potest. Quae enim verbi *ὁρᾶν* illustrandi gratia affert Breitenbachius, parum in rem facere videntur.

I, 14. De Zenide Dardanio eiusque uxore Mania haec narrantur: Zenis Aeolidi praefectus erat a Pharnabazo; quo mortuo Mania uxor eius a Pharnabazo petiit, ne novum satrapam institueret, sed ipsam praeesse Aeolidi sineret: non enim minus ipsam Pharnabazo fidelem fore sociam quam fuisset maritus. Concessit illi Pharnabazus quod petierat; ipsa ergo, quum mariti loco Aeolidem obtinuisset, non solum Pharnabazo vectigalia solvebat, sed quotiescumque ad eum veniebat dona afferebat, ipsumque Pharnabazum, quum in Aeolidem iter faciebat, quam maxime hospitaliter excipiebat. Praeterea urbes, quas ab eo acceperat, in fide retinebat, aliasque, quae Pharnabazi imperium detrectabant, subegit, illarumque urbium oppugnationi ipsa aderat. Quin etiam, cum Pharnabazo saepe in Mysos Pisidasque expeditionem faciebat. Quibus rebus factum est, ut in summo apud Pharnabazum esset honore. Tum haec sequuntur: *ἤδη δὲ οὔσης αὐτῆς ἐτῶν πλέον ἢ τετταράκοντα Μειδίας θυγατρὸς ἀνὴρ αὐτῆς ὢν . . . . εἰσελθὼν ἀποπνῖξαι αὐτὴν λέγεται.* Quo magis verba *ἤδη* — *τετταράκοντα* adspicio, eo mihi videntur absurdiora. Quorsum

enim hic affertur aetas mulieris? Tum demum aetatis commemoratio aliquod momentum adderet narrationi, si mulierem interfectam esse cognosceremus, quum ad summam pervenisset senectutem. Quis autem grandaevam putet mulierem quadraginta annorum? Ridicule ergo vocabulo *τετταράκοντα* adverbium *ἤδη* additur. Sed etiam si illud abesset, ineptum esset ita narrare: „a genero Mania interfecta est, quum plus quam quadraginta annos nata esset." Nemo enim, ut opinor, aetatem mulieris scire cupit. Quidni? Quia traditum non est, qua esset aetate, quum Zenis diem obiret, ipsaque ad imperium veniret. Hoc enim, ut opinor, narrationi deest, hoc taceri attentus lector non potest non mirari, *quamdiu* femina virili ingenio *imperium regionis suae obtinuerit.* Gravem ergo labem hunc locum contraxisse mihi constat, quae quo modo sit sananda non perspicio. Fac enim pro *οὔσης* olim lectum fuisse aliquid, quod tempus, per quod Aeolidi praefuit Mania, indicaret, id est aut excidisse *ἐν ἀρχῇ* (vel eiusmodi aliquid), aut *οὔσης* vitio natum esse ex alio participio (e. gr. *ἀρξάσης*), tamen in numero quoque *τετταράκοντα* peccatum esse manifestum est. Aut enim minus aut certe non plus *septendecim* annos post mariti decessum regnare potuit Mania. Id enim aetatis erat filius, quem cum matre occisum esse hoc ipso loco legimus.

I, 16. Paulo post Maniam interfectam imperiumque a Midia occupatum, Dercylidas cum exercitu Spartano in eam regionem venit. *καὶ εὐθὺς μὲν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ Λάρισαν καὶ Ἁμαξιτὸν καὶ Κολώνας τὰς ἐπιθαλαττίους πόλεις ἑκούσας παρέλαβε κτἑ.* Pueriliter iterum hic et nomina urbium enumerantur et maritimas eas fuisse explicandi gratia additur. Brevius enim intercedit spatium inter hunc locum superioremque, quo illas a Mania subactas esse traditur, quam ut opus sit simul et nomina et situm earum lectori in memoriam revocare. Satis

enim est cognoscere aut *maritimas* urbes, aut *Larisam, Hamaxitum*, *Colonas* se Pharnabazo dedidisse. Probabilius tamen videtur nomina olim in margine fuisse adscripta.

I, 18. Cebrenem urbem obsidet Dercylidas: pars militum fontem, e quo incolae aquam haurire solent, humo opplere conatur: illi vero eruptione facta duos milites occidunt, lochagum, qui expeditioni praeerat, vulnerant, ceteros in fugam convertunt. *ἀχθομένου δὲ τοῦ Δερκυλίδου, καὶ νομίζοντος ἀθυμοτέραν καὶ τὴν προςβολὴν ἔσεσθαι κτέ.* Pro *ἀθυμοτέραν καί* Cobetus scribi iubet *ἀθυμοτέρους πρός*. Quam emendationem qui necessariam non esse contendunt, metaphoram, quae in verbis *ἀθυμοτέραν προςβολήν* est, tuentur, et aliunde exempla quaedam afferunt, neque tamen illa admodum huic loco similia. Alterum tamen vitium, quo vulgata lectio laborat, quodque et ipsum Cobeti emendatione removetur, tollere vel excusare negligunt, estque illud metaphora ista, licet ea quoque admodum sit suspecta, multo etiam minus ferendum. Quid enim, quaeso, coniunctio *καί* sibi vult?

I, 21. *ὁ δὲ Δερκυλίδας θύσας τῇ Ἀθηνᾷ ἐν τῇ τῶν Σκηψίων ἀκροπόλει τοὺς μὲν τοῦ Μειδίου Φρουροὺς ἐξήγαγε, παραδοὺς τοῖς πολίταις τὴν πόλιν καὶ παρακελευσάμενος, ὥςπερ Ἕλληνας καὶ ἐλευθέρους χρή, οὕτω πολιτεύειν, ἐξελθὼν ἡγεῖτο ἐπὶ τὴν Γέργιθα.* Rectissime post *παραδούς* particulam *δέ* inserit Breitenbachius.

I, 27. Aliquem sibi viam monstrare ad Maniae Pharnabazique thesaurum iubet Dercylidas; *ἡγουμένων δὲ τῶν ἄλλων ἐπὶ τὴν Μανίας οἴκησιν, ἣν παρειλήΦει ὁ Μειδίας, ἠκολούθει κἀκεῖνος.* Verbis *ἣν παρειλήΦει ὁ Μειδίας* significare voluisse videtur sciolus aliquis, Maniae domum occupasse Midiam. Quasi vero id addere necesse esset, et non quivis sponte intelligeret, Midiam, quum socrum suam impia caede necasset, regnoque eius bonisque omnibus vi esset potitus, a domo regia minus etiam quam a ceteris abstinuisse. Accedit quod,

quae significare sciolum *voluisse* contendo, bene Graece dicere non potuit. Qui enim per vim caedemque in aliena irruit, non potest dici *παρειληφέναι*. Illum *παραλαμβάνειν*, qui a *volentibus* accipit rem, quam aut tamquam dominus possideat, aut pro alio administret, hi e vicinia loci declarant: § 13: *ἃς τε παρέλαβε πόλεις διεφύλαττεν αὐτῷ*, et 16: *τὰς ἐπιθαλαττίους πόλεις ἑκούσας παρέλαβε.*

Caput II, 2. Quum in Bithynia esset Dercylidas illam regionem agebat ferebatque et commeatu abundabat, neque ei primo tempore quidquam adversi accidit. Quum tamen socii a Seuthe, Odrysarum, qui e regione Bithyniae habitabant, rege missi ad eum venissent, illi castris haud procul a Spartanis positis *αἰτοῦντες φύλακας τοῦ στρατοπέδου τὸν Δερκυλίδαν τῶν ὁπλιτῶν κτέ.* Haeccine pro Xenophonteis venditari! Non Graece loqui hoc est sed infantis modo balbutire. An censeamus Xenophontem verbis, quae citavi, *παρῳδεῖν* Graecum sermonem, quo Odrysae isti usi sunt? Neque ea huic loco coniectura convenit, sed verba *τὸν Δερκυλίδαν τῶν ὁπλιτῶν* invito Xenophonte addita esse probabile est.

II, 4. Odrysae ergo illi, custodibus in castris relictis, praedam agere instituunt, castraque implent captivis opibusque. Qua re cognita Bithyni, parvum esse custodum numerum edocti, absentibus Odrysis per campumque dispersis, Graecos adoriuntur: illi vero, gravi quum essent armatura instructi, peltastarum equitumque impetum sustinere non possunt, sed in castris inclusi ab hostibus tristissima clade occiduntur. *ἐσώθησαν μέντοι αὐτῶν ἀμφὶ τοὺς πεντεκαίδεκα εἰς τὸ Ἑλληνικόν· καὶ οὗτοι, ἐπεὶ εὐθέως ᾔσθοντο τὸ πρᾶγμα, ἀπεχώρησαν ἐν τῇ μάχῃ διαπεσόντες ἀμελησάντων τῶν Βιθυνῶν.* Non narratur, quid quindecim illi homines fecerint, postquam pervenerint ad suos, sed qui factum sit, ut salvi evadere possent. Legendum ergo *καὶ γὰρ οὗτοι* pro *καὶ οὗτοι.*

II, 6. Lampsaci quum esset Dercylidas domo legati venerunt inspecturi exercitum Dercylidaeque nuntiantes in annum ei imperium esse prorogatum: *ἐπιστεῖλαι δὲ σφίσιν αὐτοῖς τοὺς ἐφόρους καὶ συγκαλέσαντας τοὺς στρατιώτας εἰπεῖν κτἑ.* Rectissime verborum *σφίσιν αὐτοῖς* sensum ita illustrat Breitenbachius: „mandatum sibi esse legati dicebant, ut non *per duces*, sed *ipsi* illum ad milites nuntium perferrent." Non tamen, ut opinor, e Xenophontis verbis ille sensus elici poterit, quamdiu in textu remanebit coniunctio *καί*, quam delendam esse Cobetus iamdudum monuit.

II, 8. Legati illi, qui ad Dercylidam missi erant, mentionem iniiciunt de legatis Chersonesitarum, qui, dum ipsi proficiscerentur, Spartae essent. *τούτους δὲ λέγειν ἔφασαν ὡς νῦν μὲν οὐ δύναιντο τὴν Χερρόνησον ἐργάζεσθαι· φέρεσθαι γὰρ καὶ ἄγεσθαι ὑπὸ τῶν Θρᾳκῶν· εἰ δὲ ἀποτειχισθείη ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν, καὶ σφίσιν ἂν γῆν πολλὴν καὶ ἀγαθὴν εἶναι ἐργάζεσθαι καὶ ἄλλοις ὁπόσοι βούλοιντο Λακεδαιμονίων. ὥστε ἔφασαν οὐκ ἂν θαυμάζειν, εἰ καὶ πεμφθείη τις Λακεδαιμονίων ἀπὸ τῆς πόλεως σὺν δυνάμει ταῦτα πράξων.* Errare videntur qui verborum *ἔφασαν οὐκ ἂν θαυμάζειν* subiectum esse putant Chersonesitarum legatos, et ergo *οὐκ ἂν θαυμάζειν* ita interpretantur: „se a Spartanis exspectare; se Spartanos laudaturos esse, si...." Quominus enim hunc locum ita accipiamus obstat primum verbum *ἔφασαν*, quod scriptorem censeo ideo inseruisse, ut appareret sequentis infinitivi *θαυμάζειν* non iam idem esse subiectum, quod praecedentium *λέγειν, φέρεσθαι, ἄγεσθαι*: nam si Chersonesitae essent *οἱ οὐκ ἂν θαυμάζοντες*, haud dubie *ἔφασαν* esset delendum. Deinde probabile non est illos addidisse vocabula *ἀπὸ τῆς πόλεως*; contra egregie ea conveniunt Spartanis cum Spartano procul a patria loquentibus. Postremum — nam ne minima quidem indicia contemnenda sunt — in Chersonesitarum precibus ferri non posset particula *καί*,

quae verbo *πεμφθείη* addita est. Sin Spartanorum legatis tribuemus verba *οὐκ ἂν θαυμάζειν κτέ.*, rectissime ea posita erit. Narraverunt Spartani legati, quid Chersonesitae petierint; nunc addunt probabile sibi videri illos etiam impetraturos esse, quae cupiant.

II, 10. Chersonesum Dercylidas venit, *ἣν καταμαθὼν πόλεις μὲν ἕνδεκα ἢ δώδεκα ἔχουσαν, χώραν δὲ παμφορωτάτην καὶ ἀρίστην οὖσαν κτέ.* Haud dubie participium *οὖσαν* delendum est: ferri posset, si substantivum *χώραν* articulum haberet; tum enim a participio *καταμαθών* duae penderent sententiae: *ἣν .... ἔχουσαν* et *τὴν δὲ χώραν .... οὖσαν*. Nunc Dercylidas cognovisse dicitur: *ὅτι ἡ Χερρόνησος πόλεις μὲν ἕνδεκα, χώραν δὲ παμφορωτάτην ἔχει.*

II, 12. *καὶ μέχρι τούτου τοῦ χρόνου ἐν εἰρήνῃ διῆγον Τισσαφέρνης τε καὶ Δερκυλίδας κτέ.* Post *μέχρι* inserenda est particula *μέν*. Mox enim sequitur *ἐπεὶ δὲ ἀφικνούμενοι πρέσβεις κτέ.*

II, 21. Quae inde ab hoc loco usque ad capitis finem leguntur egregie illustrata sunt a Busoltio in libro „die Lakedaimonier" (p. 146—199), quem ut conferant lectoribus auctor sum.

II, 21. Narratio de Licha Spartano iniuriaque, qua ab Eleis affectus est, non ab ipso Xenophonte scripta esse videtur, sed inserta ab aliquo sciolo, qui doctrinam ostentare vellet. Quae enim apud Thucydidem (V, 50) leguntur, huc sunt translata, sed tam puerili sermone enuntiata, tamque inepte praecedentibus annexa, ut inter legendum vix risum teneas. „Spartanis ad Olympia non admissis", ita Thucydides narrat, „Elei metuebant, ne vi sibi aditum pararent: in praesidio ergo iuniores milites, gravi armatura instructos, posuerunt: auxilio iis venerunt Argivorum Mantineensiumque pedites et Atheniensium equites." Tum ita pergit:

δέος δὲ ἐγένετο τῇ πανηγύρει μέγα μὴ ξὺν ὅπλοις ἔλθωσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ καὶ Λίχας.... πληγὰς ἔλαβεν. De Licha ergo Thucydides narrat, ut appareat qua perseverantia Elei Spartanorum postulatis restiterint; apud Xenophontem autem ea narratio ita additur, quasi nova quaedam Eleorum adversus Spartanos iniuria praecedentibus addatur: ea enim vis est verborum καὶ οὐ μόνον τοῦτ' ἦρκει ἀλλὰ καὶ.... Inepte autem reliqua omnia esse enuntiata, quae hoc loco de Licha leguntur, vix demonstrare opus est. Satis opinor esse semel hunc locum clara voce recitasse. Quis enim unquam scriptor paulo elegantior ita participia coniunctionesque inter se miscuit: Λίχα παραδόντος.... ἐπεὶ ἐκηρύττοντο.... ὅτε εἰσῆλθε Λίχας — μαστιγοῦντες αὐτόν.... Nisi a Thucydide auxilium petere liceret, nemo, ut opinor, e narratione, quae hic pro Xenophontea venditatur, cognoscere posset, quid tandem fecerit Lichas quidque ei acciderit.

Caput III, 2. Paulo mihi longiore opus est disputatione, ut opinionem quandam meam proferam de verbis nonnullis, quibus in certamine cum Leotychide Agesilaus utitur. Postquam enim ille se Agide natum affirmavit, Agesilaus respondet: „Neptunus te mentiri κατεμάνυσεν ἐκ τῶ θαλάμω ἐξελάσας σεισμῷ εἰς τὸ φανερὸν τὸν σὸν πατέρα. συνεμαρτύρησε δὲ ταῦτ' αὐτῷ καὶ ὁ ἀληθέστατος λεγόμενος χρόνος εἶναι· ἀφ' οὗ γάρ τοι ἔφυγε καὶ οὐκ ἐφάνη ἐν τῷ θαλάμῳ, δεκάτῳ μηνὶ τὺ ἔφυς" [1]). Ad ea verba, quae per se spectata satis obscura sunt, illustranda, et, quemadmodum postea videbimus, emendanda etiam, viri docti et olim attulerunt et nunc afferunt Plutarchi narrationem, qui in vita Agesilai (c. 3 extr.) haec habet: ὁ δὲ Ἀγησίλαος ἔφη καὶ τὸν Ποσειδῶνα καταμαρτυρεῖν τοῦ Λεωτυχίδου τὴν νοθείαν ἐκβαλόντα σεισμῷ τοῦ θαλάμου τὸν Ἆγιν· ἀπ'

1) Ita Cobetus pro ἐγένου.

ἐκείνου δὲ πλέον ἢ δέκα μηνῶν διελθόντων γενέσθαι τὸν Λεωτυχίδην. Et in vita Alcibiadis (c. 23 extr.): ἐπίστευσε δὲ τῷ χρόνῳ μάλιστα (ὁ Ἆγις), ὅτι σεισμοῦ γενομένου φοβηθεὶς ἐξέδραμε τοῦ θαλάμου παρὰ τῆς γυναικός, εἶτα δέκα μηνῶν οὐκέτι συνῆλθεν αὐτῇ, μεθ' οὓς γενόμενον τὸν Λεωτυχίδην ἀπέφησεν ἐξ αὐτοῦ μὴ γεγονέναι. His igitur Plutarchi verbis omnes, quantum scio, viri docti, qui Xenophonti operam dederunt, usi sunt ut Xenophontis verba explicarent: perverse, ut mihi quidem videtur; sed multo etiam perversius esse puto, quod pauca quaedam apud Xenophontem mutarunt, quo maior videretur scriptorum consensus. *Contendo enim ea quae apud Plutarchum leguntur minime esse probabilia, et Xenophonteam narrationem cum Plutarchea nullo modo conciliari posse.*

Iam hoc lubentissime Cobeto assentior (coll. crit. p. 572) Agidem levi suspicione tantum ductum esse et nihil comperisse. Quae autem fuerit illa suspicio et unde nata mox videbimus. Sed si vera sunt, quae narrat Plutarchus, hercle, non levis potuit esse suspicio, quae Agidem permoveret, ut adulterii uxorem accusaret. Quid enim? Per longum tempus Agis domo abfuit et τῇ γυναικὶ οὐ συνεγένετο. Quod fuisset illius absentiae initium tam probe sciebat, ut per totam vitam eius rei oblivisci non posset. Terrae enim motu territus ab uxore sua et e cubiculo profugit: „*effluxerunt* decem menses, per quos cum uxore rem non habuit; *post illos* Leotychides nascitur." Ita enim in Alcibiade loquitur, disertioribus etiam verbis quam in Agesilao. Profecto si ita acta res est, non *suspicabatur* Agis sed *sciebat* Leotychidem suum filium non esse; non coniecturam faciebat sed ipsam tenebat veritatem; non accusabat adulterii uxorem, sed manifestam ream habebat confitentemque quae negare nullo modo posset. Testis enim non solum is erat, qui accusabat, maritus, sed tota Sparta: quo die terrae motu terribilis ille fuisset incus-

sus metus noverant meminerantque omnes: illo ipso die regem domo profugisse, neque domum rediisse sciebant. Tamen anno vel undecimo mense post eius abitum reginae puer nascitur. Quam impudentem eam fingamus fuisse, quae infantem eo tempore natum ne conata quidem sit abscondere, aliive mulieri persuadere, ut tamquam suum acciperet aleretque? At non solum eiusmodi conata nihil est, sed adulto iam Leotychide ex Agide eum se concepisse affirmabat. Ita enim apud Xenophontem legimus: *ἀλλ᾽ ἡ πολὺ κάλλιον ἐκείνου εἰδυῖα μήτηρ καὶ νῦν ἔτι Φησίν*. Sed mittamus Xenophontem: Plutarcho fidem habeamus. Qualem ad Agidem Deceleam, ut opinor, credamus misisse nuntium ephoros? An huiuscemodi prooemio scytalen suam ornarunt: *ὦ βασιλεῦ, πάλαι μὲν εἴρηται τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία γίγνεσθαι· σὺ δὲ πολὺ τούτων εὐδαιμονέστερος· ἣν γὰρ οἴκοι κατέλιπες γυναῖκα, ὅτε τῷ σεισμῷ — μέμνησαι γάρ — Φεύγειν ἠναγκάσθης, αὕτη σοι ἑνδεκάμηνον (ἢ δωδεκάμηνον) παιδίον τέτοκεν*? Quam stupidus autem ipse rex fuit, qui tum suspicaretur tantum aliquod uxoris peccatum, non statim eam repudiaret. Ipse, hercle, Leotychides, quamquam admodum adolescens erat — quindecimum enim aetatis annum agebat — tamen pro certo sciebat Agidis se filium non esse, neque sperare poterat, se unquam ei successurum. At regiam sibi vindicavit dignitatem, postulatoque eius cives ephorique praebuerunt aures, neque eum tamquam impudentem e conventu suo proturbarunt aut tamquam stolidum puerum deriserunt, qui matris infamiae memoriam renovaret, ut id peteret, quod neminem sibi concessurum esse facile coniicere posset. Accedit quod puerum illum, quem Timaea pepererat, quum, non *οὔπω*, sed *οὐκέτι ἐξῆν αὐτῇ τεκεῖν*, postea pro suo Agis agnovit. Ipse Plutarchus hoc narrat, idemque tradit Pausanias (III, 8). Qui autem postea illi rei fidem habere Agis potuit, quam

semel cognosset εἶναί τι τῶν ἀδυνάτων? Nam Plutarchum sic duas res tradere, quarum altera alteri adversa fronte repugnet, mirum quidem est sed verum. Post Xenophontem natam esse narrationem, qua Agis, in articulo mortis Leotychidis precibus fatigatus illum agnovisse dicitur, Cobeti est opinio, cui equidem lubenter adstipulor, sed hoc addo: nasci illa non potuisset, si verum esset, quod de ultima illa nocte, qua in uxoris cubiculo fuit Agis ex eoque profugit, apud Plutarchum legimus.

Absurda ergo et inter se repugnantia Plutarchum tradere videmus: tamen tantum semper ei tribuerunt viri docti, ut verba Xenophontis ex uno Plutarcho illustrari posse crederent; unoque loco etiam Xenophontem emendandum esse putarunt, quo melius cum Plutarcho consentiret. Quod enim nunc legitur ἔφυγε καὶ οὐκ ἐφάνη ἐν τῷ θαλάμῳ, eorum verborum particulam οὐκ inseruit Leonclavius, eumque secuti sunt omnes [1]). Video quidem e verbo ἐφάνη nullum sensum elici posse, sed οὐκ addendo nihil proficimus: nam vel sic minime ea, quae Leotychidi obiicit Agesilaus, cum Plutarchea narratione concinunt, errantque qui ad illa explicanda hanc adhibendam putant. Videamus singula:

Primum hoc dicit Plutarchus: per decem menses ab uxore afuit Agis, post illos Leotychides natus est. Apud Xenophontem legitur: δεκάτῳ μηνὶ τὺ ἔφυς. Non idem ergo Xenophon dicit, quod Plutarchus, sed prorsus contrarium. Nam si *decimo mense* (lunari) natus est Leotychides post ultimam noctem, qua ante profectionem longamque absentiam cum uxore fuit Agis, nihil hic habebat, quare illam in adulterii vocaret suspicionem. Quin etiam, ut opinor, ne iurato qui-

1) Cobetus verba ἔφυγε καί delevit.

dem quisquam ei credidisset, si suum filium Leotychidem esse negasset.

Deinde credibile non est, quum esset dicendum: „post ultimam noctem, qua cum matre tua fuit rex, antequam domo abiit", id ita Xenophontem enuntiasse: „*ἀφ' οὗ οὐκ ἐφάνη ἐν τῷ θαλάμῳ*", vel potius tam obscurum dictum Agesilao praebuisse. Quam facile enim erat eam rem ita significare: *ἀφ' οὗ τὸ τελευταῖον* s. *ὕστατον ἦν ἐν τῷ θαλάμῳ*.

Sed gravissimum argumentum, quare ego non credam idem Xenophontem dicere quod Plutarchum, ex his peto verbis: *ἐκ τῶ θαλάμω ἐξελάσας σεισμῷ εἰς τὸ φανερὸν τὸν σὸν πατέρα*. Cui enim probabile videri potest verbis *τὸν σὸν πατέρα* significari, non illum, quo revera natus est Leotychides, sed illum, quem patrem suum esse *postea perhibebat*? Supra enim Agis appellatur: *ὃν τὺ καλεῖς πατέρα*. Nonne his verbis nunc *opponitur τὸν σὸν πατέρα*? Et si legitimus maritus Agis terrae motu coactus est ex uxoris cubiculo fugere, num ideo dici potest *σεισμῷ ἐξελαθῆναι εἰς τὸ φανερόν*? Si iam posset, quid mirum erat ex *uxoris* cubiculo regem fugere? Sed non potest. Quid enim *ἐξελάσαι εἰς τὸ φανερόν* significat? Nihil aliud quam hoc: eum, qui latere cupit, prodire cogere, et inde prodire, quo nunquam venisse videri velit, eumque ante omnium oculos protrahere, et in populi statuere conspectu. Ex matrisfamilias cubiculo *εἰς τὸ φανερὸν ἐξελαύνεται* non maritus verum *adulter*.

Quid ergo Xenophonte auctore illa nocte accidit, vel potius quem populi rumorem respicit Agesilaus, ubi quae citavimus Leotychidi obiicit? Spartani omnes fuga salutem quaesiverunt; in communi trepidatione, dum „sua cuique domus funesta videtur" e reginae cubiculo prosilit Alcibiades. Pauci viderunt, aut videre sibi visi sunt, aut saltem se

vidisse finxerunt, sed sparsus est per urbem rumor, isque et ad regem allatus. Ille utrum statim fidem habuerit an aliquamdiu dubitarit nescimus: sed credibilis ei videri debebat res, quum decimo post terrae motum (is enim quo die fuisset facile memoria retinebat) mense uxor pareret. Nihil tamen compertum habebat: etenim illo tempore et ipse Spartae fuerat, fortasse ea nocte, quae terrae motum praecessit, in uxoris cubiculo non ἐφάνη (absurdum enim illud est vocabulum, sive „maritus" est subiectum sive „adulter") sed strenue operam dedit, ne sui illa oblivisceretur dum bellum gereret cum Atheniensibus.

Ut tandem huiusce disputationis summam conficiam, credo altercationem Agesilai cum Leotychide, Dorica dialecto scriptam, iam non ita multo post scriptoris mortem corruptam esse, aut male intellectam ansam dedisse narrationibus, quales apud Plutarchum legimus. Certe verba quae nobis tradita sunt ἔφυγε καὶ ἐφάνη ἐν τῷ θαλάμῳ sincera esse non possunt, neque sanantur addita verbo ἐφάνη particula οὐκ. Sensu enim cassum est ἔφυγε καὶ οὐκ ἐφάνη. Abiecto autem ἔφυγε καί remanet verbum ἐφάνη, in quo omnis est huius loci molestia. Tum enim demum aliquis e verbis ἀφ' οὗ οὐκ ἐφάνη ἐν τῷ θαλάμῳ elici posset sensus, si dicta essent de marito, significarentque: „post ultimam noctem qua in uxoris fuit cubiculo"; sed tum absurde id esset enuntiatum, cogeremurque et praecedentia ἐξελάσας εἰς τὸ φανερὸν τὸν σὸν πατέρα de legitimo accipere marito, quod vetat sana ratio. Ex multis sententiis haec mihi maxime videtur probabilis: scripserat Xenophon nihil praeter hoc: ἐξ οὗ γάρ τοι ἔφυγεν (ὁ σὸς πατήρ, i. e. adulter) ἐκ τῶ θαλάμω δεκάτῳ μηνὶ τὺ ἔφυς. Mox autem corrupta sunt verba ἐκ τῶ θαλάμω, pro iisque scriptum ἐν τῷ θαλάμῳ, quod ut haberet unde penderet, a nescio quo insertum est καὶ ἐφάνη. Ex corrupta lectione

Plutarchum suam finxisse narrationem nemo, ut opinor, incredibile esse putabit [1]).

Dorica autem dialecto totam altercationem fuisse scriptam mihi pro certo constat; rectissime ergo credo Cobetum pro quibusdam vocabulis Atticis Dorica restituisse, neque mihi persuadent viri docti, qui sibi hoc argumento Cobetum refellere videntur, ut dicant tantummodo quae *e lege Spartana* citarit Agesilaus (i. e. *κα ὡς βασιλεύοι*) olim Dorice fuisse enuntiata, ceteras omnes formas Doricas sciolis deberi. Nam et admodum improbabilis ea coniectura est, et negatur ita quod minime negari potest, Xenophontem saepe illustrandae narrationis gratia Spartanis Dorica praebere vocabula. E multis locis unum afferam, qui vulgo negligitur. In Anabasi (VII, 1, 8) Cleander Spartanus ad Xenophontem haec dicit: *καὶ νῦν τινὲς ἤδη σε αἰτιῶνται ὅτι οὐ τάχυ ἐξέρπει τὸ στράτευμα.* Verbum autem *ἕρπειν* pro *ἰέναι* Doricum esse nemo est qui ignoret.

III, 3. Leotychidis causam defendens Diopithes monet, antiquum esse Apollinis oraculum, ut Spartani caverent *τὴν χωλὴν βασιλείαν.* Respondet Lysander se non credere Deum Spartanos iussisse *φυλάξασθαι μὴ προσπταίσας τις χωλεύσαι, ἀλλὰ μᾶλλον μὴ οὐκ ὢν τοῦ γένους βασιλεύσειε· παντάπασι γὰρ ἂν χωλὴν εἶναι τὴν βασιλείαν ὁπότε μὴ οἱ ἀφ' Ἡρακλέους τῆς πόλεως ἡγοῖντο.* Absurdum istud *χωλεύσαι* iam aliquoties demonstratum est delendum esse, mordicus tamen multi editores in textu retinent. Ironiam enim nescio quam reconditam arcanamque in isto *φυλάξασθαι μὴ προσπταίσας τις χωλεύσαι* esse excogitarunt, et illam ipsam, quamvis per se iam satis sit inepta et ridicula, ut defendant, rem non minus inaudi-

---

1) Plutarchum non melioribus usum esse Xenophontis codicibus quam quos nos habemus demonstrat Schenklius Xen. Stud. I. p. 580.

tam absurdamque addunt: persuadent enim sibi, vel potius somniant, verbum *χωλεύειν* non esse *claudum esse* verum *claudum fieri*. Sed quid verbis opus est. Quis enim non videt, praeter eum qui videre nolit, hoc Diopithi respondere Lysandrum: „*χωλός* in isto oraculo non est *προσπταίσας*, sed *οὐκ ὢν τοῦ γένους*. Non cavendum est ab eo, cui infelix casus alterum pedem debilitavit, sed ab eo, qui non est patre rege natus"? In iis quoque, quae sequuntur, vitium mihi deprehendisse videor. Non enim legendum esse puto *ὁπότε μὴ οἱ ἀφ' Ἡρακλέους τῆς πόλεως ἡγοῖντο*, verum *ὁπότε οἱ μὴ ἀφ' Ἡρακλέους τῆς πόλεως ἡγοῖντο*.

III, 7. Vir qui Cinadonis consilia indicat, narrat ipsi Cinadonem monstrasse et in foro et in viis parvum esse Spartiatarum, maximum autem ceterorum incolarum numerum; hos autem eum dixisse amicos, illos inimicos esse habendos: *καὶ ὅσοι δὲ ἐν τοῖς χωρίοις Σπαρτιατῶν τύχοιεν ὄντες ἕνα μὲν πολέμιον τὸν δεσπότην, ξυμμάχους δ' ἐν ἑκάστῳ πολλούς*. Verba *τὸν δεσπότην* tamquam inutile additamentum eiiciendum esse Cobetus vidit. Num tamen sic totus locus in integrum sit restitutus dubito. Quae enim restant, hoc significant: „quotquot in singulis agris erant Spartiatae eorum unum inimicum esse dicebat, ceteros omnes amicos." Verborum ordo aliter ea verti vetat. At in singulis agris unus tantum aderat Spartiata, ceteri omnes minore erant iure. Videndum ergo sitne etiam vocabulum *Σπαρτιατῶν* delendum. In iis quae sequuntur graviter scriptoris verba imperiti librarii corruperunt. Nam neque (§ 6) ferri potest *ἔφασαν* (in *αὐτοὶ μέντοι πᾶσιν ἔφασαν συνειδέναι*), neque (§ 7) *ἔφασαν λήψεσθαι*. Turbata quoque haec sunt: *οἱ μὲν δήπου συντεταγμένοι ἡμῶν αὐτοὶ* (Df. *αὐτῶν*) *ἔφασάν γε ὅπλα κεκτήμεθα*: non enim recte inter se opponuntur *οἱ συντεταγμένοι* et *ὁ ὄχλος*. Sed illa omnia saepe iam tentata tangere nolo: hoc dico me nul-

lumdum emendandi conamen vidisse, quod satis placeret.

III, 8—10. Narratio de dolo, quo ephori usi sunt, ut sine tumultu Cinadon prehendi posset, non videtur labe immunis esse: certe eam iam olim male intellectam esse mox videbimus. Primum quae in hac re uxoris Cinadonis partes sint minime est perspicuum. Praetextu opus erat, quo Cinadon cum viris armatis, qui eum deprehenderent, ex urbe mitteretur, sed unus, ut opinor, praetextus sufficiebat. Deinde quid verba ἡ καλλίστη μὲν ἐλέγετο αὐτόθι εἶναι significant? An τῶν αὐτόθι legendum est? In sequentibus haec displicent: ἔμελλον δὲ οἱ συλλαβόντες αὐτὸν μὲν κατέχειν κτέ. Non enim milites, qui cum Cinadone mittuntur, *ut eum prehendant*, iam appellari possunt οἱ συλλαβόντες, sed aut articulus delendus est, aut pro συλλαβόντες legendum est συμπεμφθέντες. Quod autem dicebam male iam olim narrationem esse intellectam, satis hoc apparebit, si Xenophontis haec: οὕτω δὲ ἔσχον οἱ ἔφοροι πρὸς τὸ πρᾶγμα, ὥστε καὶ μόραν ἱππέων ἔπεμψαν τοῖς ἐπ' Αὐλῶνος, cum quodam Polyaeni loco (II, 14) comparaverimus. Polyaenus enim dicit ephoros clam equites nonnullos Aulonem praemisisse. Quam falsum hoc sit, quisque intelligit, qui Xenophontem legit. Non enim Cinadon quique cum eo mittebantur *Aulonem* perventuri erant: mandatum erat militibus, ut simulac satis longe ab urbe abessent Cinadonem prehenderent, vinctumque Spartam reducerent. Sed ut probabili mendacio Cinadoni persuadere possent, ut cum armatis illis proficisceretur, urbem excogitarunt, quo ille iam saepe publice cum aliquo mandato missus erat. Minime tamen mirum est Polyaenum a vero aberrasse, nam ne ea quidem, quae apud Xenophontem legimus sincera esse possunt. Nam non solum Aulonem illi homines perventuri non erant, sed ne dici quidem possunt οἱ ἐπ' Αὐλῶνος, quoniam Aulon non erat propositus itineris finis. Et quomodo verba ἔπεμψαν

τοῖς ἐπ' Αὐλῶνος accipiamus? An forte sic: „equites, quum iam Cinadonem prehensum esse, comitatumque se ad reditum convertisse coniicerent, *obviam* miserunt"? Egregie eiusmodi aliquid hic conveniret, sed ex verbis traditis nullo modo potest elici.

Caput IV, 2. Lysander cum Agesilao in Asiam proficisci cupiebat *ὅπως τὰς δεκαρχίας τὰς κατασταθείσας ὑπ' ἐκείνου ἐν ταῖς πόλεσιν, ἐκπεπτωκυίας δὲ διὰ τοὺς ἐφόρους .... πάλιν καταστήσειε.* Pronomen *ἐκεῖνος* saepius sic ad subiectum sententiae principalis referendum est, ubi aliud quid ei est oppositum. Utilis ea observatio esse potest ad alium locum recte intelligendum, qui vulgo, ut videtur, perverse accipitur. Libro IV, 1, 40 hoc legitur: „quum filius Pharnabazi ex Parapita in exilium pulsus esset, Agesilaus *τά τ' ἄλλα ἐπεμελεῖτο αὐτοῦ καὶ ἐρασθέντος αὐτοῦ τοῦ Εὐάλκους υἱέος 'Αθηναίου, πάντ' ἐποίησεν ὅπως ἂν δι' ἐκεῖνον ἐγκριθείη τὸ στάδιον ἐν 'Ολυμπίᾳ, μέγιστος ὢν τῶν παίδων.*" Filius ille Eualcis maior natu erat quam ut ex lege in puerorum certamen descendere ei liceret: operam ergo dedit Agesilaus, ut sua (Agesilai) causa admitteretur. Absurdum videtur agonothetas eum Pharnabazi filii causa admisisse: tamen sic plerique hunc locum interpretantur. Cf. V, 2, 13: *οἱ 'Ολύμπιοι προεῖπον ἡμῖν ὅτι εἰ μὴ παρεσόμεθα συστρατευσόμενοι ἐκεῖνοι ἐφ' ἡμᾶς ἴοιεν.*

ib. Quum se Agesilaus ad expeditionem paratum esse professus esset *διδόασί τε οἱ Λακεδαιμόνιοι ὅσαπερ ᾔτησε καὶ ἑξαμήνου σῖτον.* Vocabulum *ὅσαπερ* referendum est ad militum numerum, de quo in praecedentibus agitur. Particula ergo *τε* post *ὅσαπερ* ponenda est.

IV, 4. Pauca emblemata vidi absurdiora quam quod hic deprehenditur. Agesilaus a Boeotarchis prohibitus rem divinam Aulide facere *ἐπιμαρτυράμενος τοὺς θεοὺς καὶ ὀργιζόμενος .... ἀπέπλει.* Quis enim unquam nisi *iratus* deos obtestatur?

Minus absurdum sed aeque molestum est quod sequitur: *συλλέξας ἐκεῖ ὅσον ἐδύνατο τοῦ στρατεύματος π λ ε ῖ σ τ ο ν.*

IV, 5. Ubi Agesilaus dixit se liberas esse velle Graecas Asiae urbes, Tissaphernes „si inducias" inquit „mecum feceris ut de ea re ad Regem mittere possim, puto id impetraturum te esse". Sequuntur haec: *'Αλλὰ βουλοίμην ἄν, ἔφη* (Agesilaus nimirum), *εἰ οἰοίμην γε μὴ ὑπὸ σοῦ ἐξαπατᾶσθαι, ἀλλ' ἔξεστιν ἔφη σοι τούτων πίστιν λαβεῖν ἦ μὴν ἀδόλως σοῦ πράττοντος ταῦτα ἡμᾶς μηδὲν τῆς σῆς ἀρχῆς ἀδικήσειν ἐν ταῖς σπονδαῖς.* Lacunosum hunc locum esse manifestum est. Quum enim de *Tissaphernis* fide dubitetur, fieri non potest, quin ille prior iurisiurandi mentionem iniecerit, seque iurare velle sit professus. Non tamen Dindorfius Xenophontis manum restituisse videtur post *πίστιν* inserendo *δόντα καὶ παρ' ἐμοῦ πίστιν.* Ipsa enim rei natura fert, ut quum alicui dixeris, te ei fidem non habere, ille exclamet „iuro" vel „iusiurandum dare paratus sum". Lacuna ita explenda totusque locus inter Agesilaum et Tissaphernem distribuendus videtur: *'Αλλὰ βουλοίμην ἄν, ἔφη* (Ag.), *εἰ μὴ οἰοίμην γε ὑπὸ σοῦ ἐξαπατᾶσθαι. 'Αλλ' ἔξεστιν, ἔφη* (T.), *σοὶ τούτων πίστιν λαβεῖν ἦ μὴν ἀδόλως ἐ μ ὲ τ α ῦ τ α π ρ ά ξ ε ι ν. Κ α ὶ σ ο ὶ δ ὲ, ἔ φ η,* (Ag.) *ἔ ξ ε σ τ ι π α ρ' ἐ μ ο ῦ π ί σ τ ι ν λ α β ε ῖ ν ἦ μ ὴ ν ἀ δ ό λ ω ς σοῦ πράττοντος ταῦτα ἡμᾶς μηδὲν τῆς σῆς ἀρχῆς ἀδικήσειν ἐν ταῖς σπονδαῖς.* Eorundem vocabulorum repetitionem egregie huic colloquio convenire, eandem tamen et corruptelae causam exstitisse neminem negaturum opinor.

IV, 6. *ἐπέμενε ταῖς σπονδαῖς.* Cum Schneidero legendum *ἐνέμενε τ. σ.*

IV, 9. Lysander ita Agesilaum alloquitur: *μειοῦν ἄρα σύ γε τοὺς φίλους ἠπίστω.* Respondet ille: *ναὶ μὰ Δία τούς γε βουλομένους ἐμοῦ μείζους φαίνεσθαι· τοὺς δέ γε αὔξοντας εἰ μὴ ἐπισταίμην ἀντιτιμᾶν αἰσχυνοίμην ἄν.* In iurgio, ubi alter alte-

rum redarguit, egregie in responsi *initio* particulae *δέ γε* ponuntur. Hic autem Agesilaus suum ipse responsum in duas partes dividit, quarum alteram alteri opponit: minus ergo recte secunda sententia sic incipit *τοὺς δέ γε*, ubi simplex *δέ* magis esset consentaneum. Accedit quod verbum *αὔξοντας* obiecto carere non potest. Equidem igitur sic scribam potius: *τοὺς δ' ἐμὲ αὔξοντας*. Lenissima sane ea est emendatio.

IV, 12. *τῷ ὄντι νομίσας* significare videtur Tissaphernem ad illam opinionem gravibus idoneisque argumentis esse adductum.

IV, 13. Agesilai equites ad collem quendam contendebant. *κατὰ τύχην δέ τινα καὶ οἱ τοῦ Φαρναβάζου ἱππεῖς οἱ περὶ Ῥατίνην καὶ Βαγαῖον τὸν νόθον ἀδελφόν, ὄντες παρόμοιοι τοῖς Ἕλλησι τὸν ἀριθμόν, ἤλαυνον καὶ οὗτοι ἐπὶ τὸν αὐτὸν τοῦτον λόφον.* Vel locus, ubi *καὶ οὗτοι* positum est, pro eo legendum esse *καὶ αὐτοί* demonstrat.

IV, 15. Agesilaus equites deligit ex iis, qui plurimum valeant opibus, sed edicit *ὅστις παρέχοιτο ἵππον καὶ ὅπλα καὶ ἄνδρα δόκιμον, ὅτι ἐξέσται αὐτῷ μὴ στρατεύεσθαι.* Notabilis usus est adiectivi *δόκιμος*, quod hic prorsus idem significat ac *δεδοκιμασμένος*.

IV, 26. Ab Agesilaö impetrat Tithraustes, ut donec Sparta nuntius venerit quid de pace cum Rege facienda videatur, cum exercitu in Pharnabazi migret regionem; sed hanc facit conditionem Agesilaus: *ἕως ἂν τοίνυν ἐκεῖσε πορεύωμαι δὸς τῇ στρατιᾷ τὰ ἐπιτήδεια.* Sequitur: *ἐκείνῳ μὲν δὴ ὁ Τιθραύστης δίδωσι τριάκοντα τάλαντα.* Displicet *ἐμφατικόν* istud *ἐκείνῳ*, pro quo adverbium temporis (e. gr. *τότε*) quivis exspectet.

Caput V, 2. Quae hic narrantur ipsa nocte obscuriora sunt; neque solum corrupta sunt ista *νομίζοντές τε αὐτῶν ἄρχεσθαι*, quae a multis iam tentata sunt sed desperata videntur, verum etiam in sequentibus difficultas quaedam

est, quam equidem tollere non possum. Cognovimus enim ex capitis initio Timocratem Rhodium a Tithrauste missum cum magna pecunia in Graeciam venisse, quam civitatum principibus daret ea conditione ut bellum contra Spartanos moverent. Ille ergo his viris pecuniam dat: Androclidae, Ismeniae, Galaxidoro *Thebanis*, Timocrati et Polyanthi *Corinthiis*, Cyloni *Argivo*. *Athenienses* quoque, quamquam nihil acceperant, tamen ad bellum erant parati. *οἱ μὲν δὴ δεξάμενοι τὰ χρήματα πρὸς τὰς οἰκείας πόλεις διέβαλλον τοὺς Λακεδαιμονίους· ἐπεὶ δὲ ταύτας εἰς μῖσος αὐτῶν προήγαγον, συνίστασαν καὶ τὰς μεγίστας πόλεις πρὸς ἀλλήλας.* Quae illae sint *μέγισται πόλεις* nemo dicere possit. Vidimus enim Thebanos, Corinthios, Argivos a subornatis illis viris ad bellum cum Spartanis propensos factos esse, Athenienses sponte ad bellum inclinare. Quae ergo, non dico *maximae*, sed omnino *magnae* civitates restant? Et si vocabulis *τὰς μεγίστας πόλεις* ipsae illae civitates, quae supra enumeratae sunt, significantur, qui possunt sibimetipsis *opponi*? Ea enim vis est coniunctionis *καί* quae praecedit. Videndum sitne delendum adiectivum *μεγίστας*, ut e verbis *ἐπεὶ δὲ — ἀλλήλας* haec evadat sententia: primum in *singulis* urbibus odia in Spartanos excitarunt: deinde *etiam* operam dederunt, ut eas *omnes* societate inter se iungerent. Sed scrupulum iniiciunt haec verba e IV, 2, 1: *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἐπεὶ σαφῶς ᾔσθοντο τά τε χρήματα ἐληλυθότα εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ τὰς μεγίστας πόλεις ξυνεστηκυίας ἐπὶ πολέμῳ πρὸς ἑαυτούς.*

V, 5. Inter causas, cur lubenter occasione uterentur Spartani expeditionis in Thebanos suscipiendae, enumerantur et haec: „*ἀνεμιμνήσκοντο δὲ καὶ ὡς θύειν τε ἐν Αὐλίδι τὸν Ἀγησίλαον οὐκ εἴων καὶ τὰ τεθυμένα ἱερὰ ὡς ἔρριψαν ἀπὸ τοῦ βωμοῦ καὶ ὅτι οὐδὲ εἰς τὴν Ἀσίαν ξυνεστράτευον Ἀγησιλάῳ.*" Leve videri possit quod mihi in his verbis displiceat, sed ubi id

agitur, ut orationis elegentia restituatur, ne levissima quidem contemnenda sunt. Si enim accurate de hoc loco deliberabis, apparebit non *tres* verum *duas* causas afferri Spartanorum in Thebanos odii: quarum altera est, quod prohibuerunt quominus Agesilaus Aulide rem divinam faceret, altera quod eum in Asiam non sunt secuti. Prior autem in duas partes dividitur: 1. Rem divinam facere eum vetarunt. 2. Quum tamen coepisset eius sacra de ara deiecerunt. Hanc sibi distributionem proposuisse Xenophontem e particulis τε — καί, quibus illae partes, de quibus dicebam, inter se iunctae sunt, manifestum fit. Coniunctione ergo ὡς, quae verbum ἔρριψαν praecedit, sententiae structura turbatur; quapropter illam eiiciendam censeo.

V, 19. Observatione digna est brevitas Laconica, qua saepe in narrandis proeliis nobilissimorum virorum mortem tradit Xenophon. Hic enim Lysandrum summum illum ducem, qui ad illud fastigium patriam suam eduxisset, cecidisse narratur una sententia paucorum vocabulorum, illaque et ipsa in alia sententia tamquam recondita est. Tam a rhetoricis flosculis inanibusque ornamentis remotus est Xenophon. Haec enim de illa re eius verba sunt: ἐπεὶ δὲ ἀποθανόντος Λυσάνδρου ἔφευγον οἱ ἄλλοι πρὸς τὸ ὄρος, ἐδίωκον ἐρρωμένως οἱ Θηβαῖοι. Et quoniam utilissimum esse credo earum rerum, quae scriptori propriae sunt, quam plurima in promptu habere exempla, locos quosdam addam huic de Lysandro simillimos.

A. Callicratides, praestantissimus Spartanorum dux, quin Xenophonti prae ceteris fuerit acceptus non est quod dubitemus. Ea enim viri virtus fuit ut, admonitus certam sibi instare perniciem, nisi a proposito proelio desisteret, responderet οὐ παρ' ἕνα ἄνδρα ἁ Σπάρτα, cuius egregii dicti Xenophon quoque servavit memoriam; ea autem sapientia, ut perspiceret Atheniensium cum Spartanis certamina eo tan-

tum ducere, ut utrique Barbarorum regi fierent obnoxii, profitereturque se domum reducem operam daturum esse, ut quam primum pax fieret. Atque illam quidem sententiam de Atheniensium cum Spartanis bello egregie Xenophonti placuisse constat: erat enim Xenophon illorum virorum, qui idem censerent, quod priscus ille Cimon Miltiadis filius: non hostes sed socios esse oportere Athenienses et Spartanos, fidelique concordia *τὸν βάρβαρον* repellere contraque eum Graecorum libertatem vindicare, luculenterque eam sententiam defendit oratione, quam Procli Phliasio tribuit (VI, 5, 38 sqq.). Callicratidae tamen, viri tam sibi propter virtutem sapientiamque probati, mortem sic proelii ad Arginusas descriptioni inserit: *ἐπεὶ δὲ Καλλικρατίδας τε ἐμβαλούσης τῆς νεὼς ἀποπεσὼν εἰς τὴν θάλατταν ἠφανίσθη, Πρωτόμαχός τε καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ τῷ δεξιῷ τὸ εὐώνυμον ἐνίκησαν, ἐντεῦθεν φυγὴ τῶν Πελοποννησίων ἐγένετο.*

B. Quam gravis fuerit clades, quam apud Leuctra acceperunt Spartani, nemini magis notum est quam Xenophonti, nemoque accuratius depingit, quam inde ab illo proelio fractae fuerint Spartanorum vires. In eo tamen proelio ipsum Spartanorum regem cecidisse vix commemorat: eam rem lectori *ἀπὸ τοῦ σεσιωπημένου* intelligendam relinquit. Ita enim narrat (VI, 4, 13): *ἐπεὶ δὲ ἤρξατο ἄγειν ὁ Κλεόμβροτος πρὸς τοὺς πολεμίους, πρῶτον μὲν πρὶν καὶ αἰσθέσθαι τὸ μετ' αὐτὸν στράτευμα ὅτι ἡγοῖτο, καὶ δὴ καὶ οἱ ἱππεῖς συνεβεβλήκεσαν καὶ ταχὺ ἥττηντο οἱ τῶν Λακεδαιμονίων· φεύγοντες δὲ ἐνεπεπτώκεσαν τοῖς ἑαυτῶν ὁπλίταις, ἔτι δὲ ἐνέβαλλον οἱ τῶν Θηβαίων λόχοι. ὅμως δὲ ὡς οἱ περὶ τὸν Κλεόμβροτον τὸ πρῶτον ἐκράτουν τῇ μάχῃ σαφεῖ τούτῳ τεκμηρίῳ γνοίη τις ἄν· οὐ γὰρ ἂν ἐδύναντο αὐτὸν ἀνελέσθαι καὶ ζῶντα ἀπενεγκεῖν, εἰ μὴ οἱ πρὸ αὐτοῦ μαχόμενοι ἐπεκράτουν ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ.* Aptissimus tamen hic locus erat, in quo exornando scriptor, a fuco rhetorico minus quam Xenophon

alienus, lubentissime versaretur. Haud enim dubium est, quin Cleombrotus aut errores, quos multos commiserat, fortissime pugnando compensare sit conatus, aut sua culpa Spartanorum rem periisse intelligens voluntariae morti occubuerit.

C. Saepe multi indignabundi conquesti sunt, quod Xenophon de Epaminonda aut prorsus taceret aut saltem quam rarissime eius mentionem faceret, graveque inde cupiditatis crimen in eum conflarunt. Iniquum hoc esse iudicium mihi constat. Nam non invidia odiove factum esse, ut nomen Epaminondae tam paucis Hellenicorum locis legatur, sed libri indolem propositumque eius rei esse causam, manifestum fit ex hoc loco, ubi egregia singularisque laus prudentissimi fortissimique ducis ei tribuitur (VII, 5, 3): *ὅσα μέντοι προνοίας ἔργα καὶ τόλμης ἐστὶν οὐδέν μοι δοκεῖ ἀνὴρ ἐλλιπεῖν.* Tamen ita de eius morte loquitur, quasi *ἐν Καρὶ ὁ κίνδυνος* fuisset (VII, 5, 25): *τὴν μὲν δὴ συμβολὴν οὕτως ἐποιήσατο καὶ οὐκ ἐψεύσθη τῆς ἐλπίδος· κρατήσας γὰρ ᾗ προσέβαλεν ὅλον ἐποίησε φεύγειν τὸ τῶν ἐναντίων· ἐπεί γε μὴν ἐκεῖνος ἔπεσεν, οἱ λοιποὶ οὐδὲ τῇ νίκῃ ὀρθῶς ἔτι ἐδυνάσθησαν χρήσασθαι.*

D. Minus certe nobilis quam ii, de quibus supra dixi, Mnasippus est dux Spartanus, de quo legimus VI, 2, 5 sqq. Haud enim leniter viri incuria superbiaque, qua in oppugnanda Corcyra usus est exagitatur. Admirationem tamen movet brevitas, qua eius interitus traditur. Postquam enim narratum est Corcyraeos ex urbe erupisse et in hostem fecisse impetum, ita finis narrationi imponitur: *τέλος δὲ οἱ πολέμιοι ἄθροοι γενόμενοι πάντες ἐπετίθεντο τοῖς περὶ* Μνάσιππον, *ἤδη μάλα ὀλίγοις οὖσι. καὶ οἱ πολῖται ὁρῶντες τὸ γιγνόμενον ἐπεξῄσαν· ἐπεὶ δ' ἐκεῖνον ἀπέκτειναν, ἐδίωκον ἤδη ἅπαντες.* Conferri possunt quae de Cleombroto dicebam.

E. Nemo ducum, qui in Anabasi commemorantur, carior Xenophonti fuit quam Chirisophus: semel tantummodo per totam expeditionem inter illos aliquis fuit dissensus, isque de causa non admodum gravi. Legimus enim (IV, 6, 3): *τοῦτό γε δὴ Χειρισόφῳ καὶ Ξενοφῶντι μόνον διάφορον ἐν τῇ πορείᾳ ἐγένετο, ἡ τοῦ ἡγεμόνος κάκωσις καὶ ἀμέλεια.* Praeterea uno Xenophonte excepto primariae in Anabasi sunt Chirisophi partes. Is autem non in proelio cecidit, sed multo tristiori occubuit morti. Vide quam *λακωνιστί* de ea re loquatur Xenophon (VI, 4, 11): *καὶ Χειρίσοφος μὲν ἤδη ἐτετελευτήκει φάρμακον πιὼν πυρέττων.*

Ne quid autem huic desit disputationi hoc addo, in duorum tantum ducum describenda morte paulo esse verbosiorem Xenophontem. Quorum alter est Phoebidas, qui quomodo in oppugnanda Olyntho ceciderit satis accurate enarratur, vel potius quod fuerit genus proelii fusius exponitur: nam ipsius ducis interitus solemnibus, fere dicam, verbis traditur: *καὶ ὁ μὲν δὴ Φοιβίδας καὶ δύο ἢ τρεῖς μετ' αὐτοῦ μαχόμενοι ἀπέθανον.* Alter est Teleutias, quem V, 3, 3 sqq. legimus, saepius parte militum in Olynthios immissa, illisque fugatis, tandem omnibus copiis in hostes irruisse ipsumque cum exercitu interiisse. Ubi, quamquam recurrunt Laconica illa *καὶ ὁ μὲν Τελευτίας ἐνταῦθα μαχόμενος ἀποθνήσκει,* tamen negari non potest, multo magis perspicue quam alibi demonstrari, qui factum sit, ut dux ille caderet. Noli tamen putare Lector! eo quoque manifestum fieri ceteris omnibus Teleutiam Xenophonti fuisse cariorem: non nego egregie probatum Xenophonti Teleutiam fuisse; id autem significat oratione quam ei tribuit V, 1, 14 sqq., quae comparanda est cum Callicratidae verbis, quae supra attuli, non significat narratione de eius in proelio morte. Quod enim illam paulo fecit longiorem, ex ea re explicandum est, quod utilem illam opinaba-

tur ad praeceptum quoddam tradendum philosophicum et militare: *ἀτὰρ ἀντιπάλοις γε τὸ μετ' ὀργῆς ἀλλὰ μὴ γνώμῃ προσφέρεσθαι ὅλον ἁμάρτημα.*

LIBER IV.

Caput I, 2. Emendationem ad hunc locum proponam satis lepidam et, ut mihi quidem persuadeo, admodum certam. Narrantur haec: quum Agesilaus autumni tempore in Phrygiam, cui Pharnabazus praeerat, venisset, agros vastabat; urbium alias vi cepit, alias in deditionem accepit. Tum sequitur: *λέγοντος δὲ τοῦ Σπιθριδάτου ὡς εἰ ἔλθοι πρὸς τὴν Παφλαγονίαν σὺν αὐτῷ, τὸν τῶν Παφλαγόνων βασιλέα καὶ εἰς λόγους ἄξοι καὶ ξύμμαχον ποιήσοι.* Miraberis fortasse, Lector, mihi quidquam in verbis citatis displicere: duo tamen vitia insunt, quae neqüe defendi neque excusari possunt, et lenissima correctione tolluntur. Primum absurdum est Spithridatem dicere, se si Agesilaus *σὺν αὐτῷ* in Paphlagoniam venerit, eius regionis regem ei socium facturum. Spithridates enim, *φυγὰς ἀνήρ*, Agesilaum usquequaque sequitur: legimus (III, 4, 10) eum a Lysandro ab Hellesponto Ephesum ad Agesilaum ductum esse; nunc cum Agesilao in Phrygia est, in eius est consilio, neque ab eo usquam discedit. Sive ergo in Phrygiam, sive alio profecturus est Agesilaus, eum comitabitur, consiliorum particeps, proeliorumque socius. Inepte igitur prorsusque inutiliter verbo *ἔλθοι* vocabula *σὺν αὐτῷ* adduntur. Deinde Spithridates non dixit: „Paphlagoniae regem amicum reddam", sed: „Paphlagoniae regem *tibi* amicum reddam". Ergo in oratione indirecta dicendum est: *ἔλεγεν ὅτι αὐτῷ τὸν τῶν Παφλαγόνων βασιλέα ξύμμαχον ποιήσοι.*

Sed videamus ceteram narrationem: ἐπεὶ δὲ ἀφίκετο εἰς τὴν Παφλαγονίαν, ἦλθεν Ὄτυς καὶ ξυμμαχίαν ἐποιήσατο. Quis ille Otys sit facile quidem est ad intelligendum: societatem enim cum Agesilao facit: suspiceris ergo eundem esse, quem se Agesilai socium facturum promiserat Spithridates; magnum exercitum ad Agesilaum duxit: probabile eo fit eum illius regionis principem esse. Sed quis, quaeso, unquam ita narravit: „promisit Agesilao Spithridates se, si in Paphlagoniam profectus esset, Paphlagoniae regem ei socium facturum. Quum autem in Paphlagoniam venisset Agesilaus, Otys aderat et societatem iunxit"? Iam quid legendum sit, nemo non divinare potest. Nempe: ὡς εἰ ἔλθοι πρὸς (alii εἰς) τὴν Παφλαγονίαν, Ὄτυν αὐτῷ τὸν τῶν Παφλαγόνων βασιλέα.... ξύμμαχον ποιήσοι.

I, 12. Postquam Otys significavit se libenter Spithridatis filiam uxorem ducturum, legati mittuntur ad Spithridatem rogatum illine etiam eae nuptiae placeant. ἐπεὶ δὲ διέτριβον (legati), Βούλει, ἔφη (Agesilaus), ὦ Ὄτυ, καὶ ἡμεῖς δεῦρο καλέσωμεν αὐτόν; Duae hic res inter se opponuntur: legatos ad Spithridatem mittere, et ipsum Spithridatem arcessere. Quodsi Otyem rogasset Agesilaus ipsisne quoque ad Spithridatem esset eundum, ita dixisset: βούλει καὶ ἡμεῖς ἐκεῖσε ἴωμεν, recteque inter se essent oppositi legati et qui legatos miserunt. Nunc tamen iniuria pronomen ἡμεῖς additur, quo emphasis tollitur, quam vocabulum δεῦρο habere necesse est.

I, 15. Agesilaus, ubi vidit Otyem cupere quam primum Spithridatis filiam modo sibi desponsam secum habere, τριήρη πληρώσας καὶ Καλλίαν Λακεδαιμόνιον κελεύσας ἀπαγαγεῖν τὴν παῖδα, αὐτὸς ἐπὶ Δασκυλείου ἐπορεύετο. Filia illa, ut e III, 4, 10 cognovimus, Cyzici erat relicta: erat ergo ad Otyem *adducenda*, non *abducenda*. Quapropter et hic legendum est ἀγαγεῖν, quod supra (14) in Agesilai dicto: τὴν μέντοι παῖδα

οὐκ ἂν δυναίμεθα πρὸ ἦρος πεζῇ ἀγαγεῖν integrum mansit.

I, 18. Pharnabazus Graecorum copiis conspectis οὐκ ἐμέλλησεν ἀλλὰ προστησάμενος τὰ ἅρματα, αὐτὸς δὲ σὺν τοῖς ἱππεῦσιν ὄπισθεν γενόμενος, ἐκέλευσεν ἐλαύνειν εἰς αὐτούς. Ne quid sententiae structurae desit, post προστησάμενος inserenda est particula μέν.

I, 26. Herippidas cum nonnullis peditibus ex Agesilai exercitu, sociis sibi additis Spithridate et Paphlagonibus, castris Pharnabazi potitur et ingentem praedam facit. ἐπεὶ δὲ τὰ ληφθέντα ἀπήγαγον οἵ τε Παφλαγόνες καὶ ὁ Σπιθριδάτης, ὑποστήσας Ἡριππίδας ταξιάρχους καὶ λοχαγοὺς ἀφείλετο ἅπαντα. Ad verbum ὑποστήσας explicandum vulgo affertur narratio ex Anabasi (IV, 1, 14), quamquam ex illa narratione liquido apparet, hic illud verbum iniuria poni. Illic enim duces, portitorum instar ἐν στενῷ ὑποστάντες dum milites se dant in viam, inspiciunt ferantne secum aliquid τῶν ἀπορρήτων. Hic contra *praeda tota in medio iacet*, nihilque Paphlagones eius celarunt. Quid autem Herippidas facit? Taxiarchos et lochagos illam *custodire* iubet. Recte ergo iam Leonclavius vidit ἐπιστήσας esse legendum.

I, 27. Spithridates et Paphlagones iniuriam supra narratam graviter ferentes νυκτὸς συσκευασάμενοι ᾤχοντο ἀπιόντες εἰς Σάρδεις πρὸς Ἀριαῖον, πιστεύσαντες, ὅτι καὶ ὁ Ἀριαῖος ἀποστὰς βασιλέως ἐπολέμησεν αὐτῷ. Ne Graecum quidem est istud πιστεύσαντες sic absolute positum: dicendum enim erat: πιστεύσαντες τῷ Ἀριαίῳ (vel potius αὐτῷ, quia nomen Ariaei proxime praecedit) ὅτι καὶ αὐτὸς ἀποστὰς βασιλέως ἐπολέμησεν αὐτῷ. Sed omnino ineptissime totum illud πιστεύσαντες — ἐπολέμησεν αὐτῷ additur: quasi vero, quod Ariaeus olim cum Rege *bellum gessisset*, ideo cum copiis suis ad eum transiret. Credo sciolum aliquem illa verba adscripsisse, cui intempestive in mentem venisset Ariaeum olim in eadem causa versatum

fuisse, in qua nunc est Spithridates, id autem cum annotare vellet infelicissime esse elocutum. Hoc enim, ut opinor, homo in animo habebat: *ὅτι καὶ Ἀριαῖος πολεμήσας βασιλεῖ αὖθις φίλος καὶ πιστὸς ἐγένετο.* Revera tamen ad Ariaeum transiit Spithridates, quod Pharnabazum nimium oderat, nullae autem Regis copiae propius aberant, quam eae, quibus praeerat Ariaeus.

I, 29. Apollophanes Cyzicenus, simul et Pharnabazi hospes et Agesilai, huic dicit se posse Pharnabazum ad colloquium de pace habendum adducere. *ὡς δὲ ἤκουσεν αὐτοῦ, σπονδὰς λαβὼν καὶ δεξιὰν παρῆν ἄγων τὸν Φαρνάβαζον εἰς συγκείμενον χωρίον.* Aliquid huic sententiae deesse suspicor. Verbis enim *σπονδὰς καὶ δεξιάν*, ut opinor, significatur fides per Apollophanem *Pharnabazo* data, iusqueiurandum nihil hostile passurum *Pharnabazum*, si ad Agesilaum venerit. Lacuna sic supplenda videtur: *σπονδὰς λαβὼν καὶ δεξιὰν (ἀπῆλθε καὶ οὐ πολλῷ ὕστερον) παρῆν ἄγων τὸν Φ.*

I, 30. Agesilaus cum trigintaviris suis Pharnabazum exspectat humi sedens in herba. Advenit Pharnabazus sumptuosa veste amictus. *ὑποτιθέντων δὲ αὐτῷ τῶν θεραπόντων ῥαπτά, ἐφ' ὧν καθίζουσιν οἱ Πέρσαι μαλακῶς, ᾐσχύνθη ἐντρυφῆσαι ὁρῶν τοῦ Ἀγησιλάου τὴν φαυλότητα.* Compositum *ἐντρυφῆσαι* hic minus apte positum videtur: id enim cum dativo iungi solet et significat: ex insolentia aliquem contumelia afficere. Nulla autem in eo fuisset contumelia, si adversus Agesilai simplicitatem barbarum fastum retinuisset Pharnabazus. Simplex ergo *τρυφῆσαι* restituendum videtur.

I, 34. Conquesto de iniuriis, quibus immeritus a Spartanis sit affectus, Pharnabazo ita respondet Agesilaus: *ἀλλ' οἶμαι μέν σε, ὦ Φαρνάβαζε, εἰδέναι ὅτι καὶ ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς πόλεσι ξένοι ἀλλήλοις γίγνονται ἄνθρωποι. οὗτοι δέ, ὅταν αἱ πόλεις πολέμιαι γένωνται, σὺν ταῖς πατρίσι καὶ τοῖς ἐξενωμένοις πολεμοῦσι*

καὶ ἐὰν οὕτω τύχωσιν, ἔστιν ὅτε καὶ ἀπέκτειναν ἀλλήλους. Solet quidem hoc sententiarum genus apud Xenophontem corruptum circumferri, e quo et haec est (VI, 3, 15): *ἀλλὰ μέντοι ὅτι μὲν πόλεμοι ἀεί ποτε γίγνονται καὶ ὅτι καταλύονται πάντες ἐπιστάμεθα, καὶ ὅτι ἡμεῖς, ἂν μὴ νῦν, ἀλλ' αὖθίς ποτε εἰρήνης ἐπιθυμήσομεν.* Haec tamen, quam Agesilao tribui videmus, e communi labe incolumis evasisse videtur. Coniectum quidem est pro *ἄνθρωποι*: *ἄνθρωποι*, et pro *οὗτοι δὲ*: *οἵ*, sed videtur ea coniectura sententia Xenophontis pessumdari. Hoc enim dicit: in *unaquaque* Graeca civitate *nonnulli* sunt homines, qui in alia civitate hospites habeant: illi tamen *omnes* coguntur interdum cum suis hospitibus bellum gerere. Receptis autem coniecturis quas dicebam, haec evadit sententia, vel potius absurditas: in Graecis civitatibus *omnes* homines (privatim) inter se hospites sunt; eorum autem *nonnulli*, si bellum fit, coguntur cum hospitibus pugnare. Ubi legendum sit *οὗτοι δέ*, ubi *οἵ*, optime videbis, si illum ex Anabasi (II, 5, 5) locum contuleris, quem sic scribendum esse supra demonstravi: *καὶ γὰρ οἶδα ἀνθρώπους ἤδη τοὺς μὲν ἐκ διαβολῆς τοὺς δὲ καὶ ἐξ ὑποψίας φοβηθέντας ἀλλήλους, οἳ φθάσαι βουλόμενοι πρὶν παθεῖν ἐποίησαν ἀνήκεστα κακὰ τοὺς οὔτε μέλλοντας οὔτε βουλομένους τοιοῦτον οὐδέν.* Necessario ibi sententia relativa requiritur, quia *non omnium* hominum falsae suspitiones tam funestum habent exitum; in Agesilai autem argumento a pronomine demonstrativo nova est incipienda sententia, quia bello orto, *omnes* cum *omnibus* hospitibus, qui in civitate hostili sunt, pugnare debent. Et quoniam semel in hac versor oratione, demonstrare volo, quam egregia utatur imagine Agesilaus. Si Sparta et Athenae e. gr. bellum gerunt Spartani hospites non possunt Atheniensibus hostibus parcere: nunc bellum est inter Graeciam (videri enim vult Agesilaus *totam* Graeciam Agamemnonis instar ad oppugnandos barbaros eduxisse) et Regem:

quamquam ergo Spartani privatim amici sunt Pharnabazi, tamen, quia unus is est e Regis satrapis, non possunt privatam suam amicitiam publicae causae anteponere.

I, 39. *ὁ ἐκ Παραπίτας υἱὸς αὐτοῦ* (Pharnabazi) *καλὸς ἔτι ὤν.* Ridiculum videtur istud *ἔτι*, sed unde natum sit non video.


Caput II, 7. In Chersonneso Agesilaus certamen instituit, quod antequam se in viam daret indixerat, inter duces copiarum a sociis Asiaticis missarum, mercenariorum, equitum, *ὅστις εὐιπποτάτην καὶ εὐοπλοτάτην τάξιν παρέχοιτο.* Praemia in eo certamine decreta non minus quam quatuor talentis constabant. *τοσούτων μέντοι ἀναλωθέντων, παμπόλλων χρημάτων ὅπλα εἰς τὴν στρατιὰν κατεσκευάσθη.* Verba *τοσούτων — κατεσκευάσθη* variis modis explicare conati sunt viri docti, sed nullus ex iis sensus satis aptus elici posse videtur. Levissima tamen emendatione ita corrigi possunt, ut sententiam praebeant rei narrationique accomodatam. Legendum enim est *κατεσκεύαστο* pro *κατεσκευάσθη*: „non tamen frustra ea expensa erat pecunia, sed simul hoc *erat effectum* ut magnae pecuniae arma exercitui pararentur". Etenim duces illi, laudis honorisque cupidi, sua pecunia copias suas armaverant.

II, 21. Quo magis fiant perspicua vocabula quaedam huiusce loci, dicenda nonnulla sunt de toto ad Nemeam proelio. Copiae ita erant dispositae:

Dexterum cornu				Sinistrum cornu.
Spartani	Tegeatae	ceteri Spartanorum socii		Achaei
Athenienses: sex phylae | quatuor phylae		Argivi	Corinthii	Thebani
Sinistrum cornu				Dexterum cornu.

Ubi manus conseruerunt, omnes Spartanorum socii ab

Atheniensium quatuor phylis ceterisque adversariis vincuntur et fugantur. Ipsi Spartani vero Atheniensium sex phylas, quarum acies minus longe sinistrorsum quam Spartanorum dextrorsum porrecta erat, circumdant vincuntque. Spartanorum ergo socios persequuntur Atheniensium illi, qui vicerant, eorumque socii, ipsi autem Spartani locum, quem Atheniensium sex phylae tenuerant, occupant, sed dextrorsum inflectuntur, itaque consistunt, quem admodum infra significabo, eoque versi quo sagittae figura indicat:



Redeuntes ergo a persecutione hostes a dextero latere aggredi possunt. Quae autem vocabula explicatione egere videntur sunt: *καὶ τὰς μὲν τέτταρας Φύλας τῶν Ἀθηναίων πρὶν ἐκ τῆς διώξεως ἐπαναχωρῆσαι παρῆλθον*, quorum *τὰς τέτταρας Φύλας παρῆλθον* significant: *locum ubi quatuor phylae steterant* praeterierant. Spartani enim, fugatis qui adversus steterant, suaque acie inflexa, statim eo versus contendere coeperunt quo sagittae figura versa est.

Caput III, 11. Clades a Spartanis in proelio navali apud Cnidum accepta sic Agesilao nuntiatur: *εἶναι μὲν γὰρ περὶ Κνίδον τὸν ἐπίπλουν ἀλλήλοις, Φαρνάβαζον δὲ ναύαρχον ὄντα σὺν ταῖς Φοινίσσαις εἶναι, Κόνωνα δὲ τὸ Ἑλληνικὸν ἔχοντα τετάχθαι ἔμπροσθεν αὐτοῦ*. Prius *εἶναι* sincerum videtur: habet enim praeteriti temporis significationem, alterum autem displicet, et propter ingratam repetitionem, et quia non recte ei op-

poni potest *τετάχθαι ἔμπροσθεν αὐτοῦ*. Quid tamen sit scribendum nescio: si traditum esset *ὄπισθεν* pro *εἶναι*, quisque, ut opinor, probaret.

III, 12. Narratio de proelio apud Cnidum sic continuatur: *ἀντιπαραταξαμένου δὲ τοῦ Πεισάνδρου καὶ πολὺ ἐλαττόνων αὐτῷ τῶν νεῶν Φανεισῶν τῶν αὐτοῦ τοῦ μετὰ Κόνωνος Ἑλληνικοῦ* .... Haec ita demum probari poterunt, si istud *καὶ — Φανεισῶν* pendebit a praecedenti participio *ἀντιπαραταξαμένου*, ut Pisander dicatur aciem instruxisse, *quamquam* videret suas naves multo quam Cononis esse pauciores. Reliqua sententia sic decurrit: *τοὺς μὲν ἀπὸ τοῦ εὐωνύμου συμμάχους εὐθὺς αὐτῷ Φεύγειν αὐτὸν δὲ συμμίξαντα τοῖς πολεμίοις ἐμβολὰς ἐχούσῃ τῇ τριήρει πρὸς τὴν γῆν ἐξωσθῆναι*. Narrationem claudicare quivis videt, sed se videre interpretes nonnulli dissimulant, qui ne hunc locum se non intelligere ingenue faterentur, explicationum, quotquot sunt vel fuerunt, longe ineptissimam excogitarunt. Persuaserunt enim sibi verba *ἐμβολὰς ἐχούσῃ τῇ τριήρει* significare: „triremi quae vulnera acceperat". Lycophronem, vel alium ineptum poetam Alexandrinum, obscuritatis avidum, ita loqui decet, ut vocabulis eum sensum praebeat, quem ex rerum natura habere non possunt. Xenophon si de *ἐμβολαῖς* loquitur, dubium non est quin *rostra* navium intelligat praeacuta, quibus hostium naves demergantur. Quid autem quivis exspectet Pisandrum nave sua rostrata fecisse? Nempe, si ceteram narrationem spectamus, *adhaesisse* navi hostili, solvi non potuisse, atque ita ceteris fugientibus a classe hostium circumventum et occisum esse. Probabile ergo videtur excidisse quaedam, lacunamque sic fere esse explendam: *αὐτὸν δὲ συμμίξαντα τοῖς πολεμίοις ἐμβολὰς ἐχούσῃ τῇ τριήρει (πολεμίᾳ νηὶ συμπλακῆναι, τὰς δ᾽ ἄλλας τριήρεις) πρὸς τὴν γῆν ἐξωσθῆναι*. In narrationis fine: *καὶ τοὺς μὲν ἄλλους, ὅσοι εἰς τὴν γῆν ἐξεώσθησαν, ἀπολιπόντας τὰς ναῦς*

σώζεσθαι ὅπῃ δύναιντο εἰς τὴν Κνίδον, verba *ὅσοι εἰς τὴν γῆν ἐξεώσθησαν* explicandi gratia aut a Xenophonte aut a grammatico sunt addita, significanturque iis *omnes* qui aliquantisper Pisandri in proelio socii fuerunt: opponuntur enim *τοῖς ἀπὸ τοῦ εὐωνύμου συμμάχοις*, qui *εὐθὺς φεύγειν* dicuntur: hi autem non in terram expulsi esse videntur, sed salvi in Cnidi portum pervenisse, si quidem ita narrat Diodorus Siculus (XIV, 83): *οἱ δὲ περὶ τὸν Κόνωνα μέχρι τῆς γῆς καταδιώξαντες τοὺς Λακεδαιμονίους πεντήκοντα μὲν τριήρων ἐκυρίευσαν, τῶν δ' ἀνδρῶν οἱ πλεῖστοι μὲν ἐκκολυμβήσαντες κατὰ γῆν ἔφυγον, ἑάλωσαν δὲ περὶ πεντακοσίους· αἱ δὲ λοιπαὶ τριήρεις εἰς Κνίδον διεσώθησαν.*

III, 13. Agesilaus nuntio de clade accepto primum graviter ferebat. *ἐπεὶ μέντοι ἐνεθυμήθη ὅτι τοῦ στρατεύματος τὸ πλεῖστον εἴη αὐτῷ οἷον ἀγαθῶν μὲν γιγνομένων ἡδέως μετέχειν, εἰ δέ τι χαλεπὸν ὁρῷεν, οὐκ ἀνάγκην εἶναι κοινωνεῖν αὐτοῖς κτἑ.* Si quid unquam corruptum fuit, haec corrupta sunt: quum enim infinitivus praecedat ab *οἷον* pendens (*μετέχειν*), nunc interiectis vocabulis *εἰ δέ τι χαλεπὸν ὁρῷεν*, quae accurate opponuntur vocabulis ad praecedentem illum infinitivum pertinentibus *ἀγαθῶν μὲν γιγνομένων*, altero infinitivo cum illo *οἷον* coniuncto carere minime possumus. Etenim si putemus inde a *εἰ δέ τι* structuram inchoatam interrumpi, credendum quoque sit verbum *κοινωνεῖν* hic sensum accipere *τοῦ μεταδιδόναι*, quod quamvis sit absurdum, tamen olim nonnulli sibi persuasisse videntur: in quibusdam enim codibus pro *ὁρῷεν* legitur *ὁρῴη*. Xenophontem sic fere scripsisse censeo: *εἰ δέ τι χαλεπὸν ὁρῷεν οὐκ ἀνάγκην ἡ γ ε ῖ σ θ α ι εἶναι κοινωνεῖν α ὐ τ ο ῦ* (vel *αὐτῶν*).

III, 13. Hoc ergo quum reputasset Agesilaus *ἐκ τούτου μεταβαλὼν ἔλεγεν, ὡς ἀγγέλλοιτο ὁ μὲν Πείσανδρος τετελευτηκώς, νικῴη δὲ τῇ ναυμαχίᾳ.* Quid sit *μεταβαλών* lectis multis mul-

torum interpretationibus iuxta cum ignarissimis ignoro. Requiritur fere: „vultum componens, tristitiamque celans". Sed pro νικῴη necessario scribendum est νικῶν: non enim Xenophon talis scriptor est, qui ubi paratissimum est solitam perspicuamque locutionem ponere, eaque illa parte sententiae, quam iam scripsit, sponte suggeritur, se multum torqueat, ut nescio quam anacolythiam ex eo genere, quo referta sunt hodierna de grammatica philosophemata, admirantibus lectoribus proponere possit. Et utrum ex ductibus literarum, quos codices praebent efficiendum sit νικῴη an νικῶν penes nos esse opinor.

III, 14. Agesilai mendacium laetitia fiduciaque implet milites, ὥστε ἀκροβολισμοῦ ὄντος πρὸς τοὺς πολεμίους ἐκράτησαν οἱ τοῦ Ἀγησιλάου τῷ λόγῳ, ὡς Λακεδαιμονίων νικώντων τῇ ναυμαχίᾳ. Admodum vereor ut τῷ λόγῳ sic positum vim habere possit Latini „ablativi causae". An credis vel Latine dici posse: „Agesilai milites vicerunt mendacio de victoria navali a Spartanis reportata"? Erat autem quum putarem excidisse aliquod participium, v. c. πιστεύοντες. Sed quo magis verba τῷ λόγῳ, ὡς Λακεδαιμονίων νικώντων τῇ ναυμαχίᾳ adspicio, eo mihi ieiuniora et ineptiora videntur, augeturque suspicio ea a male sedulo lectore olim explicandi causa apposita fuisse.

III, 17. ὡς δὲ τριῶν ἔτι πλέθρων ἐν μέσῳ ὄντων ἀντεξέδραμον ἀπὸ τῆς Ἀγησιλάου φάλαγγος ὧν Ἡριππίδας ἐξενάγει καὶ σὺν αὐτοῖς Ἴωνες καὶ Αἰολεῖς καὶ Ἑλλησπόντιοι καὶ πάντες οὗτοι τῶν συνεκδραμόντων τε ἐγένοντο καὶ εἰς δόρυ ἀφικόμενοι ἔτρεψαν τὸ καθ' αὑτούς. Rectissime Breitenbachius verba καὶ πάντες οὗτοι τῶν συνεκδραμόντων τε ἐγένοντο καί eiecit. Opponi quidem illi rationi possit, ea in Agesilao quoque legi, sed parum firmum illud argumentum est. In Agesilao enim sic posita sunt: ὡς δὲ τριῶν ἔτι πλέθρων ἐν μέσῳ ὄντων ἀντεξέδραμον ἀπὸ τῆς Ἀγησι-

λάου φάλαγγος ὧν Ἡριππίδας ἐξενάγει· ἦσαν δὲ οὗτοι τῶν τε ἐξ οἴκου αὐτῷ συστρατευσαμένων καὶ τῶν Κυρείων τινές, καὶ Ἴωνες δὲ καὶ Αἰολεῖς καὶ Ἑλλησπόντιοι ἐχόμενοι καὶ πάντες οὗτοι τῶν συνεκδραμόντων τε ἐγένοντο καὶ εἰς δόρυ ἀφικόμενοι ἐτρέψαντο τὸ καθ' ἑαυτούς. Quamquam autem absurda sunt, quae falsarius tradit de Herippidae copiis, tamen manifestum est apud eum verbis καὶ πάντες-ἐγένοντο neque narrationem neque sententiae structuram conturbari. Eiecto autem e vero Xenophonte isto emblemate perspicuum fit quam puerilibus artificiis rhetoris discipulus, cui Agesilaum debemus, verba quae describebat mutare et ornare conatus sit.

III, 20. Affertur Agesilao nuntius hostium aliquot ad templum confugisse. ὁ δὲ καίπερ πολλὰ τραύματα ἔχων ὅμως οὐκ ἐπελάθετο τοῦ θείου ἀλλ' ἐᾶν τε ἀπιέναι ᾗ βούλοιντο ἐκέλευε καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴα. Admodum invenusta est tam brevi intervallo verbi ἐᾶν repetitio, quam in Agesilao libro aequius quam in Hellenicis fero. Quidni Xenophontem ἀλλ' ἀφιέναι ᾗ βούλοιντο ἐκέλευε scripsisse censeamus?

III, 23. Hostes de superioribus locis Agesilai agmini molestias exhibent: milites Spartani ergo ἐπεχείρησαν μὲν καὶ πρὸς τὸ σιμὸν διώκειν· ἐπεὶ δὲ σκότος τε ἐγένετο καὶ ἀποχωροῦντες οἱ μὲν διὰ τὴν δυσχωρίαν ἔπιπτον, οἱ δὲ καὶ διὰ τὸ μὴ προορᾶν τὰ ἔμπροσθεν, οἱ δὲ καὶ ὑπὸ τῶν βελῶν κτέ. Sententiarum copulatio οἱ μὲν .... οἱ δὲ καὶ .... οἱ δὲ καί perversa est, quod et Breitenbachius sensit: sed quod vir doctissimus vocabula οἱ δέ, quae post ἔπιπτον leguntur, delevit, et ita e tribus sententiae membris duo facit, hanc causam afferens: „asperitas viae non facit ut cadamus, si lux est, neque tenebrae si via est expedita", minus probo. Multi enim nocte vel per tenebras in iis viis titubant caduntque, quas nemo tamen δυσχώρους appellare velit. An δύσχωροι illae viae sunt, ubi sparsi iacent lapides aliave impedimenta? Non

opinor. Et si sententia in duo membra divisa est, alterum minus recte ab *οἱ δὲ καὶ* incipitur: additur enim illud *καὶ* ubi *series* quaedam est, i. e. ubi plus quam duo membra sunt. Equidem ergo potius *καὶ* deleverim, quod verba *διὰ τὸ μὴ προορᾶν* praecedit.


Ib. Multi ergo eorum qui hostem per montem persecuti erant in descendendo intereunt, *εἰ δὲ μὴ ἐβοήθησαν αὐτοῖς οἱ ἐκ τοῦ στρατοπέδου δειπνοῦντες, ἐκινδύνευσαν ἂν ἅπαντες ἀπολέσθαι.* Absurdum esse *δειπνοῦντες* sentio, neque probare possum quod explicandi causa affertur: „dum illi milites, qui in hostem impetum fecerant, viae molestia tenebrisque retardati, etiam descendere conabantur, ceteri omnes iam diu in castra advenerant coenamque paraverant": nam, nisi participio adverbium aliquod temporis, e. gr. *μεταξύ* vel *ἤδη*, additur, inter se iungenda sunt vocabula *οἱ* et *δειπνοῦντες*, verbisque *οἱ ἐκ τοῦ στρατοπέδου δειπνοῦντες pars* eorum, qui in castris erant, significatur. Aut ergo eiusmodi adverbium excidit, aut, quod probabilius videtur, *δειπνοῦντες* corruptum est.

Caput IV, 1. *ὁρῶντες δὲ οἱ Κορίνθιοι ἑαυτῶν μὲν καὶ τὴν χώραν δῃουμένην καὶ ἀποθνήσκοντας διὰ τὸ ἀεὶ τῶν πολεμίων ἐγγὺς εἶναι κτἑ.* Participium *ἀποθνήσκοντας* sic nude positum iam multis displicuit. Ergo alii *πολλούς*, alii *τινάς* post illud inserendum esse censuerunt. Sed aliud mihi vitium deprehendere videor, quod eadem, ut opinor, opera sanari potest. Verba *διὰ τὸ ἀεὶ τῶν πολεμίων ἐγγὺς εἶναι* recte dicta essent de copiis huc illuc castra mutantibus, sed ita, ut tamen semper prope terram hostilem manerent. Hic autem de urbe sermo est, terrae vel castris stativis hostium proxima: ridicule ergo vocabulum *ἀεί* additur. Nam ex ea urbe dici possunt multi cadere *διὰ τὸ ἀεὶ τοὺς πολεμίους ἐγγὺς εἶναι,* non *διὰ τὸ ἀεὶ τῶν πολεμίων ἐγγὺς εἶναι.* Suspicor ergo vocabulum *ἀεί* a sede sua aberrasse et ante *ἀποθνήσκοντας* ponen-

dum esse: ubi si collocatum erit, nescio an vocabulis πολλούς, τινάς, aliisve, quae nonnullis deesse visa sunt, carere possimus.

IV, 9—11. Quae de Corinthi oppugnatione narrantur obscurissima sunt, neque quidquam lucis affert Diodori Siculi narratio (XIV, 86). Quae autem verba prae ceteris molestiam mihi pariant paucis indicabo:

Corinthiorum οἱ Ἀργολίζοντες Argivos intra moenia recipiunt, adversariorum alios trucidant alios in exilium expellunt. Iam non Corinthus sed Argos urbs nominatur. Id graviter ferentes Spartanorum quidam amici, qui in urbe remanserant, Spartanorum auxilium implorant, eosque introducunt intra moenia, quae urbem cum Lechaeo portu iungunt. Quo autem modo ab eo tempore οἱ Ἀργολίζοντες et οἱ Λακωνίζοντες fuerint dispositi ex ipsius Xenophontis narratione cognosci potest, patetque ex subiecta tabula:



Dicuntur autem (§ 9) Argivi cognoscere *τεταγμένους Λακεδαιμονίους μὲν ἐπὶ τῷ δεξιῷ ἑαυτῶν.* Quivis, ut opinor, lector ex iis verbis efficiat Lacedaemonios *oppositos* fuisse dextero *Argivorum* cornu: ex sequentibus tamen apparet prorsus contrarium factum esse: occupasse enim Lacedaemonios *sui ipsorum* exercitus partem dexteram. Iam haec ergo locutionis insolentia habet in quo offendas.

Corinthiorum exules introductique ab illis Spartani ante sociorum adventum suis non confisi viribus *σταύρωμά τ' ἐποιήσαντο καὶ ταφρὸν οἵαν ἐδύναντο.* Dubium non est, quin illud *σταύρωμα* fecerint adversus hostes, qui ab urbe adoriebantur, idque etiam verbis *πρὸ ἑαυτῶν* significatur. At statim post *σταυρώματος* mentionem haec sequuntur: *ἦν δὲ καὶ ὄπισθεν αὐτῶν ἐν τῷ λιμένι Βοιωτῶν φυλακή.* Nullum ergo munimentum habebant Spartani adversus eos, qui, dum ipsi cum Argivis manus consererent, a tergo adoriri possent? Magis tamen, ut opinor, necessarium erat tergum quam frontem tegere. Fossae autem istius in proelio, quod deinde describitur, nullus est usus. Accedit haec quoque molestia, quod (§ 10) Argivi *primum* Sicyonios, sibi oppositos, vincunt, *deinde τὸ σταύρωμα* perrumpunt.

Victis in fugamque versis Sicyoniis Pasymachus Spartanus equitum praefectus cum paucis equitibus *ᾔει ἐναντίον τοῖς Ἀργείοις* (§ 10). Qui autem ille intra muros venire potuit? Et ne adversus illum quidem quidquam conata sunt Boeotorum praesidia, quae supra legimus in portu fuisse?

Atrae vero nocti similia sunt, quae § 11 narrantur: *οἱ μέντοι φυγάδες τῶν Κορινθίων νικῶντες τοὺς καθ' αὑτοὺς διέδυσαν ἄνω καὶ ἐγένοντο ἐγγὺς τοῦ περὶ τὸ ἄστυ κύκλου· οἱ δ' αὖ Λακεδαιμόνιοι ὡς ᾔσθοντο κρατοῦντα* (ita legit Breitenbachius pro *κρατούμενα*, nescio an recte) *τὰ κατὰ τοὺς Σικυωνίους, βοηθοῦσιν ἐξελθόντες, ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντες τὸ σταύρωμα. οἵ γε μὴν Ἀργεῖοι*

ἐπεὶ ἤκουσαν ὄπισθεν ὄντας τοὺς Λακεδαιμονίους στραφέντες δρόμῳ πάλιν ἐκ τοῦ σταυρώματος ἐξέπιπτον. Unde et quo ἐξῆλθον Spartani? In promptu est respondere: ἐκ τοῦ σταυρώματος portum versus. At nusquam traditum est Spartanos, qui in dextero cornu steterant (nam Pasymachus *mediae* Sicyoniorum aciei auxilio venerat, repulsae illi iam ad portum), τὸ σταύρωμα penetrasse. Et si iam portum versus ἐκ τοῦ σταυρώματος ἐξῆλθον Spartani, quare tum demum ὄπισθεν εἶναι τῶν Ἀργείων dicuntur, qui usque ad portum Sicyonios persecuti erant? Multo enim magis ὄπισθεν τῶν Ἀργείων erant, quum etiam erant inter σταύρωμα urbemque. Et qui possunt Spartani inter σταύρωμα portumque redeuntes a persecutione Argivos aggredi ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντες τὸ σταύρωμα? Nam fac ἀπὸ τοῦ σεσιωπημένου esse intelligendum eos idem fecisse, quod et ad Nemeam fecerunt, ut aciem inflecterent, ita demum τὸ σταύρωμα poterant ἐν ἀριστερᾷ ἔχειν, si inter *urbem* et σταύρωμα erant. Tamen ἐξελθόντες id significare, quod supra dicebam, liquido apparet ex iis, quae hoc ipso loco de Argivis dicuntur: illi enim a portu redeuntes ἐξέπιπτον ἐκ τοῦ σταυρώματος, ergo in eam partem, unde venerant, id est urbem versus: sequitur ergo res absurdissima, ut Spartani et Argivi manus conseruerint, dum *inter illos* τὸ σταύρωμα esset.

Corruptum igitur lacunosumque totum de Corinthi oppugnatione locum esse, negari non potest: sed haud facile statuas, quae fere quove loco exciderint.

IV, 10. Pasimachus ille, de quo supra dictum est, Sicyoniis succurrens καταδήσας ἀπὸ δένδρων τοὺς ἵππους καὶ ἀφελόμενος τὰς ἀσπίδας αὐτῶν μετὰ τῶν ἐθελοντῶν ᾔει ἐναντίον τοῖς Ἀργείοις. Praestare opinor: μετὰ τῶν ἐθελόντων, vel leni transpositione μετ' αὐτῶν ἐθελόντων. Non enim narratum est partem illorum equitum ἐθελοντὰς fuisse.

Caput V, 4. Dum Agesilaus per planitiem cum exercitu

Piraeum iter facit, unam moram per montes eodem mittit: *ἔνθα δὴ καὶ Ἀγησίλαος μικρῷ μὲν καιρίῳ δὲ ἐνθυμήματι εὐδοκίμησε· τῶν γὰρ τῇ μόρᾳ φερόντων τὰ σιτία οὐδενὸς πῦρ εἰσενεγκόντος* .... sequitur narratio notissima. Verbum compositum *εἰσενεγκόντος* non concoquo, neque tamen quid Xenophon scripserit invenio.

V, 16. In narratione de morae Spartanae apud Lechaeum interitu sunt quae molestiam pariant, videturque illa quoque lacunosa esse. Quo autem melius demonstrare possim, quae fere excidisse putem, rem ab initio repetam. Polemarchus Spartanus, ceteris ad Lechaei moenia defendenda relictis, ipse cum hoplitarum equitumque mora Amyclaeenses Hyacinthia domi celebraturos deduxerat, quos aliquantulum viae comitatus ipse cum hoplitis revertit, iusso equitum praefecto Amyclaeenses eo usque, quo ipsi vellent prosequi, deinde celeriter et ipsum converti seque consequi. Redeuntes autem hoplitas aggrediuntur hostes, qui Corinthi erant, ita inter se partibus distributis, ut Callias, hoplitarum dux, cum copiis suis haud procul ab urbe subsisteret, Iphicrates cum peltastis impetum faceret. Iam fit quod fieri solet, ubi hoplitae pugnant cum peltastis, ut illi conentur quidem hostes repellere, sed gravi armatura impediti eorum nullum consequi possint, dum ipsi iterum iterumque ex fuga redeuntium telis sunt obnoxii. Quum iam Spartanorum optimus quisque cecidisset, equites (illi qui longius Amyclaenses erant comitati) se popularibus suis adiungunt, cumque iis persequi et repellere peltastas denuo instituunt. Sequuntur haec: *ὡς δὲ ἐνέκλιναν οἱ πελτασταί, ἐν τούτῳ κακῶς οἱ ἱππεῖς ἐπέθεντο· οὐ γὰρ ἕως ἀπέκτειναν τινας αὐτῶν ἐδίωξαν, ἀλλὰ ξὺν τοῖς ἐκδρόμοις ἰσομέτωποι καὶ ἐδίωκον καὶ ἐπέστρεφον. ποιοῦντες δὲ καὶ πάσχοντες τὰ ὅμοια τούτοις καὶ αὖθις, αὐτοὶ μὲν ἀεὶ ἐλάττους τε καὶ μαλακώτεροι ἐγίγνοντο, οἱ δὲ πολέμιοι θρασύτεροί*

τε καὶ ἀεὶ πλείους οἱ ἐγχειροῦντες κτέ. Iam quid sit ξὺν ταῖς ἐκδρόμοις ἰσομέτωπα nemo scit. Vertunt quidem: „non ultra lineam hoplitarum, qui ex acie procurrerant, excurrerunt", sed neque quisquam unquam illo sensu οἱ ἐκδρομοι dixit, et absurda illa videtur interpretatio. Quam enim lento gradu, obsecro, equo eundum est, ut „ultra lineam" peditum, gravibus armis instructorum, non excurrat? In proelio vero ridicula est ea equitum tarditas. Deinde vocabula καὶ αὖθις non possunt praebere sententiam, quae hic necessario requiritur: „iterum iterumque". Tum ad equites referenda sunt vocabula ποιοῦντες καὶ πάσχοντες. Quid autem illi ἐποίουν? Nempe ἐδίωκον. Sed nihildum de illis narratum est, quod participio πάσχοντες significetur. Quod autem mihi gravissimum argumentum videtur, quo quis suspicari possit lacunosum hunc locum esse hoc est: narratum est in praecedentibus, cum Iphicratis peltastae in praetereuntes impetum facerent, Calliae hoplitas haud procul ab urbe restitisse. Quid autem ibi egerunt? Nihil, quantum quidem e Xenophontis verbis nobis relictis efficere possumus. At neque Calliam eos ibi posuisse credo, ut nihil agerent, neque Xenophontem opinor eorum mentionem fuisse facturum, si in iis rebus agendis, quae deinceps exponuntur, nullae eorum partes fuissent. Credo ergo ipsum Xenophontem in Spartanis equitibus non hoc reprendisse, quod non satis longe, sed quod *iusto longius* peltastas sint persecuti, atque haec fere narrasse: equites felicius quidem quam antea hoplitas peltastarum sustinuisse impetum, unum enim alterumque eorum stravisse, sed incautius persequentes in Calliae hoplitas incidisse [1]), ab

---

1) Conferantur ex narratione de Agesilai in Acarnanes expeditione haec verba (IV, 5, 11): ἐπὶ μέντοι τοῦ ἐσχάτου οἱ ὁπλῖται ἦσαν τῶν Ἀκαρνάνων

iisque semel iterumque cum magno damno esse repulsos. Ea autem Calliae mentio excidisse, et sic tota narratio obscura facta esse videtur.

V, 19. Sincerum esse non potest: *οἱ Φυγάδες δὲ τῶν Κορινθίων, οὐκέτι πεζῇ παριόντες ἐκ Σικυῶνος διὰ τὴν τῆς μόρας δυστυχίαν, ἀλλὰ παραπλέοντες καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι, πράγματα εἶχόν τε καὶ παρεῖχον τοῖς ἐν τῷ ἄστει.* Etenim participio *ὁρμώμενοι* sic fere loci additur notio, ut significentur castra, unde pars militum subinde in agrum hostilem excursiones faciant, et quo praedam reportent. Unde autem *ὁρμώμενοι* Corinthiorum exules hic dicuntur adversariis suis molestias exhibuisse? An ab ora maritima? At neque ora maritima exulibus illis pro castris fuisse dici potest, et absurdum videtur adverbium loci ad verbum *παραπλέοντες* referendum esse putare. Credo igitur verba *καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι* doctum quendam lectorem in margine scripsisse, ut eos, qui verba *παριόντες ἐκ Σικυῶνος* essent lecturi, solemnis usitataeque loquendi formulae admoneret.

Caput VI, 3. Achaei urbem, quam in Aetolia habebant, Calydona praesidiis tueri coguntur contra Acarnanum incursiones. Legatos ergo Spartam mittunt simul de Acarnanum iniuriis et de Spartanorum adversus se incuria negligentiaque conquestum. „Nos enim" aiunt „fidelium sociorum semper functi sumus munere, semperque vos quo velletis in bellum comitati sumus cum tot militibus quot ipsi imperaretis. Vos autem nostri, dum bello ab Acarnanibus eorumque sociis petimur, nullam agitis curam." Egregiaque et ad persuadendum aptissima illius querimoniae est elocutio;

παρατεταγμένοι καὶ τῶν πελταστῶν τὸ πολὺ καὶ ἐνταῦθα ὑπέμενον, καὶ τά τε ἄλλα βέλη ἠφίεσαν καὶ τοῖς δόρασιν ἐξακοντίζοντες ἱππέας τε κατέτρωσαν καὶ ἵππους τινὰς ἀπέκτειναν,

ceteris autem omnibus elegantius enuntiatae minae sunt, quibus ad extremum utuntur: *οὐκ ἂν οὖν δυναίμεθ' ἡμεῖς τούτων οὕτω γιγνομένων ἀντέχειν, ἀλλ' ἢ ἐάσαντες τὸν ἐν Πελοποννήσῳ πόλεμον διαβάντες πάντες πολεμήσομεν 'Ακαρνᾶσί τε καὶ τοῖς ξυμμάχοις αὐτῶν, ἢ εἰρήνην ποιησόμεθα ὁποίαν ἄν τινα δυνώμεθα.* Verborum *ἢ εἰρήνην ποιησόμεθα ὁποίαν ἄν τινα δυνώμεθα* brevitas decet homines ad desperationem rerum suarum redactos, acriterque et acerbe suas miserias obiicientes illis, ex quorum gravissima culpa eae natae sunt. Sed omnis vis, acerbitas, elegantia tollitur addito ineptissimo frigidissimoque additamento, quod nunc tanquam Xenophonteum circumfertur. Sequuntur enim haec: *ταῦτα δὲ ἔλεγον ὑπαπειλοῦντες τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς ξυμμαχίας, εἰ μὴ αὐτοῖς ἀντεπικουρήσουσι,* quae verba iam neminem posthac toleraturum esse, si acrem concitatamque Achaeorum orationem relegerit, cumque illorum ieiunitate compararit, satis confido.

VI, 4. Agesilaus ergo cum exercitu in Acarnaniam mittitur; quo facto *πάντες μὲν οἱ ἐκ τῶν ἀγρῶν 'Ακαρνᾶνες ἔφυγον εἰς τὰ ἄστη, πάντα δὲ τὰ βοσκήματα ἀπεχώρησε πόρρω, ὅπως μὴ ἁλίσκηται ὑπὸ τοῦ στρατεύματος.* Delectat me ista boum prudentia, consilia capientium, ne in hostium manus incidant. Verbum enim *ἀποχωρεῖν* a Xenophonte non adhibetur nisi de iis, qui in loca tuta se recipiunt. Sed probabile videtur pro *ἀπεχώρησε* restituendum esse aliquod verbum transitivum in numero plurali.

VI, 7. Aggressus Acarnanes Agesilaus magnam praedam agit castraque *πρὸς τῷ ὄρει* ponit. Ex fuga tamen redeunt Acarnanes *καὶ .... βάλλοντες καὶ σφενδονῶντες ἀπὸ τῆς ἀκρωνυχίας τοῦ ὄρους ἔπασχον μὲν οὐδέν, κατεβίβασαν δὲ εἰς τὸ ὁμαλὲς τὸ στρατόπεδον.* Num *κατεβίβασαν εἰς τὸ ὁμαλὲς τὸ στρατόπεδον* significare possit, id quod hic necessario requiritur: „coegerunt Agesilaum in planum descendere", vehementer dubito,

multoque probabilius videtur post ἔπασχον μὲν οὐδέν excidisse quaedam.

Caput VII, 4. Postquam Agesipolis cum copiis Argivorum fines intravit, terra movetur: rediturum ergo eum esse Spartani putant: ὁ δ' Ἀγησίπολις εἰπὼν ὅτι εἰ μὲν μέλλοντος αὐτοῦ ἐμβάλλειν σείσειε, κωλύειν ἂν αὐτὸν ἡγεῖτο, ἐπεὶ δ' ἐμβεβληκότος ἐπικελεύειν νομίζει. Grammaticos, qui haec sana esse putant, in errorem, ut opinor, induxit structura quaedam verborum sentiendi et putandi satis quidem frequens, sed ab hoc tamen loco aliena. Saepissime enim verba οἴομαι, ἡγοῦμαι simm. particulam ἄν sibi adiunctam habere videntur, revera tamen ea ad infinitivum pertinet, qui ab illis verbis dependet. Sic e. gr. οὐκ ἂν οἶμαι παθεῖν idem est quod οὐκ οἶμαι ὅτι πάθοιμι ἄν vel o. o. ὅτι πείσομαι. Nostro tamen loco ipsum verbum ἡγοῦμαι hypothetice positum est, dicitque Agesipolis non: „puto deum me prohibiturum fuisse si....", verum: „putarem deum me prohibere si...." Atqui soloecum esset: εἰ ὁ θεὸς σείσειε.... ἡγούμην ἄν, neque ergo probari potest ὅτι εἰ σείσειε.... κωλύειν ἂν ἡγεῖτο. Quid autem pro σείσειε legendum est? Nempe ἔσεισε. Qui enim semel perspexit particulam ἄν cum verbo ἡγεῖτο cohaerere, facile intelligere potest nullius esse pretii, quae grammatici comminiscuntur de infinitivi κωλύειν sententia: haec enim fere annotant: „infinitivus κωλύειν hic eandem vim habet, quam in oratione directa optativus habuisset: e protasi enim εἰ σείσειε apparet apodosin esse κωλύοι ἄν; si εἰ ἔσεισε praecederet, apodosis esset ἐκώλυεν ἄν: non ergo pro ἐκώλυεν ἄν verum pro κωλύοι ἄν infinitivus κωλύειν positus est". Sed restituto indicativo ἔσεισε nondum persanata esse verba citata videntur. Sententia enim hypothetica εἰ μὲν.... ἔσεισε.... ἡγεῖτο ἄν coniunctione ὅτι cum participio εἰπών ligata est, neque ultra verbum ἡγεῖτο illius coniunctionis vis pertinet, quae non nisi sententiam

hypotheticam regere potest. Quae enim ipsius Agesipolidis verba sunt? Haec, ut opinor: *εἰ μὲν μέλλοντός μου ἐμβάλλειν ἔσεισεν ὁ θεός, κωλύειν αὐτὸν ἡγούμην ἄν, ἐπεὶ δ' ἐμβεβληκότος ἐπικελεύειν νομίζω*, eaque sic demum in oratione indirecta enuntiari possunt: *ἔλεγεν ὅτι εἰ μὲν μέλλοντος αὐτοῦ ἐμβάλλειν ἔσεισεν ὁ θεός, κωλύειν ἂν αὐτὸν ἡγεῖτο, ἐπεὶ δ' ἐμβεβληκότος ἐπικελεύειν νομίζειν*, atque ita quin Xenophon scripserit non dubito.

Caput VIII, 1. *Φαρνάβαζος καὶ Κόνων, περιπλέοντες καὶ τὰς νήσους καὶ πρὸς τὰς ἐπιθαλαττιδίας πόλεις τούς τε Λακωνικοὺς ἁρμοστὰς ἐξήλαυνον κτέ.* Quis possit credere Xenophontem scripsisse *περιπλέοντες τὰς νήσους καὶ πρὸς τὰς πόλεις*? Quasi vero e proxime praecedenti composito *περιπλεῖν* cogitatione ad *πρὸς τὰς πόλεις* simplex *πλεῖν* suppleri possit! Certum est aut post *καί* aliquod participium (e. gr. *προσβάλλοντες*) excidisse, aut praepositionem *πρός* ab aliquo magistello esse insertam, qui sibi acutus videretur observando *insulas* aliquem *περιπλεῖν* posse, *urbes* mari adiacentes non posse. Fefellit tamen hominem doctrina: *περιπλεῖν* enim est huc illuc navigare, eiusque verbi obiectum esse possunt omnes loci ad quos *ὁ περιπλέων* appellit.

VIII, 2. Eiectis Spartanorum harmostis Conon et Pharnabazus Graecarum urbium incolis animum addunt dicentes se illis libertatem reddere. Qua re audita urbes gaudebant, Pharnabazum laudabant, dona ei mittebant. *καὶ γὰρ ὁ Κόνων τὸν Φαρνάβαζον ἐδίδασκεν ὡς οὕτω μὲν ποιοῦντι πᾶσαι αὐτῷ αἱ πόλεις φίλιαι ἔσοιντο, εἰ δὲ δουλοῦσθαι βουλόμενος φανερὸς ἔσοιτο, μία ἑκάστη πολλὰ πράγματα ἱκανὴ εἴη παρέχειν καὶ κίνδυνος εἴη μὴ καὶ οἱ Ἕλληνες, εἰ ταῦτα αἴσθοιντο, συσταῖεν.* Quis ferat huius sententiae elegantiam pessumdari importuno additamento *ἔλεγεν ὡς*, quod ante *μία ἑκάστη* in omnibus editionibus legitur?

VIII, 5. Appropinquante hostium classe Conone et Pharnabazo ducibus Dercylidas Abydenos admonet ut in fide erga Spartanos fortiter perseverent: quae antea Spartanorum gratia fecerunt et sustinuerunt laudat, adversus instans periculum animos eorum firmat. *οἱ μὲν δὴ ταῦτα ἀκούοντες οὐκ ἄκοντες ἀλλὰ προθύμως ἐπείσθησαν.* Satis perspicuum, ut opinor, est istud *ἀλλὰ προθύμως* insertum esse ab aliquo, qui quae esset in verbis *οὐκ ἄκοντες* „litotes" explicare vellet.

VIII, 5. Sesti quoque incolas adhortatur Dercylidas ut fidelium sociorum officium praestent, neque esse hostium metuendas copias docet his verbis: *ποῖον μὲν ἂν ἰσχυρότερον Σηστοῦ λάβοιτε χωρίον; ποῖον δὲ δυσπολιορκητότερον; ὃ καὶ νεῶν καὶ πεζῶν δεῖται, εἰ μέλλοι πολιορκηθήσεσθαι;* Iam antea monui in huiuscemodi sententiis non optativum verbi *μέλλειν* sed indicativum requiri. Quum enim Graeci syllabas *οι* et *ει* prorsus eodem modo pronuntiarint, nostrum est statuere utrum *μέλλει* an *μέλλοι* legendum sit; statuemus autem sana mente et grammatica ducibus, pertinacesque adversarios convincere conabimur poetarum locis, ubi nulla potest esse dubitatio. E quorum numero et hi sunt:

Arist. Lys. 120 sqq.:

ἡμῖν γάρ, ὦ γυναῖκες, εἴπερ μέλλομεν
ἀναγκάσειν τοὺς ἄνδρας εἰρήνην ἄγειν,
ἀφεκτέ' ἐστὶ ....

ei. Eccl. 1163:

ὢ ὢ ὥρα δή,
ὦ φίλαι γυναῖκες εἴπερ μέλλομεν τὸ χρῆμα δρᾶν,
ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὑπαποκινεῖν.

VIII, 11. Contra classem Corinthiorum, qui in sinu Corinthiaco *ἐθαλαττοκράτουν,* Spartani et ipsi classem instruunt, eique Podanemum praeficiunt. *ἐπεὶ δὲ οὗτος ἐν προσβολῇ τινὶ*

γενόμενος ἀπέθανε, καὶ Πόλλις αὖ ἐπιστολεὺς ὢν τρωθεὶς ἀπῆλθεν, Ἡριππίδας ταύτας ἀναλαμβάνει τὰς ναῦς. Facile fieri potest, ut lector putet pro ἀναλαμβάνει legendum esse παραλαμβάνει, quod verbum satis est frequens de novo duce imperium suscipiente, quemadmodum et hoc ipso loco paucis intermissis vocabulis legitur: Πρόαινος μέντοι Κορίνθιος τὰς παρ' Ἀγαθίνου παραλαβὼν ναῦς ἐξέλιπε τὸ Ῥίον. Revera tamen ἀναλαμβάνει scripsisse videtur Xenophon, eoque composito significare voluisse, gravem accepisse cladem Spartanos in eo proelio, in quo Podanemus cecidit et Pollis vulneratus est. Verbo enim ἀναλαμβάνειν non solum significatur novum ad exercitum venisse ducem, sed etiam illum secum novas adduxisse copias, quibus amissas vires repararet, efficeretque ne funditus interiret devictus exercitus. Cf. I, 1, 4: Mindarus ἐβοήθει ἐπὶ τὴν θάλατταν .... ὅπως ἀναλάβοι τὰς μετὰ Δωριέως.

VIII, 23. Spartani Rhodum mittunt Ecdicum cum *octo* navibus (§ 20). Quum autem cognossent eum hostibus parem non esse, Teleutiam iubent cum duodecim navibus Cnidum, ubi tunc Ecdicus otiosus remanebat, vela dare, illique in imperio succedere. ὁ δὲ Τελευτίας, ἐπεὶ ἀφίκετο εἰς τὴν Σάμον, προσλαβὼν ἐκεῖθεν ναῦς ἔπλευσεν εἰς Κνίδον. Mox autem (§ 24) cognoscimus classem, quam Teleutias Rhodum duxerit, fuisse navium *viginti septem*. Ergo *septem* naves a Rhodiis accepit, idque et ipsum verbis, quae citavi, significandum erat, ut opinor. Si enim simpliciter ναῦς scripsisset Xenophon, nulla numeri notione addita, pro ἐκεῖθεν dicendum erat κἀκεῖθεν. Inserendum ergo vocabulum ἑπτά videtur inter ναῦς et ἔπλευσεν. Cf. V, 1, 10: προσλαβὼν δὲ καὶ Ἀθήνηθεν ἄλλας τε ναῦς καὶ ὁπλίτας.

VIII, 32. Spartanis cura iniecta est certioribus factis de prospera fortuna, qua in Hellesponto usi sunt Athenienses; impetrat ergo ab Ephoris Anaxibius, ut harmostae nomine

Abydum mittatur, quamquam, qui ibi tum erat, Dercylidas strenue Atheniensibus restiterat. Anaxibius enim, si pecuniam navesque accepisset, *πολεμήσειν ὑπισχνεῖτο τοῖς Ἀθηναίοις, ὥστε μὴ ἔχειν ἐκείνοις καλῶς τὰ ἐν Ἑλλησπόντῳ.* Vocabulum *μή* solito vitio natum esse credo e longiore *μηκέτι.* In iis enim, quae proxime praecedunt, et hoc ad Atheniensium fortunam felicitatemque relatum est *ὅτι .... καὶ αἱ ἄλλαι Ἑλλησπόντιαι πόλεις φίλου ὄντος αὐτοῖς Φαρναβάζου εὖ ἔχοιεν.*

VIII, 35. Adversus Anaxibium feliciter in Hellesponto rem gerentem Athenienses mittunt Iphicratem. *ἐπεὶ δὲ ἀφίκετο εἰς Χερρόνησον, τὸ μὲν πρῶτον Ἀναξίβιος καὶ Ἰφικράτης λῃστὰς διαπέμποντες ἐπολέμουν ἀλλήλοις, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου ὁ Ἰφικράτης αἰσθόμενος καὶ Ἀναξίβιον οἰχόμενον εἰς Ἄντανδρον ....* Qui istud *καί*, quod post *αἰσθόμενος* positum est, defendit, illi licet ubique eam particulam inserere. Sunt enim qui ita explicent: „quum cognosset Anaxibium *quoque* Abydo profectum esse, et ipse Hellespontum reliquit." At neque Hellespontum relinquit Iphicrates, copiis enim traductis insidias prope Abydum collocat, et si reliquisset *in apodosi καί* ponendum erat: sic fere .... *καὶ αὐτὸς ἀπῆλθε.* Cognovit ergo Iphicrates Anaxibium Antandrum esse profectum cum Spartanis, quos secum duxerat, et nonnullis Abydenorum hoplitis, certiorque factus eum Antandrum in societatem et amicitiam accepisse, *ὑπονοῶν ὅτι καταστήσας αὖ τὴν ἐκεῖ φρουράν ....* Articulus hic vitiose ponitur. Nihildum enim de praesidio Antandri audivimus, et ipsos Spartanos, quos secum Anaxibius duxerat, ibi in praesidio collocatum iri Iphicrates suspicatur, quemadmodum apparet e sequentibus *ἀποπορεύσοιτο πάλιν καὶ ἀπάξοι τοὺς Ἀβυδηνοὺς οἴκαδε.* Lege ergo *καὶ ἐκεῖ φρουράν* pro *τὴν ἐ. φ.* Haec ergo suspicatus Iphicrates *διαβὰς τῆς νυκτὸς ᾗ ἐρημότατον ἦν τῆς Ἀβυδηνῆς καὶ ἐπανελθὼν εἰς τὰ ὄρη ἐνέδραν ἐποιήσατο.* Non in montes rediit Iphicrates, modo

enim Abydum traiecerat, verum in montes *adscendit*. Legendum ergo est non *ἐπανελθών* verum *ἀνελθών*.

VIII, 38. Ex insidiis prodit Iphicrates, quum Abydeni, qui in itinere primi erant, iam in campum advenissent, maior agminis pars in declivi esset, ipse autem Anaxibius descendere coepisset. *καὶ ὁ Ἀναξίβιος γνοὺς μὴ εἶναι ἐλπίδα σωτηρίας, ὁρῶν ἐπὶ πολύ τε καὶ στενὸν ἐκτεταμένον τὸ ἑαυτοῦ στράτευμα, καὶ νομίζων πρὸς τὸ ἄναντες οὐκ ἂν δύνασθαι σαφῶς βοηθῆσαι αὐτῷ τοὺς παρεληλυθότας κτἑ.* Quid sibi velit istud *σαφῶς* non video: sensu enim cassum est *σαφῶς βοηθῆσαι*. Sed dubium non est quin pro *παρεληλυθότας* scribendum sit *προεληλυθότας*. Veram hanc lectionem Breitenbachii editio habet.

LIBER V.

Caput I, 2. Athenienses ab Aeginetis lacessiti classem in Aeginam mittunt eamque terra marique oppugnant. *ὁ μέντοι Τελευτίας τυχὼν ἐπὶ τῶν νήσων ποι ἀφιγμένος κατὰ χρημάτων πόρον ἀκούσας ταῦτα ἐβοήθει τοῖς Αἰγινήταις.* Verba *ἐπὶ τῶν νήσων ποι* explicet, qui sana esse credat: mihi corrupta esse persuasissimum est. Ferri posset *τῶν νήσων ποι* (sine praepositione), sed ne hoc quidem probarem.

I, 9. Gorgopas Spartanus naves Eunomi Atheniensis noctu silentio subsecutus, quum illae ad Zostera, promontorium Atticum, appulissent, proelio signum dat. *τῷ δ' Εὐνόμῳ ἐξ ἐνίων μὲν τῶν νεῶν ἄρτι ἐξέβαινον, οἱ δὲ καὶ ἔτι ὡρμίζοντο οἱ δὲ καὶ ἔτι κατέπλεον.* Gradationem quandam in his verbis esse neminem fugere potest, sed ut recte ea enuntiata sit unum vocabulum abesse debet; legendum enim est: *ἐξ ἐνίων μὲν τῶν νεῶν ἄρτι ἐξέβαινον, οἱ δὲ ἔτι ὡρμίζοντο, οἱ δὲ καὶ ἔτι κατέπλεον.*

I, 12. Chabrias nocte Aeginam appulsus cum decem triremibus et octingentis peltastis hos e navibus exponit et *ἐν κοίλῳ χωρίῳ* in insidiis collocat: prima luce, quemadmodum constitutum erat, advenerunt Athenis hoplitae (quos ergo, quamquam in praecedentibus dictum est *προσλαβὼν δὲ καὶ Ἀθήνηθεν ἄλλας τε ναῦς καὶ ὁπλίτας*, non statim secum duxerat), duce Demaeneto et alio loco (sedecim stadia ab eo, ubi peltastas suos collocaverat Chabrias) *ἀνέβαινον. ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Γοργώπας* (qui cum praesidio Spartano Aeginae praeerat. Pronomen autem *ταῦτα* ad Demaeneti adventum et *ἀνάβασιν* referendum est) cum magno exercitu Demaeneti copias aggressurus ex urbe proficiscitur. Sequuntur haec: *ἐπεὶ δὲ παρήλλαξαν οἱ πρῶτοι τὴν ἐνέδραν, ἐξανίστανται οἱ περὶ τὸν Χαβρίαν, καὶ εὐθὺς ἠκόντιζον· καὶ ἔβαλλον. ἐπῇσαν δὲ καὶ οἱ ἐκ τῶν νεῶν ἀποβεβηκότες ὁπλῖται.* Verba autem *οἱ ἐκ τῶν νεῶν ἀποβεβηκότες ὁπλῖται* absurda mihi videntur: *e navibus enim egressi* sunt omnes hoplitae, ut opinor; partem eorum remansisse neque probabile est neque traditum. Opinor rem ita gestam esse, ut solet ubi de insidiis narratur: ubi hostes nihil suspicati insidiarum locum praeterierunt, simul et impetum faciunt milites, qui in aperto loco sunt dispositi, et ex insidiis prosiliunt, qui ibi erant absconditi. Quaeritur ergo: quo loco insidiae fuerint positae, quo steterit exercitus (hoplitarum), neque difficile est ad utrumque respondere. Disertis enim verbis haec narrata sunt: *ἐν κοίλῳ χωρίῳ ἐνήδρευσεν* et *ἧκον οἱ Ἀθηναίων ὁπλῖται καὶ ἀ ν έ β α ι ν ο ν*: in monte ergo stabant hoplitae, in valle peltastae insidiabantur. Quapropter credo Xenophontem scripsisse *ἐπῇσαν δὲ καὶ οἱ ἀναβεβηκότες ὁπλῖται*, verbo autem *ἀναβεβηκότες* in *ἀποβεβηκότες* corrupto aliquem explicandi causa adscripsisse *ἐκ τῶν νεῶν.*

I, 14. *ἥ γε μὴν θύρα ἡ ἐμὴ ἀνέῳκτο μὲν δήπου καὶ πρόσθεν εἰσιέναι τῷ δεομένῳ τι ἐμοῦ, ἀνεῴξεται δὲ καὶ νῦν.* Propter infi-

nitivum a verbo *ἀνέῳκτο* pendentem conferatur hic Aristophanis versus (Ach. 127):

τοὺς δὲ ξενίζειν οὐδέποτέ γ' ἴσχει θύρα.

I, 18. Finita adhortatione Teleutias, ubi omnes paratos alacresque videt, haec addit: *ἄγετε, ὦ ἄνδρες, δειπνήσατε μὲν ὥσπερ καὶ* (alii *ἅπερ καὶ ὡς*) *ἐμέλλετε· προπαράσχεσθε δέ μοι μιᾶς ἡμέρας σῖτον*.... Verba *ὥσπερ καὶ ἐμέλλετε* et *προπαράσχεσθε δέ μοι* certo certius corrupta sunt; nulla enim sententia huic loco accommodata ex iis extorqueri potest. Eorum loco haec fere sententia requiritur: „cibi capite quantum lubet, etiam si non plus quam unius diei frumentum supersit". Consilium enim ceperat Teleutias, quo magna frumenti copia sibi potiturus videbatur, seque in eo exsequendo prospero usurum successu satis certo confidebat.

I, 21. Teleutias cum classe quum in portum Atheniensium venisset *καταδύειν μὲν οὐκ εἴα στρογγύλον πλοῖον οὐδὲ λυμαίνεσθαι ταῖς ἑαυτῶν ναυσίν*. Plerumque verba *ταῖς ἑαυτῶν ναυσίν* sic interpretantur viri docti ut sit „ablativus instrumenti". Sed languidissime ea addita essent, si haec eorum esset sententia: semper enim *sua* nave vel *suae* navis rostris hostium naves demergunt nautae, minimeque ergo hic opus esset emphatico isto *ἑαυτῶν*. Probabilius videtur Teleutiam verbis *ταῖς ἑαυτῶν ναυσί* rationem reddidisse, quare nollet milites suos *καταδύειν τὰ στρογγύλα πλοῖα*. Nulla enim navis aliam navem demergere potest, quin et ipsa aliquid damni accipiat. Ergo aut pro *ταῖς.... ναυσίν* legendum est *τὰς ναῦς* aut Xenophon hic a consuetudine recessit, verbumque *λυμαίνεσθαι* cum dativo iunxit. Plerumque enim id verbum apud eum habet accusativum, neque in censum venire potest quod legitur II, 3, 26 *εἴ τις ἡμῶν αὐτῶν λυμαίνεται ταύτῃ τῇ καταστάσει*: probabile enim non est Xenophontem

hic verbo *λυμαίνεσθαι* dativum addidisse, qui in proxime praecedentibus scripserit *ὡς λυμαινόμενον τὴν πολιτείαν*, sed utrobique aut dativus aut accusativus requiritur (Cf. VIII, 5, 18: *λελυμασμένος εἴη τῇ ἑαυτοῦ δόξῃ*). Sententiam autem *καταδύειν οὐκ εἴα στρογγύλον πλοῖον οὐδὲ λυμαίνεσθαι ταῖς αὐτῶν ναυσίν* ita accipiendam esse, ut ea pars, quae ab *οὐδέ* incipit, praecedentis causam rationemque afferat, totamque sic fere esse vertendam: „ milites vetuit Atheniensium navigia mercatoria demergere, ne suis navibus damnum inferrent" nemini, ut opinor, incredibile videbitur. Simulque egregie ita significat Teleutias, se non belli gerendi sed praedae agendae causa illam in Piraeum suscepisse expeditionem.

I, 36. Accepta a Graecis pace, quam iis per Antalcidam imposuerat Rex, multo potentiores facti sunt Spartani quam antea fuerant: *προστάται γὰρ γενόμενοι τῆς ὑπὸ βασιλέως καταπεμφθείσης εἰρήνης καὶ τὴν αὐτονομίαν ταῖς πόλεσι πράττοντες, προσέλαβον μὲν ξύμμαχον Κόρινθον, αὐτονόμους δὲ ἀπὸ τῶν Θηβαίων τὰς Βοιωτίδας πόλεις ἐποίησαν, οὔπερ πάλαι ἐπεθύμουν, ἔπαυσαν δὲ καὶ Ἀργείους Κόρινθον σφετεριζομένους, φρουρὰν φήναντες ἐπ' αὐτοὺς εἰ μὴ ἐξίοιεν ἐκ Κορίνθου.* Ultima pars eorum, quae citavi (*ἔπαυσαν δὲ καὶ — ἐκ Κορίνθου*), non ab ipso Xenophonte verum a sciolo sunt addita. Prorsus enim supervacanea sunt: nam si Spartani *προσέλαβον ξύμμαχον Κόρινθον*, iam ipsa res loquitur, non iam Argivos eius urbis imperium sibi vindicare, et pueriliter iis repetitur res iam antea copiose narrata. Legitur enim (§ 34): *οἱ δ' αὖ Κορίνθιοι οὐκ ἐξέπεμπον τὴν τῶν Ἀργείων φρουράν· ἀλλ' ὁ Ἀγησίλαος καὶ τούτοις προεῖπε, τοῖς μέν, εἰ μὴ ἐκπέμψοιεν τοὺς Ἀργείους, τοῖς δέ, εἰ μὴ ἀπίοιεν ἐκ τῆς Κορίνθου, ὅτι πόλεμον ἐξοίσει ἐπ' αὐτούς. ἐπεὶ δὲ φοβηθέντων ἀμφοτέρων ἐξῆλθον οἱ Ἀργεῖοι καὶ αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς ἡ τῶν Κορινθίων πόλις ἐγένετο, οἱ μὲν σφαγεῖς καὶ οἱ μεταίτιοι τοῦ ἔργου αὐτοὶ γνόντες ἀπῆλθον ἐκ τῆς Κορίνθου·*

οἱ δ' ἄλλοι πολῖται ἑκόντες κατεδέχοντο τοὺς πρόσθεν πολίτας. Vides quam parum necessarium sit paucis interiectis eandem rem iis verbis, quae ego inclusi, iterum narrare. Dubitari quoque potest num bene Graecum sit *Φρουρὰν Φήναντες .... εἰ μὴ ἐξίοιεν* pro: *λέγοντες ὅτι Φρουρὰν Φανοῦσιν .... εἰ μὴ ἐξίοιεν.*

II, 1. Quum ergo res ex voto cessisset Spartanis, *ἔδοξεν αὐτοῖς, ὅσοι ἐν τῷ πολέμῳ τῶν ξυμμάχων ἐνέκειντο καὶ τοῖς πολεμίοις εὐμενέστεροι ἦσαν ἢ τῇ Λακεδαίμονι τούτους κολάσαι καὶ κατασκευάσαι ὡς μὴ δύναιντο ἀπιστεῖν.* Verbum *ἐνέκειντο* hic absurde positum est: adhiberi enim solet de militibus, qui in proelio hostibus instant. Cf. III, 5, 20: *ἐκυλίνδουν πέτρους εἰς τὸ κάταντες καὶ πολλῇ προθυμίᾳ ἐνέκειντο.* VII, 2, 19: *ἔργου τε εἴχοντο καὶ παρακελευσάμενοι ἀλλήλοις ἐνέκειντο.* Sed non opus est multa de verbo *ἐγκεῖσθαι* disserere: multi enim corruptum illud esse senserunt, proque eo *ἐπέκειντο* reposuerunt. Sed ne id quidem huius loci esse videtur: *ἐπικεῖσθαι* enim de apertis inimicitiis hostilique animo dicitur; VI, 5, 45: *οἱ μέντοι Ἀθηναῖοι οὐ πάνυ ἐδέξαντο* (orationem legati Spartanorum), *ἀλλὰ θροῦς τις τοιοῦτος διῆλθεν, ὡς νῦν μὲν ταῦτα λέγοιεν, ὅτε δὲ εὖ ἔπραττον ἐπέκειντο ἡμῖν.* VII, 2, 10: *ἐνέβαλον δὲ καὶ τῷ ὑστέρῳ ἔτει εἰς τὸν Φλιοῦντα οἵ τε Ἀργεῖοι καὶ οἱ Ἀρκάδες ἅπαντες. αἴτιον δὲ ἦν τοῦ ἐπικεῖσθαι αὐτοὺς ἀεὶ τοῖς Φλιασίοις κτέ.* Vides *ἐπικεῖσθαι* dici, qui alium populum bello petunt, eumque omnibus modis delere et perdere tentant. Non ergo *οἱ ἐπικείμενοι* iam ad *socios* referri possunt, neque quidquam eiusmodi adversus Spartanos commiserant Mantineenses (de illis enim sociis mox sermo est), quod tam acri acerboque verbo, quam *ἐπικεῖσθαι* est, recte significetur. Nam praeter foedus, quod belli Peloponnesiaci tempore cum Atheniensibus et Argivis inierant, gravissimum quod iis a Spartanis obiiciatur hoc est, quod Spartanos ludibrio habuissent, eorum-

que adversa fortuna gavisi essent (IV, 4, 17. IV, 5, 18). Quid autem pro *ἐνέκειντο* sit legendum non invenio, sed probabile est Xenophontem scripsisse aliquid, quod hanc sententiam praeberet: „qui dubia fide fuerant": hoc enim solum respondet sequentibus: *καὶ τοῖς πολεμίοις εὐμενέστεροι ἦσαν ἢ τῇ Λακεδαίμονι.*

ib. Postulant a Mantineensibus Spartani, ut moenia sua diruant, *λέγοντες ὅτι οὐκ ἂν πιστεύσειαν ἄλλως αὐτοῖς μὴ ξὺν τοῖς πολεμίοις γενέσθαι.* Admodum suspecta mihi sunt verba *μὴ ξὺν τοῖς πολεμίοις γενέσθαι*, nam neque credibile est particulam *ἂν* simul ad *πιστεύσειαν* et ad *γενέσθαι* pertinere, et vis acerbitasque Laconici dicti *ὅτι οὐκ ἂν πιστεύσειαν ἄλλως αὐτοῖς* magnopere illis vocabulis additis infringitur minuiturque.

II, 7. Capta Mantinea urbe et in quatuor partes divisa *ἔπεμπον αὐτοῖς οἱ Λακεδαιμόνιοι οὐ καθ' ἕνα ἀλλὰ κατὰ κώμην ἑκάστην ξεναγόν.* Recte, ut opinor, olim pro *οὐ καθ' ἕνα* Portus legendum coniecit *οὐχ' ἕνα.* Nam quod afferunt nonnulli, in praepositione *κατά* iteratae actionis inesse significationem, ea iam satis imperfecto *ἔπεμπον* proditur. Ex *οὐχ ἕνα ἀλλὰ κατὰ κώμην ἑκάστην* natum esse id, quod nunc legitur, satis probabile est.

II, 25. *στασιαζόντων δὲ τῶν Θηβαίων, πολεμαρχοῦντες μὲν ἐτύγχανον Ἰσμηνίας τε καὶ Λεοντιάδης, διάφοροι δ' ὄντες ἀλλήλοις καὶ ἀρχηγὸς ἑκάτερος τῶν ἑταιριῶν.* Quid pro *ἀρχηγὸς ἑκάτερος τῶν ἑταιριῶν* legendum sit nesio; minime tamen dubito quin corrupta ea verba sint: non enim ita Graece dici potest: suae uterque factionis princeps erat.

II, 27. Leontiades Phoebidae ut arcem Thebanorum occupet et aliis et hoc argumento persuadet: „nunc vides edictum esse, ne quis Thebanorum particeps fiat expeditionis, quam in Olynthios Spartani suscipiunt. *ἐὰν δέ γε σὺ ταῦτα*

μεθ' ἡμῶν πράξῃς, εὐθύς σοι ἡμεῖς πολλοὺς μὲν ὁπλίτας, πολλοὺς δὲ ἱππέας συμπέμψομεν". Nullus hic locus est particulae γε. Conferantur quae dixi ad III, 4, 9.

II, 33. Leontiades Spartam profectus demonstrat bene et prudenter fecisse Phoebidam, quod arcem Thebanorum occuparit: „antea enim" ait „Thebani inimicis vestris amici, amicis vero vestris infesti erant: οὐκ ἐπὶ μὲν τὸν ἐν Πειραιεῖ δῆμον, πολεμιώτατον ὄντα ὑμῖν, οὐκ ἠθέλησαν συστρατεύειν; Φωκεῦσι δὲ ὅτι ὑμᾶς εὐμενεῖς ὄντας ἑώρων, ἐπεστράτευον"; Parum concinna est ultima sententia: non enim dativus Φωκεῦσι simul a verbo ἐπεστράτευον et ab abiectivo εὐμενεῖς pendere potest. Verum lege ὑμῖν pro ὑμᾶς: habebis structuram vere Atticam.

II, 37. Occupata per proditionem Cadmea Spartani τὴν εἰς τὴν Ὄλυνθον στρατιὰν ξυναπέστελλον. καὶ ἐκπέμπουσι Τελευτίαν μὲν ἁρμοστήν, τὴν δ' εἰς τοὺς μυρίους ξύνταξιν αὐτοί τε ἅπαντες ξυνεξέπεμπον, καὶ εἰς τὰς ξυμμαχίδας πόλεις σκυτάλας διέπεμπον κτἑ. Atra haec narratio nocte premitur. Primum quid sibi velit praepositio in verbis ξυναπέστελλον et ξυνεξέπεμπον obscurissimum est; et quae tandem illae copiae sunt, quas nunc Spartani Olynthum mittunt? Dicat aliquis: ipse scriptor hoc indicat verbis τὴν εἰς τοὺς μυρίους ξύνταξιν. At antea narratum est (§ 20 sqq.) decretum esse πέμπειν τὸ εἰς τοὺς μυρίους ξύνταγμα ἑκάστην πόλιν: illius autem exercitus Acanthiorum rogatu Eudamidas partem secum duxit, cum eaque parte iam bellum cum Olynthiis gerere instituit. Impetrat tamen Eudamidas ab ephoris, ut Phoebidas ad se adducat τοὺς ὑπολειπομένους τῶν ἑαυτῷ προστεταγμένων (§ 24), idque Phoebidam fecisse cognoscimus ex his verbis (§ 25): ὁ δὲ Φοιβίδας, ἐπεὶ ἠθροίσθησαν αὐτῷ οἱ ὑπολειφθέντες τοῦ Εὐδαμίδου, λαβὼν αὐτοὺς ἐπορεύετο. Atqui οἱ ὑπολειφθέντες τοῦ Εὐδαμίδου et οἱ ὑπολειπόμενοι τῶν Εὐδαμίδᾳ προστεταγμένων nulli alii esse

possunt quam οἱ μύριοι, detractis iis copiis, quas iam statim Eudamidas secum duxerat. Exspectes autem, τῶν μυρίων parte aliqua ad obtinendam Cadmeam Thebis relicta, ephoros supplementum conscripsisse: pro eo nunc legis missos iam semel τοὺς μυρίους iterum mitti. Praeficitur autem illis copiis Teleutias: quid ergo Phoebida fit? Nam quod praeter Xenophontem omnes alii scriptores narrant, Phoebidae imperium ademptum, ipsumque pecunia multatum esse (Diod. XV, 20, 3, Plut. Pel. 6, Corn. Nepos Pel. 2, Plut. Mor. III, 1, 323 Wytt), id aut falsum est aut a Xenophonte dissimulatur. Absurdissimum autem hoc est quod Teleutiam mittentes ephori socios iubent ἀκολουθεῖν Τελευτίᾳ κατὰ τὸ δόγμα τῶν συμμάχων: unde ergo collectus erat exercitus, qui vocatur οἱ ὑπολειφθέντες τοῦ Εὐδαμίδου? Nonne ex sociorum contributionibus? Et illae nonne iam cum Phoebida erant profectae? Quid ergo iterum eaedem ab iisdem sociis postulantur? Nullam unquam vidi narrationem tam sibi obloquentem.

II, 38. Teleutias σπεύδων μὲν οὐ μάλα ἐπορεύετο, ἐπιμελόμενος δὲ τοῦ μὴ ἀδικῶν τοὺς φίλους πορεύεσθαι καὶ τοῦ ὡς πλείστην δύναμιν ἀθροίζειν. Ita Graece nemo unquam locutus est, ut opinor: ἐπορεύετο, ἐπιμελόμενος τοῦ .... πορεύεσθαι. Deleto ergo πορεύεσθαι scribam ἐπιμελόμενος δὲ τοῦ μὴ ἀδικεῖν τοὺς φίλους.

Ib. Teleutias mittit ad Amyntam, is enim ab Olynthiis tantum non e regno suo eiectus erat, ab eoque postulat, ut mercennarios conducat, finitimisque regibus pecuniam det ὡς (an ὥστε?) συμμάχους εἶναι, εἴπερ βούλοιτο τὴν ἀρχὴν ἀναλαβεῖν. ἔπεμπε δὲ καὶ πρὸς Δέρδαν τὸν Ἐλιμίας ἄρχοντα, διδάσκων ὅτι οἱ Ὀλύνθιοι κατεστραμμένοι τὴν μείζω δύναμιν Μακεδονίας εἰσί, καὶ οὐκ ἀνήσουσί τὴν ἐλάττω, εἰ μή τις αὐτοὺς παύσει τῆς ὕβρεως. Opponuntur inter se Amyntae et Derdae regnum, atque hunc sic admonet Teleutias: „Olynthii Amyntae reg-

num subegerunt; tuo, quod illo minus est, non parcent". Delendum ergo censeo Μακεδονίας.

II, 39. Fines Olynthiorum ingreditur Teleutias: *καὶ πρὸς μὲν τὴν πόλιν ἰὼν οὔτ' ἔκαεν οὔτ' ἔκοπτε, νομίζων, εἴ τι ποιήσειε τούτων, ἐμποδὼν ἂν αὐτῷ πάντα γίγνεσθαι, καὶ προσιόντι καὶ ἀπιόντι· ὁπότε δὲ ἀναχωροίη ἀπὸ τῆς πόλεως, τότε ὀρθῶς ἔχειν κόπτοντα τὰ δένδρα ἐμποδὼν καταβάλλειν, εἴ τις ὄπισθεν ἐπίοι.* Arbores Teleutiam *semel* tantum cecidisse opinor, non enim eae cito renascuntur. Credo ergo verbis *ὁπότε δὲ .... ἐπίοι* sententiam quandam Teleutiae contineri, quam non in Olyntho solum sed in omnibus urbibus oppugnandis veram esse cognosset, id est, verba *ἀπὸ τῆς πόλεως* expellenda esse.

Caput III, 4. Olynthii ex urbe exeunt, quumque iam flumen traiecissent, Teleutias Tlemonidam peltastarum ducem impetum in eos facere iubet. *οἱ δὲ Ὀλύνθιοι ὡς εἶδον προθέοντας τοὺς πελταστάς, ἀναστρέψαντες ἀπεχώρουν ἥσυχοι, καὶ διέβησαν πάλιν τὸν ποταμόν. οἱ δ' ἠκολούθουν μάλα θρασέως, καὶ ὡς φεύγουσι διώξαντες ἐπιδιέβαινον.* Corrupta verba ultima esse manifestum fit e participio praeteriti temporis *διώξαντες*. Fortasse legendum est: *οἱ δ' ἠκολούθουν, καὶ μάλα θρασέως ὡς φεύγουσι διώκοντες ἐπιδιέβαινον.*

III, 5. Profligato ab Olynthiis occisoque Tlemonida iratus cum toto exercitu hostes persequi instituit Teleutias: *πολλοὶ μὲν οὖν δὴ καὶ ἄλλοι τοῦ καιροῦ ἐγγυτέρω τοῦ τείχους διώξαντες κακῶς ἀπεχώρησαν, καὶ ἐκεῖνοι δὲ ἐπεὶ ἀπὸ τῶν πύργων ἐβάλλοντο, ἀποχωρεῖν τε ἠναγκάζοντο τεθορυβημένως καὶ προφυλάττεσθαι τὰ βέλη.* Ita conformata haec sententia est, ut non possis non putare totam ad Olynthi oppugnationem pertinere, et inter se opponi duas partes exercitus Teleutiae. Non tamen hoc vult Xenophon, sed primum in universum docet periculosum esse nimis prope ad moenia oppugnatae urbis accedere, deinde a Teleutiae exercitu eiusque interitu exem-

plum petit. Non ergo *τοῦ τείχους* legendum est, sed *τείχους* sine articulo. Cf. quae dixi ad c. II, 39.

III, 8. Nuntiata clade ab Olynthiis accepta et Teleutiae morte Lacedaemoniis visum est *οὐ φαύλην πεμπτέον δύναμιν εἶναι, ὅπως τό τε φρόνημα τῶν νενικηκότων κατασβεσθείη καὶ μὴ μάτην τὰ πεποιημένα γένοιτο.* Admodum friget istud *πεποιημένα.* Quid si Xenophon scripsit *τὰ προπεπονημένα*?

III, 13. Phliasiorum exules, Spartanorum postulatu in civitatem recepti, ubi a civibus non impetrant quae ipsis iusta et aequa videntur, Spartam conquestum veniunt: multa ergo iis a Phliasiorum civitate dicitur. Eorum causa Spartani Phliasiis bellum indicunt: *ἦν δὲ οὐδὲ τῷ Ἀγησιλάῳ ἀχθομένῳ ταῦτα· καὶ γὰρ τῷ μὲν πατρὶ αὐτοῦ Ἀρχιδάμῳ ξένοι ἦσαν οἱ περὶ Ποδάνεμον, καὶ τότε τῶν κατεληλυθότων ἦσαν κτέ.* Haec ut aliquo modo cohaereant, ultima verba sic refingenda sunt: *οἳ τῶν τότε κατεληλυθότων ἦσαν.*

III, 21. Agesilaus Phliuntem urbem obsidione clausam tenet: iamque elapsum est tempus, in quod commeatus in urbe esse dicebatur: *τοσοῦτον γὰρ ἐγκράτεια γαστρὸς διαφέρει ὥστε οἱ Φλιάσιοι τὸν ἥμισυν ψηφισάμενοι σῖτον ἀλεῖν ἢ πρόσθεν, καὶ ποιοῦντες τοῦτο, τὸν διπλάσιον τοῦ εἰκότος χρόνον πολιορκούμενοι διήρκεσαν. καὶ τόλμα δὲ ἀτολμίας ἔσθ' ὅτε τοσοῦτον διαφέρει ὥστε κτέ.* Quid sit *τόλμα ἀτολμίας τοσοῦτον διαφέρει* intelligo, quamquam, quod illis verbis additur, *ἔσθ' ὅτε* molestum mihi est: non enim interdum sed semper et ubique fortitudo ignaviae mirum quantum praestat. Sed prorsus sensu cassum videtur *τοσοῦτον ἐγκράτεια γαστρὸς διαφέρει*: non enim propter sequens *τοσοῦτον τόλμα ἀτολμίας διαφέρει* ea verba sic interpretari licet, ut *γαστρός* sit genitivus obiectivus ab *ἐγκράτεια* pendens, verbum autem *διαφέρει* absolute sit positum.

III, 24. Agesilaus, dum Phliasiorum legatio Spartam proficiscitur, *φυλακῇ ἔτι ἰσχυροτέρᾳ ἢ πρότερον ἐφύλαττεν, ἵνα*

μηδεὶς τῶν ἐκ τῆς πόλεως ἐξίοι. Articulus τῶν ferendus hic non est.

III, 26. Polybiades Olynthios in urbe inclusos fame et inopia urget, tandemque eos cogit Spartam legatos mittere de pace: οἱ δὲ ἐλθόντες πρέσβεις αὐτοκράτορες συνθήκας ἐποιήσαντο κτέ. Οἱ ἐλθόντες πρέσβεις nihili est: lege ergo aut: ἐλθόντες δὲ πρέσβεις αὐτοκράτορες, aut, quod probabilius etiam est: οἱ δὲ πρέσβεις ἐλθόντες αὐτοκράτορες. Solemne enim est αὐτοκράτωρ ἥκω vel ἔρχομαι. Cf. II, 2, 19: Θηραμένης δέ καὶ οἱ ἄλλοι πρέσβεις ἐπεὶ ἦσαν ἐν Σελλασίᾳ, ἐρωτώμενοι ἐπὶ τίνι λόγῳ ἥκοιεν, εἶπον ὅτι αὐτοκράτορες περὶ εἰρήνης κτέ.

III, 27. Absoluta narratione de civitatibus Graecis post pacem Antalcideam a Spartanis subactis vel coercitis sequuntur haec: προκεχωρηκότων δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις ὥστε Θηβαίους μὲν καὶ τοὺς ἄλλους Βοιωτοὺς παντάπασιν ἐπ' ἐκείνοις εἶναι, Κορινθίους δὲ πιστοτάτους γεγενῆσθαι, Ἀργείους δὲ τεταπεινῶσθαι διὰ τὸ μηδὲν ἔτι ὠφελεῖν αὐτοὺς τῶν μηνῶν τὴν ὑποφοράν, Ἀθηναίους δὲ ἠρημῶσθαι, τῶν δ' αὖ συμμάχων κεκολασμένων οἳ δυσμενῶς εἶχον αὐτοῖς, παντάπασιν ἤδη καλῶς καὶ ἀσφαλῶς ἡ ἀρχὴ ἐδόκει αὐτοῖς κατεσκευάσθαι, in quibus verba διὰ τὸ μηδὲν ἔτι ὠφελεῖν αὐτοὺς τῶν μηνῶν τὴν ὑποφοράν propter ceterorum brevitatem ferri non posse recte iam est observatum. Sed totam hanc ἀνακεφαλαίωσιν a Xenophonte profectam esse credere non possum. Minime enim necessarium est hic lectori omnia in mentem revocari, in quibus inde ab initio belli Corinthiaci prospera fortuna usi sunt Spartani; nam paulo ante (in capitis primi fine) commoda enumerantur, quae Spartanis e pace Antalcidea nata sunt: illis nunc ea adduntur, quae ipsis capitibus II et III narrata sunt, quorumque neminemdum oblitum esse opinor (Θηβαίους μὲν καὶ τοὺς ἄλλους Βοιωτοὺς ἐπ' ἐκείνοις εἶναι et τῶν συμμάχων κεκολασμένων οἳ δυσμενῶς εἶχον αὐτοῖς) et praeterea haec: Ἀθηναίους δὲ ἠρη-

μῶσθαι, quae ab ipso Xenophonte aut nusquam in *ἀνακεφαλαιώσει* poni poterant, aut ponenda erant eo loco, quem supra indicavi, id est in fine capitis I: nihil enim *narravit* Xenophon, e quo appareat solos esse relictos Athenienses, sed ex ipsius pacis Antalcideae legibus ea *ἐρημία* nascebatur. Desumptum autem ex capitis I fine totum hunc locum esse a sciolo, qui brevem capitum II et III addiderit conspectum, hinc vel maxime apparet: post illam *ἀνακεφαλαίωσιν* ita Xenophon narrare pergit: *τούτων δὲ προκεχωρηκότων ὡς ἐβούλοντο.* Illud autem *προκεχωρηκότων* hic repetitur sed infelicissime et contra sanae syntaxeos leges adhibetur: legitur enim *προκεχωρηκότων τοῖς Λακεδαιμονίοις ὥστε....* quod Graecum non est.

Caput quartum a philosphemate quodam de certa numinis divini vindicta incipit, sed ne illud quidem a Xenophonte scriptum esse verisimile videtur. Thebanae enim arcis occupatio ad facta impia refertur, iustasque illius poenas dedisse Spartanos contenditur. Sed neque in illius rei narratione tam severe et acerbe de ea iudicat: acquiescere eum dicas in Agesilai patroni sui iudicio (II, 32): *εἰ μὲν βλαβερὰ τῇ Λακεδαίμονι πεπραχὼς εἴη* (Phoebidas), *δίκαιος εἴη ζημιοῦσθαι, εἰ δὲ ἀγαθά, ἀρχαῖον εἶναι νόμιμον ἐξεῖναι τὰ τοιαῦτα αὐτοσχεδιάζειν*, et quod in illa occupatione iniustum impiumque est, id omne a *civitate* Spartanorum in caput *τῶν αὐτοσχεδιαζόντων* convertere Xenophon nititur. Haud ergo probabile est Xenophontem paucarum paginarum spatio tam aperte et inepte sibi obloqui. Sed videamus philosophematis istius sermonem: ibi enim insunt quaedam, quae manifesto sciolum produnt: inani laborat verbositate, quae nullum lectorem fugere potest, et prae ceteris duo sunt, quae displiceant: dicit enim deos non *ἀμελεῖν οὔτε τῶν ἀσεβούντων οὔτε τῶν ἀνόσια ποιούντων.* Nulla autem est differentia inter *ἀσεβεῖν* et

ἀνόσια ποιεῖν, et si iam levis tenuisque quaedam differentia est, certe ea ad occupationem Thebanae arcis referri non potest: qui enim illam fraudem perpetrarunt dici possunt vel ἀσεβῆσαι vel ἀνόσια ποιῆσαι prorsus eodem sensu. Deinde ubi scriptor haec dixit: „multa et e Graecorum et e barbarorum historia afferri possunt exempla, e quibus appareat facta impia immortales non latere", sic pergit: νῦν γε μὴν λέξω τὰ προκείμενα, quibus verbis hoc loco necessarium est hunc tribuere sensum „nunc tamen exemplum petam a rebus ipsis, quas nunc tracto", ita ut a communi quadam sententia ad singulare quoddam factum transeat. Ex linguae autem Graecae natura ea verba nihil aliud significare possunt quam: „nunc ad propositum transeo", recteque ergo non nisi post longam digressionem poni possunt.

Igitur eo res redit, ut censeam capitis tertii finem et quarti initium addita esse a sciolo ad implendam lacunam, quam ipse in suo libro reliquerit Xenophon.

IV, 2. ἐγραμμάτευε τοῖς περὶ Ἀρχίαν πολεμάρχοις. Duo polemarchi erant (II, 25 et 35), et οἱ περὶ Ἀρχίαν ipse Archias est; ergo vocabulum πολεμάρχοις huc e margine irrepsisse credam potius quam ad explicationes subtiles ridiculasque confugiam. Neque ferri potest quod mox legitur τὴν περὶ Ἀρχίαν τε τὸν πολεμαρχοῦντα καὶ τὴν περὶ Φίλιππον τυραννίδα. Lege τὴν περὶ Ἀρχίαν τε καὶ Φίλιππον τυραννίδα ceteris deletis. Ad intelligendum polemarchos fuisse Archiam et Philippum ipsis verbis πολέμαρχος et πολεμαρχεῖν opus non est.

IV, 4. Phyllidas τά τε ἄλλα ἐπεμελεῖτο τοῖς πολεμάρχοις ὡς Ἀφροδίσια ἄγουσιν ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς. Vide doctos editores, docentes Ἀφροδίσια ἄγειν proverbiale dictum esse pro: „superatis laboribus genio indulgere". Nonne ergo ὥσπερ pro ὡς legendum est?

IV, 8. Phoebidas ad carcerem venit custodique dicit ὅτι

ἄνδρα ἄγοι παρὰ πολεμάρχων ὃν εἶρξαι δέοι. Quidni *παρὰ τῶν πολεμάρχων*, ut supra?

IV, 9. Graecum non est, quod legitur: *ἔπεμψαν δ' ἱππέας οἱ κατεληλυθότες καὶ ἐπὶ τοὺς πρὸς τοῖς ὁρίοις Ἀθηναίων τοὺς δύο τῶν στρατηγῶν*, neque Xenophontis manus restituitur altero *τούς* (quod ante *δύο* legitur) delendo. Lacunosus totus hic locus est, quod e sequentibus fit manifestum.

IV, 11. Oppugnant arcem exules Thebani: *ὡς δ' ἔγνωσαν οἱ ἐν τῇ ἀκροπόλει ὀλίγοι ὄντες, τήν τε προθυμίαν τῶν προσιόντων ἁπάντων ἑώρων, καὶ τῶν κηρυγμάτων μεγάλων γιγνομένων τοῖς πρώτοις ἀναβᾶσιν, ἐκ τούτου κτέ.* Male haec cohaerent. Si enim *ἔγνωσαν ὀλίγοι ὄντες* significat: „paucos se esse intellexerunt", particula *τε* non potest inservire verbis *ἔγνωσαν* et *ἑώρων* inter se iungendis; ea enim ad sequens *καί* pertinet. Neque satis concinna haec sunt: *ὡς .... τήν τε προθυμίαν .... ἑώρων, καὶ τῶν κηρυγμάτων μεγάλων γιγνομένων*: Xenophonteae certe orationi eiusmodi anacoluthia non convenit. Deest autem verbum, unde genitivus *κηρυγμάτων μ. γ.* pendere possit; nullumque aptius est quam *ἤκουον*, quod ergo post *κηρυγμάτων* inserendum videtur. Praeterea aut *καί* ante *τήν τε προθυμίαν* inserendum, aut, quod probabilius videtur, *ἔγνωσαν* delendum est: suspicionem enim movet aoristus *ἔγνωσαν* cum imperfecto *ἑώρων* iunctus.

IV, 13. Thebanis bellum indicunt Spartani: *καὶ Ἀγησίλαος μὲν λέγων ὅτι ὑπὲρ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης εἴη, καὶ ὥσπερ τοῖς ἄλλοις τοῖς τηλικούτοις οὐκέτι ἀνάγκη εἴη τῆς ἑαυτῶν ἔξω στρατεύεσθαι, οὕτω δὴ καὶ βασιλεῦσι τὸν αὐτὸν νόμον ὄντα ἀπεδείκνυ· κἀκεῖνος μὲν δὴ λέγων ταῦτα οὐκ ἐστρατεύετο.* Soloecum videtur *τοῖς ἄλλοις τοῖς τηλικούτοις*, delendumque alterum *τοῖς*. Tota autem sententia inepte composita est: ut concinna fiat, particula *καί* (quae ante *ὥσπερ* legitur) eximenda est.

IV, 17. Redeunte e Boeotia Cleombroto vehemens oritur

procella, quam nonnulli futurorum praesagium esse crediderunt: *πολλὰ μὲν γὰρ καὶ ἄλλα γενναῖα ἐποίησεν κτἑ.* Nihili est *γενναῖα.* Emendatio nondum reperta videtur: quod enim nonnulli coniecerunt *βίαια* neque hic convenit, et a lectione tradita nimium recedit.

IV, 20. Metus Thebanos incessit *εἰ μηδένες ἄλλοι ἢ αὐτοὶ πολεμήσοιεν τοῖς Λακεδαιμονίοις.* Fuit quum putarem *μηδένες ἄλλοι ἢ* e margine irrepsisse, ibique ea verba fuisse posita ad explicandam vim pronominis *αὐτοί.* Meliora tamen *αἱ δεύτεραι φροντίδες* me docuerunt. Non enim ea res metum Thebanis incussit, quod ipsi sine sociis essent, sed quod Spartani, nisi et alibi iis esset bellum gerendum, omnes suas vires in ipsos convertere possent.

IV, 24. Sphodrias Spartanus, a Thebanis subornatus, in Piraeum incursionem facit. Qua re cognita Athenienses Spartanorum legatos tamquam conscios comprehendunt. Legati autem illi *ἐκπεπληγμένοι τε ἦσαν τῷ πράγματι καὶ ἀπελογοῦντο ὡς οὐκ ἄν ποτε οὕτω μῶροι ἦσαν, ὡς εἰ ᾔδεσαν καταλαμβανόμενον τὸν Πειραιᾶ, ἐν τῷ ἄστει ἂν ὑποχειρίους αὐτοὺς παρεῖχον.* Particula *ἄν*, quae prior legitur, sincera esse non potest. Haec enim legatorum verba sunt: *οὐκ ἐσμὲν οὕτω μῶροι ὡς εἰ ᾔδειμεν .... παρείχομεν ἄν.* Sed neque placet quod sequitur *ποτε.* Quid autem pro *ἄν ποτε* legendum sit non statuo. Requiritur fere *δήπου.*

IV, 25. *Ἦν υἱὸς τῷ Σφοδρίᾳ ἡλικίαν τε ἔχων τὴν ἄρτι ἐκ παίδων, Κλεώνυμος ὄνομα, καὶ ἅμα κάλλιστός τε καὶ εὐδοκιμώτατος τῶν ἡλίκων.* Necessario his participium *ὤν* addendum est.

IV, 28. Agesilai filius Archidamus amore Cleonymi captus huic promisit, se a patre suo petiturum ut auxilium suum praestet Sphodriae, Cleonymi patri, proditionis reo, sed non audet de ea re patrem alloqui. Mane surgit, custodiamque agit, ne se inscio pater exeat. Ubi exeuntem videt, primum

si quis civium adest, illum prius cum Agesilao loqui sinit, deinde hospitibus, postremo etiam famulis concedit. *τέλος δὲ ἐπεὶ ἀπὸ τοῦ Εὐρώτα ἀπιὼν ὁ Ἀγησίλαος εἰσῆλθεν οἴκαδε, ἀπιὼν ᾤχετο οὐδὲ προσελθών.* Quid sub vocibus *τοῦ Εὐρώτα* lateat, pro certo quidem statuere non audeo; sed sanas eas esse vix credo. An censeamus quotidie natatum ad flumen iisse Agesilaum? Suspicor tamen legendum esse *ἀπὸ τῆς Γερωίας.*

IV, 30. Graeca non esse videntur, quae Agesilaus respondisse fertur filio pro Sphodria auxilium imploranti: *ἀλλὰ σοὶ μὲν ἔγωγε συγγνώμην ἔχω· αὐτὸς μέντοι ὅπως ἂν συγγνώμης τύχοιμι παρὰ τῆς πόλεως ἄνδρα μὴ καταγιγνώσκων ἀδικεῖν οἷς ἐχρηματίσατο ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως οὐχ ὁρῶ.* Ferri enim non potest *ἄνδρα* sine articulo, nisi suum sibi habet pronomen relativum, et *ἀδικεῖν οἷς ἐχρηματίσατο* nihili est. Sed deleto *ἄνδρα* pro *οἷς* legendum esse censeo *ὅστις.*

IV, 35. Ab Agesilao petunt ephori, ut imperium copiarum, quae adversus Thebanos mittuntur, suscipiat: *ὁ δὲ εἰπὼν ὅτι οὐδὲν ἂν ὃ τῇ πόλει δοκοίη ἀντειπεῖν, παρεσκευάζετο εἰς τὴν ἔξοδον.* Soloeca sententiae structura corrigi potest inserendo *ἔχοι* post *ἀντειπεῖν.*

IV, 36. In Thebanos profecturus Agesilaus, cupiensque Cithaeronem occupatum esse ab amicis ante adventum suum, cognito Clitorios et Orchomenios inter se bellum gerere et mercennarios conduxisse *ἐκοινολογήσατο αὐτοῖς, ὅπως γένοιτο τὸ ξενικὸν αὐτῷ, εἴ τι δεηθείη.* Quum verbum *γένοιτο* non praebeat sententiam, quae hic requiritur — volebat enim Agesilaus *praesto* sibi illos mercennarios esse, si opus esset — Rinkesius nostras et Dindorfius coniecerunt *προσγένοιτο.* Sed ne hoc quidem mihi satisfacit. Credo autem *γένοιτο* in locum verbi *ὑπάρξοι* irrepsisse: id enim solum huic loco convenit.

IV, 39. Quum quondam in castra cum exercitu rediret Agesilaus, equites Thebanorum, occulti antea, subito e vallo

suo erumpunt, *καὶ οἷα δὴ ἀπιόντων πρὸς δεῖπνον καὶ συσκευαζόντων τῶν πελταστῶν, τῶν δὲ ἱππέων τῶν μὲν ἔτι καταβεβηκότων, τῶν δὲ ἀναβαινόντων, ἐπελαύνουσι.* Nihili, ut opinor, est *τῶν μὲν ἔτι καταβεβηκότων*: non enim tam faciles sumus, ut credamus ea verba significare *οὔπω ἀναβαινόντων*, quod, si quid opponendum est verbis *τῶν δὲ ἀναβαινόντων*, necessario hic requiritur; quamquam vel sic apud *ἀναβαινόντων* aegre desideres *ἄρτι*, vel *ἔτι*, vel eiusmodi vocabulum. Bene factum est quod ipsa rerum natura nos docet, quid sit legendum. Narratur enim Thebanos ausos esse in Spartanos impetum facere (*ἐπελαύνουσι*), quos antea adeo timerent, ut intra vallum sese continerent. Quare autem id facere ausi sunt? Quia hostes ad resistendum parati non erant. Quare parati non erant? Quia modo in castra redierant. Ergo pedites iam coenam parare coeperant, equites partim de equis descenderant, partim etiam descendebant. Quapropter sic legendum censeo:

τῶν δὲ ἱππέων τῶν μὲν ἤδη καταβεβηκότων τῶν δὲ καταβαινόντων
vel: *τῶν δὲ ἱππέων τῶν μὲν ἔτι καταβαινόντων τῶν δὲ καταβεβηκότων.*

IV, 42. Dum Phoebidas agrum Thebanum agit feritque, Thebani in Thespiensium agrum incursiones faciunt. *ἐπεὶ δὲ ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ, ὁ Φοιβίδας σὺν τοῖς πελτασταῖς προσκείμενος οὐδαμοῦ εἴα αὐτοὺς ἀποσκεδάννυσθαι τῆς φάλαγγος.* Pro *οὐδαμοῦ* legendum est *οὐδαμοῖ.*

IV, 46. Thebani feroces facti *ἐστρατεύοντο εἰς Θεσπιὰς καὶ εἰς τὰς ἄλλας τὰς περιοικίδας πόλεις.* Deleatur articulus, qui post *ἄλλας* legitur.

IV, 51—53. Graviter interpolatus hic locus videtur, quod efficitur ex inepta repetitione vocabulorum *ὅμως* et *μέντοι.* Brevissimo enim intervallo haec leguntur: 51 *καὶ μέντοι.... ὅμως μέντοι.* 52 *οἱ μέντοι.... ὅμως δὲ καί.* 53 *ὡς μέντοι....*

ὅμως δὲ οἱ.... 54 ὁ μέντοι. Deinde et haec molestiam pariunt: 51 *ἀπολιπόντες ἔνθα παρατεταγμένοι ἦσαν*, ubi excidisse videtur post *ἀπολιπόντες*: *τοὺς λόφους*. 52 *καὶ ἀπὸ τούτου τοῦ λόφου ἐτράπησαν οἱ Θηβαῖοι*: non enim in praecedentibus *unius* collis fit mentio, sed leguntur haec: *οἱ μέντοι Θηβαῖοι ἀπὸ τῶν λόφων τὰ δόρατα ἐξηκόντιζον.*

IV, 54. *Θρασέως δὲ παρακολουθούντων τῶν πελταστῶν, οἳ ἦσαν μισθοφόροι τοῖς Θηβαίοις, καὶ τὸν Χαβρίαν ἀνακαλούντων, ὅτι οὐκ ἠκολούθει κτἑ.* Suspicionem movet verbum *ἀνακαλούντων*, cui inepte rationis reddendae causa adduntur verba *ὅτι οὐκ ἠκολούθει.* Requiritur fere: *προδότην ἀποκαλούντων.*

IV, 66. Timotheus Atheniensis cum classe contra Spartanos missus victoriam reportat, *καὶ τρόπαιον ἔστησεν ἐν Ἀλυζίᾳ.* Nicolochus autem dux Spartanorum *ἀνειλκυσμένων τῶν Τιμοθέου νεῶν καὶ ἐπισκευαζομένων, ἐπεὶ προσεγένοντο αὐτῷ αἱ Ἀμβρακιώτιδες ἓξ τριήρεις, ἐπὶ τὴν Ἀλυζίαν ἔπλευσεν.* Quis ferre potest verba quae his a sciolo addita sunt: *ἔνθα ἦν ὁ Τιμόθεος*?

LIBER VI.

Caput I, 5. „Socias habeo" ita ad Polydamam Pharsalium loquitur Iason Pheraeus „plurimas maximasque Thessaliae civitates: *κατεστρεψάμην δὲ αὐτὰς ὑμῶν σὺν αὐταῖς τὰ ἐναντία ἐμοὶ στρατευομένων*". Vehementer dubito num bene Graecum sit *τὰ ἐναντία στρατεύεσθαι.* Rectum esset: *τὰ ἐναντία ἐμοὶ πραττόντων*, atque eiusmodi aliquid hic olim lectum fuisse suspicor.

I, 8. Persuadere Polydamae Pharsalio conatur Iason Pheraeus ut sua adiuvet consilia, dicens: „novi, Polydama, te apud cives tuos in summo honore esse: si ergo civitatem

tuam meo adiunxeris imperio, te omnium Graecorum, me uno excepto, primum faciam: cognosce nunc quantum ego habiturus sim imperium Pharsalo addita, ut scias quanta futura sit tua potestas, qui me uno sis futurus inferior: *οὐκοῦν τοῦτο μὲν εὔδηλον ἡμῖν, ὅτι Φαρσάλου προσγενομένης καὶ τῶν ἐξ ὑμῶν ἠρτημένων πόλεων εὐπετῶς ἂν ἐγὼ ταγὸς Θετταλῶν ἁπάντων κατασταίην· ὥς γε μήν, ὅταν ταγεύηται Θετταλία, εἰς ἑξακισχιλίους μὲν οἱ ἱππεύοντες γίγνονται, ὁπλῖται δὲ πλείους ἢ μύριοι καθίστανται.*" Sententiae Graecae, quas citavi, male inter se cohaerent, eaque, quae ab *ὥς γε μήν* incipit, *ἀκέφαλος περιέρχεται.* Pro *ὥς γε μήν* equidem scribam: *οἶσθά γε μὴν ὡς* .... Sed fieri potest, ut totus hic locus graviori morbo et communi quadam perturbatione laboret. Ita enim pergit Iason, ut dicat, illorum militum eam esse fortitudinem eamque virtutem, ut nullos iis resistere posse hostes confidat. Sequuntur haec: *πλατυτάτης γε μὴν γῆς οὔσης Θετταλίας, πάντα τὰ κύκλῳ ἔθνη ὑπήκοα μέν ἐστιν ὅταν ταγὸς ἐνθάδε καταστῇ.* In quibus molesta est istud *ὅταν ταγὸς ἐνθάδε καταστῇ*, quum brevissimo intervallo praecedat: *ὅταν ταγεύηται Θετταλία.* Sed prorsus ferenda non est absurda argumentatio: verbis enim *πλατυτάτης γε μὴν γῆς οὔσης Θετταλίας* nihil aliud demonstrari potest quam hoc: *εἰκός ἐστιν ἀρίστους εἶναι τοὺς ἐνθάδε ἱππέας* et eiusmodi aliquid hic requiri e sequentibus manifestum fit, ubi demonstratur, quare necesse sit praestantissimos esse peltastas Thessalorum: *σχεδὸν δὲ πάντες οἱ ταύτῃ ἀκοντισταί εἰσιν· ὥστε καὶ πελταστικῷ εἰκὸς ὑπερέχειν τὴν ἡμετέραν δύναμιν.*

I, 10. *καὶ μὴν Βοιωτοί γε καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ὅσοι Λακεδαιμονίοις πολεμοῦντες ὑπάρχουσί μοι σύμμαχοι.* Claudicat sententia: legendum est aut *οἱ* pro *ὅσοι*, aut *πολεμοῦσιν* pro *πολεμοῦντες.*

I, 13. Narratis ergo Iasonis postulatis, ita Spartanos alloqui pergit Polydamas: *ἐπεὶ δὲ ταῦτ' εἰπόντος αὐτοῦ ἐγὼ ἀπεκρινάμην,*

ὅτι τὰ μὲν ἄλλα ἀξιόσκεπτα λέγει, τὸ δὲ Λακεδαιμονίοις ὄντας φίλους ἀποστῆναι πρὸς τοὺς ἐναντίους, μηδὲν ἔχοντας ἐγκαλεῖν, τοῦτ', ἔφην, ἄπορόν μοι δοκεῖ εἶναι· ὁ δὲ ἐπαινέσας με καὶ εἰπὼν ὅτι μᾶλλον ἐκτέον μου εἴη, ὅτι τοιοῦτος εἴην ἀφῆκέ μοι ἐλθόντι πρὸς ὑμᾶς λέγειν τἀληθῆ. Elegans locus duplici corrumpitur vitio. Nimis enim dura est anacoluthia, quam vocabulum ἐπεί in initio positum efficit: quum enim illud cum verbo ἀπεκρινάμην iungendum sit, apodosi caret sententia; neque probabile est Xenophontem, qui limpidam amat orationem, nulla necessitate coactum, sententiarum structuras turbasse: abiecto autem ἐπεὶ δὲ leniter decurret orationis flumen. Deinde Graecum non est ἀφῆκέ μοι, pro quo legendum videtur ἐφῆκέ μοι.

Ib. „Iussit me Iason" ita narrare pergit Polydamas „a vobis, Spartani, auxilium petere: quodsi tibi, Iason inquit, a diis contigerit, ut Spartanis persuadeas, ut tibi idonea mittant auxilia, belli fortunam experiamur. ἐὰν δέ σοι μὴ δοκῶσιν ἱκανῶς βοηθεῖν, οὐκ ἤδη ἀνέγκλητος ἂν δικαίως εἴης ἐν τῇ πατρίδι, ἥ σε τιμᾷ καὶ σὺ πράττεις τὰ κράτιστα." Non obscura, sed sensu cassa esse Graeca verba, quae descripsi, quisque videre potest. Quod requiritur hoc est: „sin Spartani tibi non videbuntur idonea mittere auxilia, bellum vel gerere vel suadere civibus tuis non poteris, quin gravem committas culpam in patriam tuam, quae te magni facit, et in qua tu flores felicissimaque sorte uteris". Primaria autem argumenti pars, quae est in verbis: „bellum vel gerere vel suadere non poteris", in Graecis desideratur.

I, 17. Audita Polydamae legatione parati quidem erant Spartani auxilium ferre Pharsaliis; sed a proposito desistere cogebantur reputantes: τάς τε ἔξω μόρας ὅσαι αὐτοῖς εἶεν καὶ τὰς περὶ Λακεδαίμονα πρὸς τὰς ἔξω τῶν Ἀθηναίων τριήρεις κτέ. Pro ἔξω (τῶν Ἀθηναίων τριήρεις) Pluygersius coniecit ἑξήκοντα, eamque coniecturam probavit Dindorfius. Vereor ne non recte.

Cum *sexaginta* enim navibus iamdudum finem fecerat τοῦ περιπλεῖν τὴν Πελοπόννησον Timotheus, Corcyramque occupaverat (V, 4, 64). Praeterea e V, 4, 66 cognoscimus Timotheum, navibus Corcyraeorum accedentibus, iam plus quam *septuaginta* naves habere; ergo de classe Atheniensi *sexaginta* navium iam non potest sermo esse.

Caput II, 7. Mnasippus Spartanus cum classe mittitur ad expugnandam Corcyram, quae insula paulo ante ad Timotheum et Athenienses defecerat: is primum tantum praedae agit, ut milites omnibus rebus abundent. ἔπειτα δὲ κατεστρατοπεδεύσατο τῷ μὲν πεζῷ ἐπὶ λόφῳ ἀπέχοντι τῆς πόλεως ὡς πέντε στάδια πρὸ τῆς χώρας ὄντι, ὅπως ἀποτέμνοιτο ἐντεῦθεν, εἴ τις ἐπὶ τὴν χώραν τῶν Κερκυραίων ἐξίοι. Collis ergo ille, ubi castra ponit Mnasippus, inter urbem erat et agros Corcyraeorum, unde intelligitur hoc fuisse Mnasippi consilium, ut insulanos inopia premeret. Hactenus omnia sunt perspicua, sed sequitur aliquid, quod totam perturbet narrationem: εἴ τις ἐπὶ τὴν χώραν τῶν Κερκυραίων ἐξίοι. Intelligi haec possent, si Mnasippus venisset, non ut urbem expugnaret, sed ut eam contra vicinorum incursiones defenderet; nihil enim aliud ea verba significare possunt quam: si quis in Corcyraeorum agrum expeditionem faceret. Credo verba ἐπὶ τὴν χώραν olim in margine fuisse adscripta ab eo, qui, quid Mnasippus vellet, nondum satis e praecedentibus apparere putaret, eaque verba, quae neque ipsa satis bene Graeca sunt (praestaret enim εἰς τὴν χώραν), perverso loco in textum irrepsisse. Iis autem deletis nemini obscurum esse potest, ab agris interclusos esse a Mnasippo Corcyraeos, ne inde commeatum peterent.

II, 11. Auxilio Corcyraeis Athenienses sexcentos mittunt peltastas duce Stesicle, et ab Alceta Epiri rege petunt, ut eos navibus transmittat: καὶ οὗτοι μὲν νυκτὸς διακομισθέντες που

τῆς χώρας εἰσῆλθον εἰς τὴν πόλιν. Non *που*, ut opinor, legendum est, sed *ποι*. Vulgatam lectionem ab editoribus ferri et defendi mirum non est: illi enim etiam interpretationes excogitarunt absurdissimae omnium lectionis *ἐπὶ τῶν νήσων ποι ἀφιγμένος* (V, 1, 2); ubi si *τῶν νήσων που ἀφιγμένος* legeretur, paratum esset novum sophisma grammaticum. Nihil fere est, quod illi non defendant annotando „praegnanter dictum".

II, 15. Mnasippus cognito Corcyraeos tantopere inopia laborare, ut ne servos quidem transfugas, ab ipso remissos, in urbem recipiant, ergoque multos eorum extra urbem fame interire, *ἐνόμιζέ τε ὅσον οὐκ ἤδη ἔχειν τὴν πόλιν καὶ περὶ τοὺς μισθοφόρους ἐκαινούργει.* Verbum *καινουργεῖν* de eo usurpatur, qui novas leges, novos mores, nova instituta introducit. Is ergo *περὶ στρατιώτας καινουργεῖν* dici potest dux, qui novo more eos armat, instruit, exercet, qualia de Chabria, Iphicrate, Agesilao legimus. Quae autem Mnasippi fuit erga mercennarios *καινουργία*? Videamus, quae sequuntur: *τοὺς μέν τινας αὐτῶν ἀπομίσθους ἐπεποιήκει, τοῖς δ' οὖσι καὶ δυοῖν ἤδη μηνοῖν ὤφειλε τὸν μισθόν, οὐκ ἀπορῶν, ὡς ἐλέγετο, χρημάτων.* Istiusmodi autem negligentiam incuriamque e socordia stultaque arrogantia natam *καινουργίαν* appellare absurdum videtur. Emendationem huius loci mihi repperisse videor, tam certam quam necessariam. Legendum enim est *ἐρᾳδιούργει*, quod et facile in *ἐκαινούργει* abire potuit (postquam enim semel pro *ἐ*ΡΑΙΔΙ*ούργει* lectum est *ἐ*ΡΑΙΝ*ούργει*, haud difficile est ad intelligendum aliquem id ita correxisse scilicet, ut *ἐκαινούργει* scriberet), et huic loco accommodatissimum est. Conferatur enim Cyrop. I, 6, 8: *ἐγὼ δὲ οἶμαι τὸν ἄρχοντα οὐ τῷ ῥᾳδιουργεῖν χρῆναι διαφέρειν τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ τῷ προνοεῖν καὶ φιλοπονεῖν προθυμούμενον.*

II, 28. Iphicrates ex quo Peloponnesum circumnavigare

coepit ἅμα μὲν ἔπλει, ἅμα δὲ πάντα ὅσα εἰς ναυμαχίαν παρεσκευάζετο.... πολλάκις δὲ καὶ ὅπου μέλλοι ἀριστοποιεῖσθαι τὸ στράτευμα ἢ δειπνοποιεῖσθαι, ἐπανήγαγεν ἂν τὸ κέρας ἀπὸ τῆς γῆς κατὰ ταῦτα τὰ χωρία. Verba ἐπανήγαγεν κτἑ sensu cassa sunt; certe sensum restituit Schneiderus legendo ἐπανῆγεν ἂν ἐπὶ κέρως κατὰ ταῦτα τὰ χωρία, neque dubie imperfectum ἐπανῆγεν pro aoristo ἐπανήγαγεν legendo turpem soloecismum sustulit. Sequuntur haec: ἐπεὶ δ' ἐπιστρέψας ἂν καὶ ἀντιπρῴρους καταστήσας τὰς τριήρεις ἀπὸ σημείου ἀφίει ἁμιλλᾶσθαι εἰς τὴν γῆν, μέγα δὴ νικητήριον ἦν τὸ πρώτους καὶ ὕδωρ λαβεῖν κτἑ. Turpis hic quoque soloecismus est: ἐπεὶ .... ἂν .... ἀφίει, neque dubitari potest, quin legendum sit: ἐπεὶ ἀφιείη deleto ἄν.

II, 29. Iphicrates, dum in alto erat, milites de malis prospicere iubebat: πολὺ οὖν πλέον οὗτοι καθεώρων ἢ οἱ ἐκ τοῦ ὁμαλοῦ. Pueriliter his additur: ἀφ' ὑψηλοτέρου καθορῶντες.

II, 32. Finita narratione de egregiis consiliis militaribus, quibus Iphicrates in navigando usus est, inepta additur de illis ipsis disputatio, non, ut opinor, a Xenophonte, verum a male sedulo lectore. Nihil enim ex ea discimus, quod non multo melius ex ipsa narratione cognoscatur, et inest orationis vitium gravissimum: εὕρετο ὅπως .... μήτε ἀνεπιστήμονας εἶναι. Non adeo omnia sanae grammaticae praecepta susque deque habet Xenophon.

II, 33. Corcyram venit Iphicrates: ἐκεῖ δὲ πρῶτον μὲν ἀκούσας ὅτι προσπλέοιεν δέκα τριήρεις παρὰ Διονυσίου, βοηθήσουσαι τοῖς Λακεδαιμονίοις, αὐτὸς ἐλθὼν καὶ σκεψάμενος τῆς χώρας ὅθεν τούς τε προσπλέοντας δυνατὸν ἦν ὁρᾶν καὶ τοὺς σημαίνοντας εἰς τὴν πόλιν καταφανεῖς εἶναι, ἐνταῦθα κατέστησε τοὺς σκοπούς. Post illud πρῶτον μέν in cetera narratione exspectes ἔπειτα δέ, sed frustra id ibi quaeras. Non tamen de recta lectione restituenda desperandum est, nam et in sequentibus vitium deprehenditur, quod eadem opera corrigi potest. Legitur enim :

κἀκείνοις μὲν συνέθετο προσπλεόντων τε καὶ ὁρμούντων ὡς δέοι σημαίνειν. αὐτὸς δὲ τῶν τριηράρχων προσέταξεν εἴκοσιν, οὓς δεήσοι, ἐπεὶ κηρύξειεν, ἀκολουθεῖν. In praecedentibus autem narratum est, quam laboris partem ipse susceperit Iphicrates αὐτὸς ἐλθὼν καὶ σκεψάμενος, nunc additur, quid aliis mandaverit. Absurde ergo et ea narrationis pars ab αὐτός incipit: quodsi pro eo vocabulo restituerimus εἶτα, sana erunt omnia, vel potius levissimum restabit vitium. Legitur enim τῶν τριηράρχων προσέταξεν εἴκοσιν: verbum autem προστάττειν poni non potest nisi sequitur obiectum, sive nomen aliquod in accusativo, sive verbum in infinitivo. Videndum ergo sitne simplex ἔταξεν restituendum: id enim de laboribus militaribus, qui electis quibusdam militibus ducibusve mandantur, adhiberi solet.

Caput III, 5. Ad persuadendum Spartanis, ut pacem cum Atheniensibus faciant, hoc utitur argumento Callias: καὶ σωφρόνων μὲν δήπου ἐστὶ μηδὲ εἰ μικρὰ τὰ διαφέροντα εἴη πόλεμον ἀναιρεῖσθαι· εἰ δὲ δὴ καὶ ὁμογνωμονοῖμεν, οὐκ ἂν πάνυ τῶν θαυμαστῶν εἴη μὴ εἰρήνην ποιεῖσθαι; Non de Atheniensibus Spartanisque solis dicta haec sunt, sed de omnibus populis, quod ex optativis apparet. Credo ergo non ὁμογνωμονοῖμεν scripsisse Xenophontem verum ὁμογνωμονοῖεν.

III, 10. Callistratus Atheniensis in conventu de pace facienda Spartae habito et alia et haec loquitur: „et a vobis et a nobis errores commissi sunt: sed ignoscendum est erroribus hominum; nemo enim per totam vitam culpa vacuus est: δοκοῦσι δέ μοι καὶ εὐπορώτεροι ἐνίοτε γίγνεσθαι ἄνθρωποι ἁμαρτάνοντες." Portus adiectivum εὐπορώτεροι explicat: ἐμπειρότεροι. Melius, opinor, fecisset, si ita correxisset. Neque enim εὐπορώτερος significat ἐμπειρότερος et vera adiectivi εὔπορος vis huic loco non convenit.

III, 11. Ita Callistratus pergit: „saepe quae homines inique

fecerunt in mala iis verterunt; exemplo sit Thebanae arcis occupatio: *νῦν γοῦν ὡς ἐσπουδάσατε αὐτονόμους τὰς πόλεις γίγνεσθαι, πᾶσαι πάλιν, ἐπεὶ ἠδικήθησαν οἱ Θηβαῖοι, ἐπ' ἐκείνοις γεγένηνται.*" Nullus satis aptus sensus ex his verbis elici potest. Legendum est: *νῦν γοῦν ἃς ἐσπουδάσατε αὐτονόμους πόλεις γίγνεσθαι κτἑ.* Cum hac sententiae structura conferatur caput V, 37: *οὐ παρὰ τοὺς ὅρκους ποιήσετε; καὶ ταῦτα ὧν αὐτοὶ ἐπεμελήθητε ὅρκων ὅπως πᾶσιν ὑμῖν πάντες ἡμεῖς ὀμόσαιμεν.*

III, 12. Ex eadem oratione: *ἃ δὲ βουλόμενοί τινες ἀποτρέπειν τὴν εἰρήνην διαβάλλουσιν, ὡς ἡμεῖς οὐ φιλίας δεόμενοι, ἀλλὰ φοβούμενοι μὴ 'Ανταλκίδας ἔλθῃ ἔχων παρὰ βασιλέως χρήματα, διὰ τοῦτο ἥκομεν.* Non per longam illam annorum seriem Antalcidas apud Regem remansit, neque eum nunc ad Regem rediisse probabile est. Legendum suspicor *μή τις 'Ανταλκίδας*, quod lepide dictum videtur.

III, 13. *τί μὴν ἥκομεν; ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἀποροῦντες γνοίητε ἄν, εἰ μὲν βούλεσθε πρὸς τὰ κατὰ θάλατταν ἰδόντες, εἰ δὲ βούλεσθε πρὸς τὰ κατὰ γῆν ἐν τῷ παρόντι.* Particula *οὖν*, cui nullus hic locus est, in quibusdam codicibus abest. Deinde et verba *ἐν τῷ παρόντι* displicent, quia languidam reddunt totam sententiam. Suspicor: *πρὸς τὰ κατὰ γῆν παρόντα.*

Ib. *τί μήν ἐστιν; εὔδηλον ὅτι τῶν συμμάχων τινὲς οὐκ ἀρεστὰ πράττουσιν ἡμῖν ἢ ὑμῖν ἀρεστά.* Absurda haec sunt. Excidit vocabulum *μᾶλλον*, quo facto *ἀρεστά* inepte repetitum est. Tota ergo sententia sic erit refingenda: *οὐκ ἀρεστὰ μᾶλλον πράττουσιν ἡμῖν ἢ ὑμῖν.*

Ib. *ἴσως δὲ καὶ βουλοίμεθ' ἄν, ὧν ἕνεκα περιεσώσατε ἡμᾶς, ἃ ὀρθῶς ἔγνωμεν ὑμῖν ἐπιδεῖξαι.* Oraculi instar haec sunt. Callistrato suum reddemus legendo: *ἴσως δὲ καὶ βουλοίμεθ' ἄν, ὧν ἕνεκα περιεσώσατε ἡμᾶς, ὡς ὀρθῶς ἔγνωτε ὑμῖν ἐπιδεῖξαι.* De salute Atheniensibus a Spartanis allata vide c. V, 35 et 38. Dicit ergo Callistratus: „salutem olim nobis attulistis, Spar-

tani, ut postea nos in vestris periculis fideles gratosque haberetis socios. Nunc tempus adest, quo demonstrare possimus, prudens istud fuisse consilium."

Caput IV, 3. Cleombroto roganti per epistolam, quid sit agendum, utrum dimittendus sit exercitus ex pacis legibus necne, respondent ephori non esse dimittendum exercitum, sed impetum eum in Thebanos facere iubent, nisi Boeotiae urbes *αὐτονόμους* esse patiantur. *ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο οὐχ ὅπως τὰς πόλεις ἀφιέντας, ἀλλ' οὐδὲ τὸ στράτευμα διαλύοντας, οὕτω δὴ ἄγει τὴν στρατιὰν εἰς τὴν Βοιωτίαν.* Miserrimus his pannus assui solet: in codicibus enim post *διαλύοντας* legitur: *ὡς ἀντιτάττοιντο πρὸς αὐτούς.*

IV, 15. Post pugnam Leuctricam polemarchi *ὁρῶντες μὲν τῶν συμπάντων Λακεδαιμονίων τεθνεῶτας ἐγγὺς χιλίους, ὁρῶντες δὲ αὐτῶν Σπαρτιατῶν, ὄντων τῶν ἐκεῖ ὡς ἑπτακοσίων, τεθνηκότας περὶ τετρακοσίους κτἑ.* Quoniam sententia est: Spartanorum, quorum illic adfuerant septingenti, cecidisse quadringentos, articulus *τῶν*, qui ante *ἐκεῖ* legitur, expellendus est.

IV, 16. *γενομένων δὲ τούτων, ὁ μὲν εἰς τὴν Λακεδαίμονα ἀγγελῶν τὸ πάθος ἀφικνεῖται γυμνοπαιδιῶν τε οὔσης τῆς τελευταίας κτἑ.* Nullus hic locus est *futuri* participio. Lege ergo *ἀγγέλλων* pro *ἀγγελῶν.*

IV, 23. Iason Pheraeus Thebanis suadet, ne Spartanos ad omnium rerum desperationem compellant. „Vos enim et ipsi" inquit „urgente necessitate vicistis. *οἴεσθαι οὖν χρὴ Λακεδαιμονίους ἄν, εἰ ἀναγκάζοιντο ἐκγενέσθαι τοῦ ζῆν, ἀπονοηθέντας διαμάχεσθαι*". Nihili est *ἐκγενέσθαι τοῦ ζῆν*, neque tamen probabilis emendatio suppetit.

IV, 24. Spartanis haec suadet: *εἰ δὲ ἐπιλαθέσθαι βούλεσθε τὸ γεγενημένον πάθος, συμβουλεύω ἀναπνεύσαντας καὶ ἀναπαυσαμένους καὶ μείζους γεγενημένους τοῖς ἀηττήτοις οὕτω εἰς μάχην ἰέναι.* Sensu cassum est *ἐπιλαθέσθαι*, neque multum proficimus

Wolfii et Schneideri coniectura particulam *μή* inserentium (*μὴ ἐπιλαθέσθαι*). Requiritur „si cladem acceptam victoria compensare vultis". Legendum ergo esset *ἀναλαβεῖν*, nisi id a vulgata lectione nimium recederet. Cf. VII, 5, 18: *λογιζομένῳ ὅτι εἰ μὲν νικῴη πάντα ταῦτα ἀναλήψοιτο.*

IV, 32. Ex coniuratis, qui Iasonem occiderunt, unus, dum Iasonem ferit, a satellitibus ipse confoditur: *ἕτερος δὲ ἀναβὰς ἐφ' ἵππον ἐγκαταληφθεὶς καὶ πολλὰ τραύματα λαβὼν ἀπέθανε.* „Deprehendere aliquem fugientem" non est, ut opinor, *ἐγκαταλαμβάνειν*, sed *καταλαμβάνειν*. Lege ergo *καταληφθείς*.

Caput V, 6. *Τῶν δὲ Τεγεατῶν οἱ μὲν περὶ τὸν Καλλίβιον καὶ Πρόξενον συνῆγον ἐπὶ τὸ συνιέναι τε πᾶν τὸ Ἀρκαδικόν, καὶ ὅ, τι νικῴη ἐν τῷ κοινῷ, τοῦτο κύριον εἶναι καὶ τῶν πόλεων.* Vereor ut sana haec sint: aut enim *πᾶν τὸ Ἀρκαδικόν* subiectum est infinitivi *συνιέναι*, tum quid significet *συνάγειν* obscurissimum est; aut obiectum verbi *συνῆγον*, tum *ἐπὶ τὸ συνιέναι* inepte et prorsus inutiliter additur. Minus etiam probabile videtur a verbo *συνῆγον* pendere posse accusativum cum infinitivo *τοῦτο κύριον εἶναι*. In verbo autem *συνῆγον* vitium latere videtur, sed cuiusmodi illud sit statuere non possum. Illud vero certum videtur e verbis *καὶ τῶν πόλεων* aut *καί* eximendum esse, aut pro *καί* legendum *πασῶν*.

V, 7. Callibio et Proxeno eorumque consiliis adversaria est Stasippi factio: illa enim *τοῖς πατρίοις χρῆσθαι νόμοις* volebat. Superati in consilio publico Tegeatarum Proxenus et Callibius *νομίσαντες, εἰ συνέλθοι ὁ δῆμος, πολὺ ἂν τῷ πλήθει κρατῆσαι, ἐκφέρονται τὰ ὅπλα. ἰδόντες δὲ τοῦτο οἱ περὶ τὸν Στάσιππον, καὶ αὐτοὶ ἀνθωπλίσαντο, καὶ ἀριθμῷ μὲν οὐκ ἐλάττους ἐγένοντο κτέ.* Probabile non est Stasippi factionem, quae haud dubie ex optimatibus constabat, numero superiorem fuisse adversariis aut saltem non inferiorem: illos enim homines populares fuisse et a populo auxilium petere e narratione

liquet. Sed videamus sequentia: *ἐπεὶ μέντοι εἰς μάχην ὥρμησαν, τὸν μὲν Πρόξενον καὶ ἄλλους ὀλίγους μετ' αὐτοῦ ἀποκτείνουσι, τοὺς δ' ἄλλους τρεψάμενοι οὐκ ἐδίωκον.* Quid autem particula „adversativa" *μέντοι* opus est, ad ea superioribus adiungenda, quae illis non sunt opposita, sed ex illis sequuntur? Eiicienda est ergo particula *οὐκ*, quae nunc ante *ἐλάττους* legitur. Recte enim inter se opponuntur: *ἀριθμῷ μὲν ἐλάττους ἐγένοντο*, et *ἐπεὶ μέντοι εἰς μάχην ὥρμησαν ἐτρέψαντο τοὺς ἐναντίους*, quod fere idem est ac si scriptor diceret: numero quidem inferiores, sed virtute superiores erant.

V, 9. Vincit ergo in proelio Stasippi factio: sed adversariis auxilio veniunt Mantineenses. Qua re cognita Stasippi amici confugiunt in Dianae templum, seque ibi includunt: *οἱ δὲ μεταδιώξαντες ἐχθροὶ αὐτῶν ἀναβάντες ἐπὶ τὸν νεὼν καὶ τὴν ὀροφὴν διελόντες ἔπαιον ταῖς κεραμίσιν.* Vocabulum *μεταδιώξαντες*, quod aut perverso loco positum est (exspectes enim *οἱ δ' ἐχθροὶ αὐτῶν μεταδιώξαντες καὶ ἀναβάντες*), aut soloecismum secum trahit (si enim significat: inimicorum illi, qui persecuti erant, dicendum erat *οἱ δὲ μεταδιώξαντες τῶν ἐχθρῶν*) eiiciendum videtur.

Exeunt ergo e templo Stasippi amici, quos adversarii *δήσαντες καὶ ἀναβαλόντες ἐπὶ τὴν ἁρμάμαξαν ἀπήγαγον εἰς Τεγέαν.* Risum movet *ἁρμάμαξα* illa, in quam vincti captivi *coniiciuntur*, nec minus ridiculus est articulus ei additus: an ergo ad eam rem Tegeatae *publico* quodam *carpento* molli et eleganti utebantur? Credo in *plaustrum* coniectos esse miseros homines: *ἐφ' ἅμαξαν.*

V, 12. Agesilaus in Arcades proficiscitur, *καὶ καταλαβὼν πόλιν Εὔταιαν.* Num verbum compositum *καταλαμβάνειν* usurpari possit de urbe, quam omnes, qui aetate militari sunt (vide infra) reliquerunt, vehementer dubito.

V, 13. Orchomenum oppugnant Mantineenses, sed ab

incolis fortiter repelluntur; recedentes eos aggrediuntur Polytropi equites. Ergo Mantineenses *γνόντες .... ὡς, εἰ μὴ ἀποκρούσονται αὐτούς, ὅτι πολλοὶ σφῶν κατακοντισθήσονται κτέ.* Ferri non potest *ὡς .... ὅτι*, sed particularum alterutra delenda est.

V, 18. Castra prope Mantineam ponit Agesilaus; *ἰδὼν δὲ συλλεγομένους ἐκ τῆς τῶν Μαντινέων πόλεως ἐπὶ τοῖς ὄρεσι τοῖς ὑπὲρ τῆς οὐρᾶς τοῦ ἑαυτοῦ στρατεύματος κτέ.* Nonne post *συλλεγομένους* addendum est *τινάς* vel *τούς*?

V, 24. Thebanos simulatque in Peloponnesum venerunt obsecrant Spartanorum hostes, ut secum Laconicam invadant. *οἱ δὲ Θηβαῖοι ἤκουον μὲν ταῦτα, ἀντελογίζοντο δὲ ὅτι δυσεμβολωτάτη μὲν ἡ Λακωνικὴ ἐλέγετο εἶναι, φρουρὰς δὲ καθεστάναι ἐνόμιζον ἐπὶ τοῖς εὐπροσοδωτάτοις. καὶ γὰρ ἦν Ἰσχόλαος μὲν ἐν Οἰῷ τῆς Σκιρίτιδος, ἔχων κτέ.* Post verbum *ἐνόμιζον* parum recte sequitur *καὶ γὰρ ἦν*; eiiciendum est *γάρ*, ut reliqua significent: et erat *revera* Ischolaus e. q. s. Verum hoc esse apparet e sequentibus, ubi *ἦν δέ* in fronte positum est.

V, 35. Spartani ab Atheniensibus petunt, ut sibi auxilium ferant adversus Thebanos, multisque in ea re utuntur argumentis. *μέγιστον δὲ τῶν λεχθέντων παρὰ Λακεδαιμονίων ἐδόκει εἶναι, ὅτι ἡνίκα κατεπολέμησαν αὐτούς, Θηβαίων βουλομένων ἀναστάτους ποιῆσαι τὰς Ἀθήνας, σφίσιν ἐμποδὼν γένοιντο.* Certissimam Dobraei emendationem necessariam non esse demonstrare sibi nonnulli videntur afferendis quibusdam locis, ubi *σφῶν, σφισί* non ad sententiae subiectum sit referendum, sed prorsus idem significet quod *αὐτῶν, αὐτοῖς*. Quasi vero, si hic *αὐτοῖς* legeretur, id ullo modo ferri posset! Oratio enim recta non est: *Θηβαίων βουλομένων ἀναστάτους ποιῆσαι τὰς Ἀθήνας ἐμποδὼν ἐγενόμεθα* sed *ἡμεῖς ἐμποδὼν ἐγενόμεθα*, ergo oratio indirecta fit: *ἔλεγον ὅτι αὐτοὶ* (vel *σφεῖς*) *ἐμποδὼν γένοιντο*. Quodsi non opus esset emphaseos causa verbo *γένοιντο* subiectum addere, tamen

pronomen *αὐτοῖς* (*σφισί*), quod ad *Θηβαίων* respiceret, magis pueri deceret exercitationem quam sententiam a scriptore elegantissimo compositam. Quis enim Graece vel mediocriter doctus sic scriberet: *Θηβαίων βουλομένων ἀναστάτους ποιῆσαι τὰς Ἀθήνας αὐτοῖς ἐμποδὼν ἐγενόμεθα?*

V, 41. „Nunc tempus adest" ita Procles Phliasius loquitur „quo auxilium ferendo Spartanis eos in perpetuum habituri sitis socios fideles gratosque: non enim pauci huius beneficii testes erunt. *ἀλλ' εἴσονται μὲν ταῦτα θεοὶ οἱ πάντα ὁρῶντες καὶ νῦν καὶ εἰς ἀεί, συνεπιστήσονται δὲ τὰ γιγνόμενα οἵ τε σύμμαχοι καὶ οἱ πολέμιοι, πρὸς δὲ τούτοις καὶ ἅπαντες Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι· οὐδενὶ γὰρ τούτων ἀμελές*". Legendum est, ut opinor, *οὐδενὶ γὰρ τούτων ἀμελὲς οὐδέν*, ut *τούτων* sit neutrius generis. Praeterea deleatur *τὰ γιγνόμενα.*

V, 43. Ex eadem oratione: „Olim Spartani vobiscum fortiter Barbaro restiterunt: *πῶς οὖν οὐ δίκαιον ὧν τε ἕνεκα ἐγένοντο ἄνδρες ἀγαθοὶ μεθ' ὑμῶν καὶ ὧν ἐλπὶς καὶ αὖθις γενέσθαι πᾶσαν προθυμίαν εἰς αὐτοὺς καὶ ὑμᾶς καὶ ἡμᾶς παρέχεσθαι*"; Pronominis relativi *ὧν* repetitio num ferri possit admodum dubito.

V, 45. Ita Procles pergit: *ἐγὼ δέ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρόσθεν μὲν ἀκούων ἐζήλουν τήνδε τὴν πόλιν, ὅτι πάντας καὶ τοὺς ἀδικουμένους καὶ τοὺς φοβουμένους ἐνθάδε καταφεύγοντας ἐπικουρίας ἤκουον τυγχάνειν*". Ineptum est istud *ἀκούων* .... *ὅτι ἤκουον*, quare *ἀκούων* expungere velim.

Ib. *νῦν δὲ οὐκέτ' ἀκούω, ἀλλ' αὐτὸς ἤδη παρὼν ὁρῶ, Λακεδαιμονίους τε τοὺς ὀνομαστοτάτους καὶ μετ' αὐτῶν τοὺς πιστοτάτους φίλους αὐτῶν πρὸς ὑμᾶς τε ἥκοντας καὶ δεομένους αὖ ὑμῶν ἐπικουρῆσαι.* Aegre apud *ὀνομαστοτάτους* aliquis genitivus partitivus, velut *Ἑλλήνων*, desideratur.

V, 46. In memoriam Atheniensibus revocat Procles nobile maiorum factum, *ὅτε τοὺς τελευτήσαντας ἐπὶ τῇ Καδμείᾳ οὐκ εἴασαν ἀτάφους γενέσθαι.* An *ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ* legendum

est? Cf. Isocr. IV, 55: *τοὺς ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ τελευτήσαντας.* V, 48. „*ὁπότε δὲ καὶ ἡμεῖς*" (eiusdem Proclis verba sunt) „*ἀγαλλόμεθα συναγορεύοντες βοηθῆσαι ἀνδράσιν ἀγαθοῖς* .... Inepta structura est *συναγορεύοντες βοηθῆσαι*, infinitivumque *βοηθῆσαι* expellendum esse liquido apparet e sequentibus: *ἧπου ὑμῖν γε τοῖς ἔργῳ δυναμένοις βοηθῆσαι γενναῖα ἂν ταῦτα φανείη, εἰ πολλάκις καὶ φίλοι καὶ πολέμιοι γενόμενοι Λακεδαιμονίοις μὴ ὧν ἐβλάβητε μᾶλλον ἢ ὧν εὖ ἐπάθετε μνησθείητε.* Egregie enim inter se opponuntur *συναγορεύειν* et *ἔργῳ βοηθεῖν.*

LIBER VII.

Caput I, 2. Legati Spartanorum sociorumque Athenas conveniunt deliberaturi de legibus foederis, quod facere iam antea decreverant Athenienses. Ibi Procles Phliasius et alia et haec dicit: „*ἐὰν οὖν ᾗ ἑκατέροις μάλιστα συνοίσει, ταύτῃ καὶ τὰς συνθήκας ποιησώμεθα, οὕτω κατά γε τὸ εἰκὸς μάλιστα συμμένοιμεν ἄν*". Verbum *συμμένειν* de hominibus, qui foedus faciunt, non tam recte adhiberi videtur quam de ipso foedere. Legendum ergo videtur *συμμένοιεν* pro *συμμένοιμεν*, quemadmodum supra est: *ὅπως ἡ φιλία ὅτι πλεῖστον χρόνον συμμενεῖ.*

I, 3. Atheniensibus ut, imperio terrestri Spartanis relicto, ipsi imperium maritimum suscipiant, et aliis argumentis Procles suadet et his: *ἔτι δὲ τριήρεις κέκτησθε πολλὰς καὶ πάτριον ὑμῖν ἐστὶ ναυτικὸν ἐπικτᾶσθαι· ἀλλὰ μὴν τάς γε τέχνας τὰς περὶ ταῦτα πάσας οἰκείας ἔχετε. καὶ μὴν ἐμπειρίᾳ γε πολὺ προέχετε τῶν ἄλλων περὶ τὰ ναυτικά· ὁ γὰρ βίος τοῖς πλείστοις ὑμῶν ἀπὸ τῆς θαλάττης· ὥστε τῶν ἰδίων ἐπιμελόμενοι ἅμα καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀγώνων ἔμπειροι γίγνεσθε.* Parum eleganter se inter se excipiunt duae sententiae, quarum altera ab *ἀλλὰ*

μὴν, altera ab *καὶ μὴν* incipit. Deinde confusa et turbata est argumentatio: non enim verbis *τὰς τέχνας τὰς περὶ ταῦτα πάσας οἰκείας ἔχετε* novum quoddam argumentum affertur, quare sit Atheniensibus imperium maritimum suscipiendum, sed praecedentis argumenti illis affertur ratio. Etenim vocabulo *τέχνας* ars *naves fabricandi* significatur, quumque illam artem *οἰκείαν* habeant Athenienses, *πάτριον* iis est *ναυτικὸν ἐπικτήσασθαι*. Quare ita Xenophontem scripsisse opinor: *ἔτι δὲ τριήρεις κέκτησθε πολλὰς καὶ πάτριον ὑμῖν ἐστὶ ναυτικὸν ἐπικτᾶσθαι. τ ὰ ς γ ὰ ρ τέχνας τὰς περὶ ταῦτα πάσας οἰκείας ἔχετε.* Ita omnia egregie cohaerebunt.

I, 9. Ex eadem oratione: *ἔπειτα δὲ ὥσπερ ὑμεῖς ναυτικῷ, οὕτως αὖ ἐκεῖνοι κατὰ γῆν πλεῖστοι καὶ τάχιστ' ἂν ἐξέλθοιεν. ὥστε πρὸς τούτους αὖ εἰκὸς τοὺς συμμάχους εὐθαρσεστάτους προσιέναι.* Apud verbum *προσιέναι* desideratur *κατὰ γῆν* idque ante *εἰκός* ponendum videtur. Et vitiose eodem loco *αὖ* abundat (in *αὖ εἰκός*), quod et nimis saepe hic iteratur (vide sequentia), et Proclis argumentationem perturbat: verbis enim *ὥστε πρὸς τούτους .... προσιέναι* exemplum affert Procles eius rei, quam supra dixit (4): *πρὸς γὰρ τὸ πρῶτον ἰσχυρὸν γενόμενον ἥδιστα πάντες συλλέγονται.*

Ib. *ἔτι δὲ καὶ ὁ θεὸς αὐτοῖς δέδωκεν ὥσπερ ὑμῖν κατὰ θάλατταν εὐτυχεῖν, οὕτως ἐκείνοις κατὰ γῆν.* Structurae elegantia isto *αὐτοῖς* pessumdatur.

Ib. *πλείστους γὰρ οὗτοι ἀγῶνας ἐν τῇ γῇ ἠγωνισμένοι, ἐλάχιστα μὲν ἐσφαλμένοι εἰσί, πλεῖστα δὲ κατωρθωκότες.* An *κατωρθώκασι*?

I, 13. Consilio Proclis de imperio terrestri Spartanis relinquendo, dum ipsi Athenienses imperium maritimum retineant, adversatur Cephidotus dicens: „si bellum navale gerendum erit, Spartani vobis paucos cives sed plerosque servos aut mercennarios mittent. *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ὅταν παραγγείλωσιν ὑμῖν κατὰ γῆν στρατείαν, δῆλον ὅτι πέμψετε τοὺς*

ὁπλίτας καὶ τοὺς ἱππέας". Non Atheniensibus solis, ut opinor, Spartani *στρατείαν παραγγελοῦσι*, sed universis sociis. Delendum ergo *ὑμῖν* videtur.

I, 15. Thebani, quum absunt 30 stadia ab iis, qui aditum in Peloponnesum servabant, in campo castra ponunt: *συντεκμηράμενοι δὲ ἡνίκ' ἂν ᾤοντο ὁρμηθέντες καθανύσαι ἅμα κνέφᾳ πρὸς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων Φυλακήν, ἐπορεύοντο*. Deleta virgula, quae post *κατανύσαι* legebatur, eaque post *Φυλακήν* posita, egregie locum emendasse videtur Cobetus. Sed hoc unum scrupulum iniicit, quod in intervallo *triginta* stadiorum non multa opus esse videtur computatione.

I, 21. Thebani sociique agrum circa Corinthum vastant; in eos Atheniensium et Corinthiorum equites impetum facere non audent, at equites, quos Dionysius contra Thebanos auxilio miserat, *οὗτοι διεσκεδασμένοι ἄλλος ἄλλῃ παραθέοντες ἠκόντιζόν τε προσελαύνοντες, καὶ ἐπεὶ ὥρμων ἐπ' αὐτούς, ἀνεχώρουν, καὶ πάλιν ἀναστρέφοντες ἠκόντιζον*. Verbum *διεσκεδασμένοι* speciem praebet annotationis, ad explicandum *ἄλλος ἄλλῃ* in margine adscriptae. Sed dubitari non potest, quin pro *ἐπεὶ ὥρμων* legendum sit *ἐπεὶ ὁρμῷεν*: quotiescunque (hostes) in eos impetum faciebant. Non enim semel sed saepius Thebani eos a se repellere sunt conati.

Ib. *καὶ ταῦτα ἅμα ποιοῦντες κατέβαινον ἀπὸ τῶν ἵππων καὶ ἀνεπαύοντο*. Incredibilis ergo illorum equitum fuit velocitas, qui *inter iaculandum* de equis descenderent. Non enim *ταῦθ' ἅμα ποιοῦντες* aliter accipi potest quam sic, ut ad verba *ἠκόντιζον, ἀναστρέφοντες, προσελαύνοντες* respiciat. Rectius foret, ut opinor: *καὶ ταῦτα ποιοῦντες θαμὰ κατέβαινον ἀπὸ τῶν ἵππων*: quum eo modo pugnarent, facultatem habebant saepius de equis descendendi. An hoc coniecturae nostrae obstare censeamus, quod *θαμά* rarissimum sit apud Xenophontem?

I, 24. Lycomedes Mantineensis animos Arcadum auget

dicendo fortissimos illos esse omnium Graecorum, quapropter neque olim Spartanos neque nunc Thebanos illis sociis carere posse: *ἐὰν οὖν σωφρονῆτε τοῦ ἀκολουθεῖν ὅποι ἄν τις παρακαλῇ ἀφήσεσθε· ὡς πρότερον Λακεδαιμονίοις ἀκολουθοῦντες ἐκείνους ηὐξήσατε, νῦν δὲ ἂν Θηβαίοις εἰκῇ ἀκολουθῆτε καὶ μὴ κατὰ μέρος ἡγεῖσθαι ἀξιῶτε, τάχα τούτους ἄλλους Λακεδαιμονίους εὑρήσετε.* Ut bene haec cohaereant, post *ὡς* inserendum est *γάρ*: quemadmodum enim olim Spartanos auxistis, ita nunc si Thebanis temere hegemoniam concesseritis, novos illos Spartanos habebitis.

I, 25. Arcades Asinam urbem Laconicam aggrediuntur, praesidium Laconicum vincunt, *καὶ τὸν Γεράνορα τὸν πολέμαρχον Σπαρτιάτην γεγενημένον ἀπέκτειναν.* Quid isto *γεγενημένον* faciam nescio. Sequuntur haec: *ὅπου δὲ βουληθεῖεν ἐξελθεῖν, οὐ νύξ, οὐ χειμών, οὐ μῆκος ὁδοῦ, οὐκ ὄρη δύσβατα ἀπεκώλυεν αὐτούς.* Pro *ὅπου* haud dubie legendum est *ὅποι.*


I, 29. Cassidas dux copiarum a Dionysio missarum Spartam redire vult. *ἐπεὶ δὲ ἀποπορευόμενον ὑπετέμνοντο αὐτὸν οἱ Μεσσήνιοι ἐπὶ στενὸν τῆς ὁδοῦ ἐνταῦθα δὴ ἔπεμπεν ἐπὶ τὸν Ἀρχίδαμον καὶ βοηθεῖν ἐκέλευε.* Messenii viam praecluserunt, ut opinor, *eo loco ubi* via angusta erat. Lege ergo *κατὰ στενὸν τῆς ὁδοῦ.* Praepositionem *ἐπί* inde natam esse credo quod in vetusto codice sic scriptum erat:

κατὰ στενὸν τῆς ὁδοῦ ἐνταῦθα δὴ ἔπεμπεν
ἐπὶ τὸν Ἀρχίδαμον κτἑ.

I, 33. Deliberantes Thebani, qua ratione hegemoniam Graeciae nancisci possent, *ἐνόμισαν, εἰ πέμψειαν πρὸς τὸν Περσῶν βασιλέα, πλεονεκτῆσαι ἄν τι ἐν ἐκείνῳ.* Rectissime Morum coniecisse credo *παρ' ἐκείνῳ*: putabant enim Thebani *se apud* Regem in maiore quam ceteros futuros honore. Neque eos spes fefellit. Mox enim legimus (§ 34): *πολὺ ἐπλεονέκτει ὁ Πελοπίδας παρὰ τῷ Πέρσῃ.*

Caput II, 3. Inter res, e quibus singularis Phliasiorum erga Spartanos apparuit fidelitas, enumeratur et hoc: *καὶ διαβαίνειν τελευταῖοι λαχόντες εἰς Πρασιὰς τῶν συμβοηθησάντων, ἦσαν δὲ οὗτοι Κορίνθιοι, Ἐπιδαύριοι, Τροιζήνιοι, Ἑρμιονεῖς, Ἁλιεῖς, Σικυώνιοι καὶ Πελληνεῖς, οὐ γὰρ πώποτε ἀφέστασαν, ἀλλ' οὐδ' ἐπεὶ ὁ ξεναγὸς τοὺς προδιαβεβῶτας λαβὼν ἀπολιπὼν αὐτοὺς ᾤχετο, οὐδ' ὡς ἀπεστράφησαν κτἑ.* Sententiam hanc corruptam esse primus Morus vidit, qui pro *πώποτε* scripsit *πω τότε*, quam emendationem verissimam esse apparet e § 11, ubi scriptor, de antecedenti tempore scribens, dicit: *Πελληνέας, ἤδη γὰρ τότε ἠκολούθουν τοῖς Θηβαίοις.* Sed praeterea vocabulum *ἀλλά*, quod post *ἀφέστασαν* legitur, expellendum est: ita enim demum recte sententia procedet.

II, 5—8. Pulcherrima narratio de urbis Phliuntis oppugnatione, quam proditores quidam extra et intra muros (*οἱ φυγάδες, οἱ προδιδόντες*) Spartanorum hostibus tradere conantur, ita demum intelligi potest, si fingamus urbis arcem non, ut solet, in media fuisse urbe sitam, sed in extrema eius parte, ita ut una arcis pars fuerit, quae non suis moenibus defenderetur, sed iisdem, quibus tota urbs cincta esset. Sententiam meam declarabit subiecta tabula:



Rem, quae primo aspectu contra rerum naturam certare videtur, ita defendere et explicare potes, ut fingas, montem in quo arx fuerit sita, ab una parte praeruptum fuisse, ergo ceteram urbem in montis declive et in planum esse porrectam, ita ut et moenia urbis sensim adscenderent, donec in summum montem pervenirent; id autem in tabula mea significare nolui, ne typothetae aliorum operarum auxilio esset utendum. Indicabo nunc Xenophontis verba, e quibus appareat talem fuisse urbis Phliuntis situm, qualem ego descripsi:

§ 7. *οἱ πολέμιοι ἐμάχοντο ἐν τῷ πρόσθεν τῶν εἰς τὴν πόλιν φερουσῶν πυλῶν.* Erant ergo etiam arcis portae, quae non in urbem, sed extra urbem ducerent.

ib. *τὸ μὲν οὖν μέσον τῆς ἀκροπόλεως εὐθὺς ἔρημον ἐγένετο· ἐπὶ δὲ τὸ τεῖχος καὶ τοὺς πύργους ἀναβάντες οἱ πολέμιοι κτέ.*

ib. *κατὰ τὰς ἐπὶ τὸ τεῖχος φερούσας κλίμακας προσεμάχοντο.*

§ 8. *οἱ δὲ τοὺς καὶ ἔξωθεν ἔτι ἐπαναβαίνοντας, ἐπὶ ταῖς κλίμαξιν ὄντας, ἔπαιον.*

Quid autem (§ 8) significet *κατὰ κεφαλὴν τὸ τεῖχος τῆς ἀκροπόλεως διώρυττον* sciri non potest.

II, 5. *ἐπεὶ δὲ οἱ μὲν σκοποὶ ἐσήμαινον ἀπὸ τοῦ Τρικαράνου ὡς πολεμίων ἐπιόντων.* Post *ἐσήμαινον* interpunxit Schneiderus, ut *ἀπὸ τοῦ Τρικαράνου* ab *ἐπιόντων* penderet, quod iam propter sententiae structuram parum probabile est. Et neglexit praeterea vir acutissimus Xenophontem inde a § 1 huiusce capitis digredi ad res *prioribus annis* gestas enarrandas. Apparebit hoc e subiecta tabula chronologica:

II, 2. Cum aliis sociis Phliasii Spartanis auxilio veniunt, dum hostes sunt Amyclis. Accidit hoc eodem tempore quo quae VI, 5, 29 narrata sunt.

II, 4. Ex Laconica cedunt hostes. Idem traditur VI, 5, 50 sq.

II, 5—9. Dum Thebani Oneum superant, occurrunt iis Arcades et Eleenses, et, antequam se cum Thebanis coniungant, Phliuntem aggrediuntur, sed repelluntur. Illa Thebanorum expeditio descripta est L. VII, 1, 15 et 18.

II, 10. Anno post Argivi et Arcades Phliuntem expugnare frustra conantur.

Tandem aut § 11 aut § 20 [1]) capitis II scriptor rediit ad illud tempus unde § 1 est digressus. Ergo quae inter § 2 et 20 leguntur, gesta sunt omnia ante res § 1 narratas, neque § 5 iam Tricaranum in hostium manus pervenerat, quod § 1 ab iis occupatum legimus. Sed turpissime erravit Diodorus Siculus, qui (XV, 69) simul cum Sicyone et Phliuntem ab Epaminonda subactum fingit, ergo quum iterum invaderent Peloponnesum Thebani, de qua invasione legimus apud Xenophontem c. I, 18. Duas enim res e Xenophonte certo cognoscimus:

I. Certe non una cum Sicyone Phliuntem ab Epaminonda esse captum, siquidem Sicyonii et ipsi (c. II, 1) inter eos sunt, qui Phliuntem, urbem, quae iam saepe hostibus acriter restiterat, expugnare student.

II. Probabile esse per totum illud tempus, de quo in Hellenicis agitur, nunquam Phliuntem a Spartanorum hostibus captum esse.

Accedit, quod ipse sibi Diodorus obloquitur, qui (XV, 75) de Phliasiis eadem quae Xenophon narrat. Ex tota autem

---

1) Illud dicas propter § 11, ubi διὰ τοῦ Τρικαράνου hostes venisse dicuntur, hoc propter § 20, ubi haec leguntur: χωρίον γὰρ ἐπὶ τοῖς ὅροις ἡμῖν οἱ Σικυώνιοι τειχίζουσι, quo respici videtur ad id, quod § 1 narratum est.

illa de Phliunte digressione apparet Xenophontem in ea urbe multos hospites familiaresque habuisse. Vide Anab. VII, 8, 1 sqq. de Euclide Phliasio haruspice.

II, 16. Admirationem movet verbum *διαπράττεσθαι* bis hic positum de nobili Phliasiorum facto, quod *τὸν Πελληνέα Πρόξενον ζῶντα λαβόντες, καίπερ σπανιζόμενοι πάντων, ἀφῆκαν ἄνευ λύτρων.*

II, 17 sq. Commeatus inopia laborant Phliasii et frumentum partim e terra hostili petunt, partim Corinthi emunt, *διὰ πολλῶν κινδύνων ἐπὶ τὴν ἀγορὰν ἰόντες, χαλεπῶς μὲν τίμην πορίζοντες, χαλεπῶς δὲ τοὺς πορίζοντας διαπραττόμενοι, γλίσχρως δὲ ἐγγυητὰς καθιστάντες τῶν ἀξόντων ὑποζυγίων.* Nihili est *τοὺς πορίζοντας διαπραττόμενοι*; an legendum est *τοὺς κομίζοντας διαπορεύοντες*: „haud facile eos, qui commeatum ferebant, per medios ducebant hostes"? *ἤδη δὲ παντάπασιν ἀποροῦντες Χάρητα διεπράξαντο* (vides quantus sit hoc loco usus, vel potius abusus, verbi *διαπράττεσθαι*; quinquies enim legitur 16—20) *παραπέμψαι τὴν παραπομπήν. ἐπεὶ δὲ ἐν Φλιοῦντι ἐγένοντο ἐδεήθησαν αὐτοῦ καὶ τοὺς ἀχρείους συνεκπέμψαι εἰς τὴν Πελλήνην.* Sicine vero? Quum *ipsi in suam* urbem venissent Phliasii, id ab Atheniensi Charete petierunt? Quantocius repone *ἐγένετο*: quum Chares in urbem venisset.

II, 23. Phliasii a Charete adiuti Thyamiam expugnant, quam Sicyonii moenibus circumdabant; qua re cognita Corinthii *μάλα φιλικῶς κηρύξαντες τὰ ζεύγη καὶ τὰ ὑποζύγια πάντα καὶ σίτου γεμίσαντες εἰς τὸν Φλιοῦντα παρήγαγον.* Num recte *κηρύξαντες* explicent „per praeconem imperare", dubitare licet. Cum sequenti *γεμίσαντες* melius cohaereret *ζεύξαντες*.

Caput III, 1. *περὶ μὲν δὴ Φλιασίων, ὡς καὶ πιστοὶ τοῖς φίλοις ἐγένοντο καὶ ἄλκιμοι ἐν τῷ πολέμῳ διετέλεσαν.* Non placet *διετέλεσαν* sine participio, suspicorque Xenophontem scripsisse *ὡς καὶ πιστοὶ τοῖς φίλοις ὄντες καὶ ἄλκιμοι ἐν τῷ πολέμῳ διετέ-*

λεσαν. cf. quod statim sequitur § 2: *λέγων ὡς Λακεδαιμονίοις διατελοίη πιστὸς ὤν.*

III, 3. Euphron tyrannus Sicyonius, ex urbe sua eiectus ab Arcadibus, portum tradit Spartanis, dicens se semper Spartanis fidelem fuisse. *ὅτε γὰρ ψῆφος ἐδίδοτο ἐν τῇ πόλει, εἰ δοκοίη ἀφίστασθαι, μετ' ὀλίγων ἀποψηφίσασθαι ἔφη· ἔπειτα δὲ τοὺς προδόντας ἑαυτὸν βουλόμενος τιμωρήσασθαι δῆμον καταστῆσαι.* Pronomen *ἑαυτόν* hic vitiose positum est: adversarios enim suos dicit Euphron „Spartanos prodidisse". Sequitur enim *οἱ ὑμᾶς προδιδόντες.*

III, 5. Euphron Thebas proficiscitur sperans se magistratus corrupturum, ut Thebanum harmostam, qui arcem Sicyonis obtinet, revocent, sibique urbis imperium tradant. In ipsa urbe Thebis eum adversarii occidunt, quos statim magistratus Thebani in iudicium vocant, aliisque argumentis condemnandos esse demonstrant et hoc: *τί δὲ πείσεται ἡ πόλις, εἰ ἐξέσται τῷ βουλομένῳ ἀποκτεῖναι πρὶν δηλῶσαι ὅτου ἕνεκα ἥκει ἕκαστος;* Codices pro *πείσεται* praebent *εἴσεται,* quod certe sequenti *δηλῶσαι* melius respondet quam *πείσεται.*

II, 7. Unus reorum se Euphronem percussisse confitetur, et ita causam suam agit: *ἀλλ' ὑπερορᾶν μέν, ὦ Θηβαῖοι, οὐ δυνατὸν ὑμῶν ἀνδρὶ ὃς εἰδείη κυρίους μὲν ὄντας, ὅ τι βούλεσθε αὐτῷ χρῆσθαι.* Quoniam in sequentibus non est particula *δέ,* ad quam alterum *μέν* referri possit, pro eo legendum censeo *ὑμᾶς,* quod hic aegre desideratur.

Ib. Idem homo sic pergit: *τίνι μέντοι πιστεύων ἀπέκτεινα τὸν ἄνδρα; εὖ ἴστε ὅτι πρῶτον μὲν τῷ νομίζειν δίκαια ποιεῖν ἔπειτα τῷ ὑμᾶς ὀρθῶς γνώσεσθαι.* Sententiam ita refingendam esse censeo: *εὖ ἴστε ὅτι τῷ νομίζειν πρῶτον μὲν δίκαια ποιεῖν, ἔπειτα δὲ ὑμᾶς ὀρθῶς γνώσεσθαι.* Nam iustam dicturos sententiam Thebanos non minus *putabat* reus quam se recte fecisse.

Ib. „et antea homines, qualis Euphron erat, capitali poena

affecistis, νομίζοντες τῶν τε περιφανῶς ἀνοσίων καὶ τῶν φανερῶς προδιδόντων καὶ τυραννεῖν ἐπιχειρούντων ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων θάνατον κατεγνῶσθαι. Tria hic, ut opinor, hominum genera enumerantur morte dignorum. Lege ergo καὶ τῶν τυραννεῖν ἐπιχειρούντων.

III, 10. Ex eadem defensione: „Si Euphron mihi inimicus, vobis, Thebani, amicus fuisset, recte ego fecisse non censendus essem eum ante vestros oculos interficiendo: qui autem vos prodidit num minus vobis inimicus esse potest quam mihi? ἀλλὰ νὴ Δία εἴποι τις ἄν, ἑκὼν ἦλθε." Quae sit Graecorum verborum, quae citavi, sententia haud facile dicas, propterea quod nihil sequitur, quo reus argumentum, quod iis verbis inest, redarguat. Ita enim reus causam suam agit ut, quod in omnibus orationibus, tam fictis quam revera habitis, frequentissimum est, aliquid ab adversario obiici fingat, deinde id ipse redarguat. Nunc post istud ἑκὼν ἦλθε sequitur: κᾆτα εἰ μὲν ἀπεχόμενον τῆς ὑμετέρας πόλεως ἀπέκτεινέ τις αὐτόν, ἐπαίνου ἂν ἐτύγχανε. Quae verba et corrupta sunt, et ne emendata quidem cum praecedentibus ullo modo cohaerent. Emendanda autem ita sunt ut pro ὑμετέρας legatur ἡμετέρας. Sequitur enim: νῦν δὲ ὅτε πάλιν ἦλθεν ἄλλα πρὸς τοῖς πρόσθεν κακὰ ποιήσων, οὐ δικαίως φήσει τις αὐτὸν τεθνάναι; Eam ob causam Euphron morte dignissimus erat, quod semel eiectus, non ab urbe abstinuit, sed ab exilio rediit (§ 4). Tum reus ita pergit: ποῦ ἔχων Ἕλλησι σπονδὰς ἀποδεῖξαι ἢ προδόταις ἢ παλιναυτομόλοις ἢ τυράννοις; Rogando ergo hic redarguit aliquid, quod nondum finxerit obiectum; quod certum videtur confusionis indicium. Quodsi illa ποῦ .... τυράννοις post ἑκὼν ἦλθε transposuerimus, omnia, ut opinor, egregie cohaerebunt, simulque apparebit, quae sit argumenti ἀλλὰ νὴ Δί' εἴποι τις ἂν ἑκὼν ἦλθε sententia. Hoc enim significat: non necessitate aliqua coactus Thebas venit, sed sponte sua, putans se Thebanis amicis hospitibusque usurum.

Ib. Hac utitur peroratione reus: *ἐγώ φημι, ὦ ἄνδρες, ἀποκτείναντας μὲν ὑμᾶς ἐμὲ τετιμωρηκότας ἔσεσθαι ἀνδρὶ τῷ πάντων ὑμῖν πολεμιωτάτῳ· γνόντας δὲ δίκαια πεποιηκέναι αὐτοὺς τετιμωρηκότας φανεῖσθαι ὑπέρ τε ὑμῶν αὐτῶν καὶ ὑπὲρ τῶν συμμάχων ἁπάντων.* Pronomen *αὐτούς* defendi non posse videtur; legendum censeo *τοὺς αὐτοὺς*: vos simul et vosmet ipsos et socios vestros ultos esse.

Caput IV, 1. Quo tempore Phliasii etiam Thyamiam moenibus circumdabant iisque Chares aderat *ὁ Ὠρωπος ὑπὸ τῶν φευγόντων κατελήφθη. στρατευομένων δὲ πάντων Ἀθηναίων ἐπ' αὐτὸν καὶ τὸν Χάρητα μεταπεμψαμένων κτέ.* Absurdum est *ἐπ' αὐτόν* dicere pro *ἐπὶ τὸν Ὠρωπον,* quapropter in narratione post *τῶν φευγόντων* excidisse suspicor Themisonis, tyranni Eretriensis nomen, quem aliunde cognovimus exulibus illis auxilium praestitisse (Diod. XV, 76. Dem. pro Cor. p. 259).

IV, 2. Primum Athenienses foedus facere cum Arcadibus nolebant, propterea quod inter Arcades et Spartanos bellum esset; *ἐπεὶ δὲ λογιζόμενοι εὕρισκον οὐδὲν μεῖον Λακεδαιμονίοις ἢ σφίσιν ἀγαθὸν τὸ Ἀρκάδας μὴ προσδεῖσθαι Θηβαίων κτέ.* Post *ἀγαθόν* necessario participium *ὄν* inserendum est.

IV, 3. Lycomedes Arcas, qui illius foederis causa Athenas venerat, inde in patriam rediens *δαιμονιώτατα ἀποθνήσκει· ὄντων γὰρ παμπόλλων πλοίων, ἐκλεξάμενος τούτων ὃ ἐβούλετο, καὶ συνθέμενος τοίνυν ἀποβιβάσαι ὅποι αὐτὸς κελεύοι, εἵλετο ἐνταῦθα ἐκβῆναι ἔνθα οἱ φυγάδες ἐτύγχανον ὄντες.* Qui credit particulam *τοίνυν* ab ipso Xenophonte esse additam, is, hercle, nihil non concoquit. Quid sit legendum facile est ad statuendum: ex verbo enim *transitivo ἀποβιβάσαι* liquido apparet Xenophontem scripsisse *τοῖς ναύταις.* Sequitur *κἀκεῖνος μὲν οὕτως ἀποθνήσκει, ἡ μέντοι συμμαχία οὕτως ἐπεραίνετο.* Alterum *οὕτως* Dindorfius delet; praestaret scribere *καὶ ὥς.*

IV, 4. *εἰπόντος δὲ Δημοτίωνος ἐν τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ὡς*

ἡ μὲν πρὸς τοὺς Ἀρκάδας Φιλία καλῶς αὐτῷ δοκοίη πράττεσθαι, τοῖς μέντοι στρατηγοῖς προστάξαι [ἔφη] χρῆναι ὅπως καὶ ἡ Κόρινθος σῴα ᾖ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, ἀκούσαντες [δὲ] ταῦτα οἱ Κορίνθιοι, ταχὺ πέμψαντες ἱκανοὺς Φρουροὺς κτέ. Expunctis iis, quae uncinis inclusi, multo rotundior fiet oratio.

IV, 20. Arcades in Elidem irrumpunt; πιεζόμενοι δὲ οἱ Ἠλεῖοι ἐν τῇ ἑαυτῶν ἠξίουν καὶ τοὺς Λακεδαιμονίους πέμποντες πρέσβεις ἐπιστρατεύειν τοῖς Ἀρκάσι, νομίζοντες οὕτως ἂν μάλιστα ἀπολαβεῖν τοὺς Ἀρκάδας, εἰ ἀμφοτέρωθεν πολεμοῖντο. Frustra se exercent, qui aliquem sensum huic narrationi accommodatum e verbo ἀπολαβεῖν extorquere conantur. Iam enim *sunt* in Elide, ineptum ergo est eos etiam aditu arcere velle. Nihil in hunc locum quadrare videtur quam ἀπελθεῖν.

IV, 24. Arcades Spartanorum agmen aggressi multos nobilesque Spartanos occiderunt. Ubi Spartani in apertum campum veniunt, aciem instruunt: iterum ibi in eos impetum faciunt Arcades, qui licet numero pauciores sint, tamen multo alacriore sunt animo ἐπεληλυθότες ἀποχωροῦσι (quum cedentes Spartanos aggrederentur) καὶ ἄνδρας ἀπεκτονότες. Nimis languidum est ἄνδρας, quare excidisse puto τοσούτους vel τοιούτους.

IV, 32. οἱ δ' αὖ Ἠλεῖοι (qui pridie Arcades vicerant) ἐπεὶ τῇ ὑστεραίᾳ προσιόντες εἶδον καρτερὸν τὸ τεῖχος καὶ ἐπὶ τῶν ναῶν πολλοὺς ἀναβεβηκότας ἀπῆλθον. Dubitari non potest, quin post καρτερόν participium ὄν sit inserendum.

IV, 33. Dissensio oritur inter Arcades, quorum alii sacra pecunia (occupaverant enim cum Pisatis templum Olympicum § 29) uti in exercitum volebant, alii vehementer id consilium improbabant. Primi autem Mantineenses ἀπεψηφίσαντο μὴ χρῆσθαι τοῖς ἱεροῖς χρήμασι. καὶ αὐτοὶ τὸ γιγνόμενον μέρος εἰς τοὺς ἐπαρίτους (delectas Arcadum copias) ἐκ τῆς πόλεως ἐκπορίσαντες ἀπέπεμψαν τοῖς ἄρχουσιν. Duae res in hac

narratione displicent: primum *ἐκπορίσαντες*, quod quid sibi hic velit non video; deinde quod Mantineenses eam pecuniam *τοῖς ἄρχουσι* remittere dicuntur. Etenim ipsi Arcadum *ἄρχοντες* dicuntur ea pecunia usi esse, iidemque Mantineensibus graviter irascuntur illud factum improbantibus. Consentaneum autem est Mantineenses iustis legitimisque dominis pecuniam restituisse, sive pro *ἄρχουσι* legendum est *Ἠλείοις*, sive aliud vocabulum sede sua pulsum est propter vicina *ἀρχόντων* et *ἄρχοντες*.

IV, 35. Magistratus ergo Arcadum, adversarios illos metuentes, Thebanos invocant. *οἱ δὲ τὰ κράτιστα τῇ Πελοποννήσῳ βουλευόμενοι ἔπεισαν τὸ κοινὸν τῶν Ἀρκάδων πέμψαντας πρέσβεις εἰπεῖν τοῖς Θηβαίοις μὴ ἰέναι σὺν ὅπλοις εἰς τὴν Ἀρκαδίαν εἰ μή τι καλοῖεν.* Suspectum est verbum *καλοῖεν*: vocati enim iam erant Thebani; nullo autem subiecto addito Thebani intelligere non possunt, quibus vocantibus venire, quibus non venire oporteat. Credo ergo legendum esse: *εἰ μή τι ἐγκαλοῖεν*: nisi haberent, de quo conquererentur.

Caput V, 11. *ἐπεὶ δ' ἐγένετο Ἐπαμεινώνδας πρὸς τῇ πόλει τῇ Σπαρτιατῶν, ὅπου μὲν ἔμελλον ἔν τε ἰσοπέδῳ μαχεῖσθαι καὶ ἀπὸ τῶν οἰκιῶν βληθήσεσθαι, οὐκ εἰσῄει ταύτῃ, οὐδ' ὅπου γε μηδὲν πλέον μαχεῖσθαι τῶν ὀλίγων πολλοὶ ὄντες κτέ.* Hic quoque accidit, quod in Hellenicis tam saepe factum videmus, ut vocabulo vocabulum vicinum exitio esset. Nihili enim est *πλέον μαχεῖσθαι*. Legendum opinor *πλέον ἕξειν*. Sequitur enim *ἔνθα δὲ πλεονεκτεῖν ἂν ἐνόμιζε.*

ἐμοὶ μὲν δὴ μέχρι τούτου γεγράφθω.

Lugduni Batavorum
die VIII M. Junii A. D. MDCCCLXXXVII.



